UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, 1637

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

Visual Library

Pa. 2502.

K

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Auctore Andrea Brunner Germ.
S.J. a° 1630 ad imaginibus
Imc his 1633.

FASTI MARIANI

CUM

DIVORUM ELOGIIS

IN SINGULOS ANNI

DIES DISTRIBUTIS.

SER.mo ELECTORI

MAXIMILIANO

UTRIUSQUE

BOIARIÆ DUCI

NUPER CONSECRATI.

EDITIO III.



ANTVERPIÆ,

Apud JOANNEM CNOBBARUM.

M. DC. XXXVII.

Cum gratiâ & Privilegio.

Collegij S. Jesu Paderb. 1648.

SERENISSIMO

ELECTORI

MAXIMILIANO

UTRIUSQUE BOARIÆ

DUCI.

PArce, Dvx Maximiliane, si in munus tuum involavimus. Aciem ecce in chartâ non magnâ explicavimus maximam, & sub *Serenitatis Tuæ* auspiciis iterum militaturos Divos è cælo ad Ordines suos vocavimus. Agnoscísne fortissimas exercitûs Tui alas, Bonos *Angelos*? an robur militiæ Tuæ, purpuratam *Martyrum* phalangem? an, quibus insignis Agnvs præit, *Virginum* candidissima agmina, decora castrorũ tuorum? Sed & cæteras cæli legiones ex armis suis *Serenitas Tua* rectiùs puto singulas, quàm ex nomine Cyrus suas novit. Ecce unica Virgo *tota castrorum Acies* Maria, illa, illa *Serenitati Tuæ* in aëre signum, in ore tessera, in manu scutum, in pectore lorica. His subsidiariis è cælo copiis adjuta, quid mirum, si quoties *pro* Deo *& Cæsare* pugnavit, etiam

vicit *Serenitas Tua*, tunc præcipuè, cùm *Mons* ille hostium ossibus *Albens*, pugnæ theatrum, & orchestra Praga fuit, iis ipsis diebus, quos *Omnes Cælites* sibi peculiares sacrosque. jam olim legerunt, & toties lacessiti ab hæresi hoc tunc fortiùs in istam pugnarunt? Quid animi tunc vobis erat rebelles cælo, & Imperatori vestro Animæ, quando, dum vos Acheronta movebatis, & in auxilium evocabatis omnes orci Furias, contra vos stare in armis Superos videbatis? quando in Bohemos non jam suos *VVenceslai*, in Hungaros *Stephani*, in Austrios *Leopoldi*, in degenerem Posteritatem *Rhatones, Thassilones, Caroli, Henrici* pugnabant? Rectè profectò quorum è vultu exulabat dudum verecundia, evocato in vulnera sanguine erubuistis, rectè fugâ pudorem occuluistis, & Moldavâ mersistis, etsi toto flumine nunquam piandi. Sed multò rectiùs alii damnastis arma impia, abjecistis, &, quod rarò solet hæresis, victas denique cælo manus sustulistis.

Sed ad Te revertor, PRINCEPS MAXIMILIANE,

O nimiùm dilecte DEO! *cui militat Æther,*
Et conjurati veniunt ad classica DIVI.

Currant

Currant alii in laudes *Serenitatis Tuæ* per orbis ſtadium: nos genium Tuum adorabundi ſubſiſtimus hîc. Quantum hoc eſt, ſub *Serenitatis Tuæ* ductu (liceat ita nobis dicere Superi, quando facere vobis placuit) cælum mereri, cælum militare! Quid ni Ducem Te cælo dignum dicemus? laudibus evehemus in cælum? Sed nempe in terris (ubi invidiæ medicus, quemadmodum Plinius ait, reſpicere poſt tergum, & hominis jubet meminiſſe) non placet *Serenitati Tuæ* triumphus. Itaque dum alii de hoſtibus, de victoriâ *Serenitas Tua* triumphat, & ſpolia opima (laudes ſuas) Superis fert accepta. Non repugnaturum ſe M. Fabius affirmavit, ſi ſine ſe Imperatore exercitus victor triumpharet; id quod *Serenitatis Tuæ* modeſtia reapſe fecit, hodieque facit. Teſtem oculum advoco Bojariæ Monachium, quæ urbs & tunc, cùm debellatum eſt in Bohemiâ, & nunc annis omnibus videt exercitus tuos, Sanctos inquam Cælites, auguſtâ ferculorum pompâ per templa & pulvinaria ſua triumphare, iis diebus, quibus Te Imperatore vicerunt, cùm Tu pulchro triumpho pulcherrima appendix pedes accedis. Quâ in re Joannem Imperatorem Conſtantinopolitanum rediiſſe

ævo nostro gratulamur, qui post devictos hostes, cùm ipse sine invidiâ posset, triumphare pro se in aureo curru niveis equis vecto VICTRICEM VIRGINEM voluit, ipse pedibus currum præivit, fassus hoc exemplo à se armis hostes, se verò à VIRGINE, amore victum. An non hoc ipsum factitari à *Serenitate Tuâ* cum plausu Roma vidit, quando tuo triumpho vectam VIRGINIS Iconem (eam ipsam, quæ ex re Victoriæ nomen gerit) cum eâ pompâ accepit, quam summi orbis arbitri Pontifices laudarunt, ornarunt?

Atque hæc paucula, ut alia omnia missa nunc faciamus, facilè puto *Serenitati Tuæ* imprimis, tum orbi terrarum probabunt consilium nostrum, quòd, dum bono Marianorum in lucem edimus Divorum Icones laudesque, factum hoc velimus *Serenitatis Tuæ* potissimùm auspiciis, ut quam tantum amare Cælites, tantum amari à Cælitibus novimus.

Patere igitur, *Serenissime* PRINCEPS, triumpho Divorum Tuorum hoc etiam ferculum (utinam Divis & *Serenitate Tuâ* dignum!) accedere. Aperi Pantheon Animum Tuum, & *Sanctorum Omnium* tam diu cultum fove, dum numerum augeas. Ita, ô patriæ Pater nostræ

noſtræ, in Sodalitio noſtro ex animo vovemus omnes, ſinguli; ſed, ne orbam ſe ploret patria, ut ſerò nos audiat cælum, precamur. Monachii anno M.DC.XXX.XVIII. Kalend. Septemb. quo die REGINA SANCTORVM OMNIVM communis noſtra TOTIVSQVE BOIARIÆ PATRONA in cælo coronata eſt.

SERENITATI VESTRÆ

devotiſſimæ

Sodalitas MARIANA Monacenſis Civica.

APPROBATIO.

PRomotioni pietatis multùm deserviet, si Compendium Vitæ Sanctorum lucem videat, & typis mandetur. Actum 26. Ianuarii 1633.

GASPAR ESTRIX Plebanus, & librorum Censor Antuerpiæ.

SUMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hispaniarum Regis Catholici, & potentissimi Belgarum Principis, Privilegio cautum est, nequis Fastos hos Marianos, præter *Ioannis Cnobbaert* voluntatem, ullo modo intra novennium imprimat, aut alibi terrarum impressos in Germaniæ Inferioris ditiones importet, venalésve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorũ, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur, uti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 28. Januarii 1633.

Signat

STEENHVYSE.

FESTA

FESTA MOBILIA.

FESTUM RESURRECTIONIS D.N. JESV CHRISTI.

IO triumphe! Io! Viciſti Chriſte amor meus! agnoſco vultum victorem, & victricem, quâ hoſtis meus cecidit, manum: video in bono Duce victoriæ veſtigia, plagas adverſas: laudo trophæum nobile, Crucis arborem. Ecce ante currus triumphales cum mundo dæmonem, cum morte carnem. Io! cæli plaudite: aër inſona: triumphum clamate litora: terra reſulta: & tu Echo mille hodie ora indue. Heus! adeſte quotquot eſtis mundi cives! quercus, imò nemora ſpoliate, & Servatori veſtro *Civicam* ferte. Agite veris arva lætiſſima, rectè omne, quod vobis eſt, gramen ſuppeditatis. Nam *obſidionalem* non jam urbs, ſed orbis debet obſidio dæmonis liberatus. Eia, quid moras nectitis, qui in lacrimis natatis naufragi? quin tabulas colligitis, & *Navalem* paratis illi, qui victor Stygem trajecit? Quin *Caſtrenſi* ornatis eum, qui primus caſtra Phlegethontis victor tranſcendit! Ecce Angeli ramis ſuis Palladem ſpoliant feruntque *Oleaginam* illi, qui pacem DEVM inter & homines potuit componere. Sed numquid *Triumphalis* obliviſcemur coronæ? Ecce ultrò laurus in ſertũ abit, æternam viriditatem ſperans, ſi hæc tempora contigerit. Sed & tu abi in ignes omne aurum, & exi corona Triumphatori meo. At tu cape has coronas victor Amor, & ſi omnibus his roſæ ſeſe immiſceant, ne has repudia. Spinæ nuperæ dederunt.

Suſceptis tecum aromatibus, Dominicum viſere cura

sepulchrum. Ibi lacrimas devotionis effunde, nec usquam divertas, donec resuscitati Domini teneas vestigia, contrectes manu ac lenias osculis clavorum foramina. Illum audi loquentem, agnosce viventem, dilige diligentem. S.Laur.Just.serm.de Resur.D.

FESTUM ASCENSIONIS D.N. JESV CHRISTI.

IO! iterum: iterum Io! iterum Triumphe! Ecce amor meus triumphans Capitolium cœleste petit! Ecce obvios omnes cæli cives! Ecce ereptos orco & servatos Patres, omnes cæli libertate pileatos! O numerum daretur horum augere! ô ultima triumphi appendix pedibus hærere possem triumphantis! Vicisti eia Amor Christe amatum. En manus do victas. Victum eccur non etiam in triumphum ducis? Ecce sequar vel vinctus currum. Heu mihi! sine me hem jam nubes transit, hem Christus habet muros! Hæc nimirum ab inferis reduci victori unica corona deerat, *Muralis.* Hanc quoque, dum primus hodie amor meus in cæli mœnia evadit, primus tulit. Sed ne animum despondete cæteri, qui bellum cælo facitis, & vi amicâ cælum itis expugnatum. Auferet (iterum moneo) hanc etiam secundus, tertius, etiam ultimus. Imò ultimus primas feret, & quò profundiùs descenderit, hoc altiùs ascendet. Neque est, quòd viam multùm inquiramus, quæ ad triumphum ducat. Impressit huic Christus vestigia sua, sanguine notavit. HAC ITVR.

Ascendamus cum Christo corde, ut cùm dies ejus promissus advenerit, ascendamus & corpore. Sed cum Christo non ascendit superbia, non avaritia, non luxu-

ria;

ria; nullum vitium noſtrum aſcendit cum medico noſtro. Ideo ſi poſt medicum deſideramus aſcendere, debemus vitia deponere. S.Aug.ſerm.2.de Aſc.Dom.

FESTUM PENTECOSTES.

NOn ego jam centum ora totidemq; linguas, unam tantùm ex iis opto, quas hodie cælum depluit. Jacebat è juventute ſtudiosâ adoleſcens, quem in lectum non tam ægritudo quàm ſcelerum pondus dejecerat. Cæcus interea non videbat ante orci fores ſe ſtare, ſurdus ne fratris quidem monita ſaluberrima audiebat. Intempeſtâ nocte virum videt majeſtate vultûs, & multâ canitie venerandum. Ego, ait hic, ille ſum, qui tui causâ omnia, ſed te mei unius gratiâ condidi. Si nondum intelligis, omnium PATER ſum. ſed te filium degenerem abdico, abjicio, & dirum damnationis Theta jam nunc tibi denuntio. Ita attonito ſub alteram noctem vir adeſt integrâ ætate, ſpinis caput, cruce humeros inſignis, cætera nudus & ſanguine, qui ex pectore ſaucio in fontem abierat, latè humum inundans; hic, ſi neſcis, inquit, JESVS ſum, Servator olim tuus, nunc Judex: ſimul manum pectori immittit, & ſanguine plenam in vultum jaciens ægri, erubeſce, ait, vel ſic & teſſeram damnationis cape, ſalutis futuram, ſi maluiſſes. Sub hæc in cælos, æger in deſperationē abiit. Erexit tamen miſerum frater, & ut noxis expiatis ad *Amorem* SPIRITVM ſe verteret, ſuaſit. Tertia igitur nox perſonam viſa oſtendere, vultu prioribus non abſimili, ſed placido, & arridente, qualemque humero inſidens columba probabat. Atque hæc ſcelerum veniam, & mortem beatam

nuntiavit. Quis jam fidem non habeat dicentibus *columbam* sine felle esse? *Ex Spec. Exempl.*

Vt almus hic Spiritus vivificet te, custodi unitatem, & apud te quietus sede, præstolare ejus adventum, ut te ad se suscipiendum paratum inveniat: Turbas fuge & temporalium facultatum devita negotia, quatenus amabiliter Paracletus veniat & requiescat in te. S.L. Just. serm. de Pent.

FESTUM SS. TRINITATIS.

QUid solem intueris? si sapis oculos claudes. Fides talpa sit, oportet. Nimirum non posse in parvulam fossam exonerari Oceanum, Augustine, docuisti. Manu tamen ad tanta mysteria non semel nos duxit cælum. Ita quo tempore Vasatenses Hunni bello, & hæresi suâ SS. TRIADEM Ariani impetebant, miraculum contra hos ingens pugnavit. Etenim sub ipsis sacris è cælo in aram tergeminæ guttæ se demiserunt, invidiam crystallo facturæ. Has cùm legere Sacerdos vellet, ecce suâpte sponte in unicam gemmam coivêre. Atque hoc nobilissimum, UNIVS TRIADIS, & TRINÆ UNITATIS symbolum Christiani cruce, hanc unionibus ornarunt. Sed quod unâ suâ gemmâ sat dives crux esset, uniones omnes, velut victos se faterentur, longè inde exsilierunt, quo permoti cives aureâ denique cruce, ut par erat, gemmam unicè pretiosam incluserunt. Jam in Virginis Claræ de Monte Falco corde repertos ajunt hodieq; asservari tres globos, qui singuli cum singulis, quin imò bini etiam cum tertio certant pondere, nec tamen superant, nec superantur. Ostendit hæc Virgo nobilius aliquid quàm aurum, quo mysterium

rium hoc claudamus, cor noſtrum. Aut enim hoc, aut nihil capit DEVM.

Quemadmodum reliquis omnibus membris caput anteponis, & cætera membra objicis, ut ictum à capite avertas; ita Sanctæ & ejuſdem eſſentiæ Trinitatis fidem, ſine qua vitâ, quæ verè vita ſit, vivere nemo poteſt, rebus omnibus antepone. S.Ephrem in Vit.rect.rat.

FESTUM SS. CORPORIS CHRISTI.

IUvat pompæ, quam omnis hodie orbis Chriſtianus ducit, exordia paucis denarrare. Virgo fuit non procul Leodio; nomen virgini Juliana. Hæc dum cælos, quos animo jam habitabat, oculis etiam obambulat, novam Lunam aſpicit, à quâ altera lubens lucem ſuam mendicaret: pleno tamen incremento aliquid reſtare vid ebatur. Subinde audit Eccleſiam hanc eſſe Chriſti ſponſam, cui porrò ad decoris ſupplementum nihil deeſſet, quàm ut ſponſum ſuum ſub pane latitantem feſto die, & pompâ celebraret. Et verò ad hoc operam Julianæ cælum expetere. Diu linguam Virginis modeſtia ligatam tenuit, dum amor denique ſolvit, & detegere viſum, cùm aliis, tum è Canonicorum collegio uni ſuaſit. Is tunc Jo. Lanſenna pòſt Pont.Urbanus IV.fuit. Et fortè dum hic ad clavum Eccleſiæ ſedet, Bolſenæ Sacerdotis ſacrificantis mentem dubitatio ſubiit de Numinis in S.Euchariſtiâ præſentiâ. Vulneravit hæc perfidia Chriſtum. Nam præterquàm quòd remoto panis velo, in conſpectum ſe dedit, ſcatere ſanguine calix, & effundere ſe hic in aræ lintea viſus eſt. Tum verò Urbano Pont. jubente miraculum hoc per urbem illam eſt circumlatum; jamque urbem

unam omnis orbis æmulatur. Rectè porrò nos faciemus, si in ferculum DEO nostro non aurum, aut argentum modò, sed quod magis amat, oculos, linguam, pectus, cor adeò commodabimus. *Ex hist. revel. Inst. vener. Sacram.*

Christiane, qui se hîc tibi manducandum dedit, quid tibi denegare poterit in futurum? & qui tantum tibi viaticum paravit ad victum, quid in illa mansione perpetua non paravit? Manducabitis in Mensa mea: *audisti Dei convivium; solicitus non sis de qualitate convivii.* S. Pet. Chrys. s. 95.

FESTUM S. ANGELI CUSTODIS.

DA mihi Arge, ô Angele mi, da pennam vel unam è tuis, quâ laudes tuas scribam. Sed ô! unde incipiam? ubi desinam? Nondum natus eram, & tamen jam latus stipabas meum, ô Custos unice! Infanti sinum, puero manum dedisti, ô Pædagoge amantissime! Tu verba formare, & nunc Patrem in cælis JESVM, nunc Matrem MARIAM clamare, tu nunc artes humaniores, nunc severiores docuisti, ô Doctor fidissime! Tu in bivio vitæ dubio viam Mercurius monstrasti, præisti, duxisti, insidias detexisti, in hospitium ô quale introduxisti, dux fidissime! Sed vin' compendium tuarum dem laudum? morituro quotidie aurem vellicas: irati judicis timere vultum doces: mones præcipitia infera cavere, cæli ardua digito ostendis, ad hæc expetenda cogitationibus animum adhortaris, & fatigatum manu ducis, succumbentem portas, ægrum foves, impugnatum propugnas. Illud quantum est; quòd, nisi ego te vivus, tu etiam mortuum non es deserturus. O

mi

mi Arge! ô Angele mi! cur ut laudes tuas scriberem, pennam è tuis unam aliquam non dedisti? Sed eja hanc meam cape, &, si placet, MAGNÆ VIRGINIS, cui uni laboravit, pedibus substerne. Ut multæ aliæ tam altùm, certè altiùs nulla volaverit penna.

Noli ô homo Conditoris tui negligere munus; noli custodis tui Angeli benevolentiam spernere, parvi pendere ministerium, suffragium abjicere, & ignorare consilium. Sta super custodiam tuam: Tibi assistunt Angeli; à dextris boni, à sinistris mali. S. Laur. Just. de vit. sol. c. 16.

JANVA-

JANVARIVS.

CIRCUMCISIO DOMINI.

1. *Ianuarii.*

OUt ego te exoſculor diem candidiſſimum! ô ſidus! ô JESV Nomen! Ite jam aſtrorum arbitri, dicite ſanè fatalem hanc mihi ſtellam eſſe, horoſcopum meum eſſe, ab hâc vitam meam, vitę ſtudia, mortem, omnia dependere. Rectè. Quidquid igitur agam, JESV auſpice agam. Vigilabo? in oculis JESVS erit. Dormiam? JESVM ſomniabo. Ambulabo? comes JESVS ibit. Sedebo? latus claudet JESVS. Studebo? JESVS erudiet. Scribam? calamum cum manu JESVS ducet, & JESVS JESVM ſcribet. Orabo? verba JESVS formabit, animabit JESVS. Feſſus ero? recreabit JESVS. Eſuriam? ſitiam? JESVS paſcet, ille potabit. Ægrotabo? Amor aderit medicus, JESVS. Moriar? JESV immoriar meo. JESVS ſupremis labris natabit. JESVS oculos claudet. JESV ſinus mihi tumulus, tumuli inſcriptio JESV nomen erit. Sed, heu mihi! mi JESV! Amor meus! quid video? quod ſi vitæ tuæ aurora tam multo cruore jam rubet; quàm largos imbres ſanguinis in ſero vitæ veſpere dabis, ô Sol meus! Heu iterum mihi! ô MARIA! ô Cynthia mea! an palles? dabis eheu! etiam tu hodie pluvias. Et ecce imbres lacrimarum ex utroque oculorum cælo ruentes. Time peccans adoleſcentia, tute hanc tempeſtatem dediſti. Cur enim hodie jam ad ſanguinem iretur, niſi ſceleribus tu quoque fores obnoxia. Ecce die octavo jam ſævit culter tuus verè ſaxeus! Sed diſce ad infanda ſcelera, diſce à cultro tuo erubeſcere. Diſce vulnera agnoſcere tua. Si neſcis,

neſcis, ibi vulnus eſt, ubi emplaſtrum eſt.

Si tentaris à Diabolo, ſi ab omnibus hominibus opprimeris, ſi conficeris ægritudine, ſi doloribus fatigaris, ſi deſperationis agitaris ſpiritu, nomen JESV *edicito.* Juſtinian. ſerm. de Circumciſ.

S. BASILIUS MAGNUS. 1. *Ianuarii.*

MAgnum eſſe BASILIVM ad ardentis columnæ facem D. Ephrem vidit. Magnum deinde oſtendit *Chriſtus* ipſe, dum ſacris operanti adeſſe ſpectabilis, cum ſancto Duodecimvirorum cæleſtium ſenatu voluit. Sed & talem Hebræus nonnemo credidit, cui profano adhuc, ſacræ tamen menſæ accumbenti, cùm minimo in orbe magnum *Virginis Filium* è manu ſuâ propinaſſet, manus & ipſe dedit. Magnum demum ſenſerunt è maximis tyrannis duo. Horum alter Julianus (is qui turpe ſibi apoſtatæ nomen peperit) orante contra ſe BASILIO, ſententiam ferente Deiparâ *Virgine*, exequente D. Mercurio, orbi pœnas perfidiæ, quas meruit, dedit. Non felicior alter Valens, exilium Divo noſtro nequicquam ſemel iterumque intentavit. Nam ſententiam impiam ferre jam cogitanti, ipſum juſtius judice ſuo tribunal reclamavit, ſellâ diffractâ; & ſubſcribere laboranti, penna atramentum, quod habuit, tertiùm negavit: ipſa manus facere officium noluit; certè ut non poſſet, exaruit; conjunx filiuſque ægri ad cogitatum ſcelus nolentes etiam ingemuerunt. Et filius quidem à magnâ BASILII manu convaluit. Cui cùm Valens peſſimos ſuperinduxiſſet medicos Arianos, filius continuò malè mortuus eſt. At bene noſter, ſub annum Chriſti CCC.LXXVIII. vixit BASILIVS; vel hoc uno magnus magniſque faciendus Partheniis

niis Sodalibus, quòd virgo vixit. *Ex Surio.*

Væ tradentibus Christum ad crucifigendum; sed væ cum maligna conscientia sub Sacramento sumentibus illum. S.Remig.super Matth.

S. ODILO ABBAS.

1.Ianuarii.

PUer ODILO in D.VIRGINIS perreptavit claudus, exivit sanus; & cùm ire jam quò vellet, posset, pulchrè pedibus, quos cælum donavit, usus, è mundo abiit, & Religiosam domum iniit. Subinde Præfectus Asceterio Cluniacensi, ostendit, quàm facile imitari Christi miracula foret illi, qui vitam vellet. Aquas quippe eunti sibi in solum, aliis etiam in vinum vertit, piscibusque non multis bene multam pavit multitudinem. Inter primas curas habuit, piorum Manibus opitulari, quos flammæ piaculares haberent. Id adeò fassus ipse est orci tortor, quem Siculæ quispiam eremi incola non semel querentem audiit atque indignantem innumeros à pœnis suis ODILONIS absolvi precibus. Eos inter Benedictum numerant VIII.Pont.Max.qui opem & ipse viri imploravit, & verò sensit etiam; ac gratus palàm laudavit. Atque hoc stimulos subdidit ODILONI, ut sui quotannis diem agerent piarum animarum memoriâ insignem; quod institutum id temporis uni illi familiæ familiare totus hodie Christianus orbis amplectitur. ODILONI nostro morienti præsto ipse Christus fuit, Stygiasque larvas cum suis terriculamentis longè jussit facessere. Nimirū quam opem mortuis vivi ferimus, morituri & ipsi sentimus. *Ex Surio.*

Disce humilitatem, quam Christus verbo docuit & exemplo;

exemplo; disce obedientiam, quam patri suo exhibuit & Matri; disce virtutes cæteras; ut vitæ lumen in te valeas possidere; Christum sequere, Christum imitare, ut ad ipsum pervenias. B. Laur. Just. de interiore conflictu.

S. MACARIUS ALEXANDR.

2. Ianuarii.

HUnc MACARIVM nomine suo Alexandria; imò fallor, suo ille Alexandriam beavit. VII. annis sine cocto edulio, sine omni somno dies XX. quadragintadiale jejunium sine omni cibo transegit. Satur interea cæli deliciis, & piis nunquam non lacrimis ebrius. Inter hæc Cupidinem bella sibi movehtem aggressus, culicum præsidio corpus cinxit; quos inter cùm sex adeò menses nudus decertasset, horũ aculeis longè hostem submovit. Quid multis? brevi tam parvo milite ingentem; & formidandum tyrannum debellavit. Pœnitentem Sacerdotem à sacrilegâ Venere, & qui in pœnam afflicti corpore serpebat, cancro eâ lege absolvit, ut ne porrò sacrificaret impurus. Nec in homines solùm pius, cæcum feræ, nescio cujus, partum sputo suo illitum lumine donavit, oviculæ exuviis à gratâ parente vicissim donatus. Inter precandum ita se ipsum fertur adhortatus: *Anime mi, ne te in terras è cælo demitte: ibi Deum & cum Deo Dei aulam omnem habes.* Viderat nimirum quandoque, quàm multiplici dolo astuque turbare precantium animos malus hostis niteretur. Ob hæc aliaque ejuscemodi prædicantibus verè MACARIVM, hoc est beatum, ut qui mundo tam bellè illuderet, illud responsi dedit, caverent, ne ipsis mundus illuderet. Vivere porrò desiit, cùm annum

num ageret centesimum, & documento sanè fuit mortalibus, frugalitate & vitæ religiosæ asperitate non minui annos, sed crescere. *Ex vit. PP.*

Quæ segnities est, capi ineptis cogitationibus, cùm Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quòd cum Deo loquaris: Quomodo te audiri à Deo postulas, cùm te ipse non audius? S. Cyprian. de Orat. Dom.

S. GORDIUS MARTYR. *3. Ianuarii.*

POtuisses olim eremum campum dicere Martium, unde illi prodirent, qui bella orbi, qui tyrannis moverent. Ita GORDIVS etiam noster è nobili militum tribuno Christi tiro, ubi sat diu in antro ad eremi leges exercuisse velut ad palum se, & piæ militiæ satis præluisse jam visus sibi est; progressus demum festo die in medium theatri, fassusque CHRISTI se militem, corpus frustatim concidendum carnifici obtulit: id unũ exoptans, plures animas habere, ut plures per mortes Duci DEO invictum se probaret. Scilicet ad insolitum hoc spectaculum exclamârunt Christiani pariter, & hostes horum. Et obstupuere hi, quòd unius hominis virtus totum theatrum impleret. At illi Deo, GORDIO, sibique gratulati sunt, cùm viderent tot inter certantes quadrigas longè omnes equos ad palmam præcurrere Christianũ, jamque hunc unum illo die ex merito coronandum animo perciperent. Intereà GORDIVS monentibus amicis, qui servatum cupiebant, ore CHRISTVM suum tantisper proscriberet, animo coleret; *ita ne verò*, ajebat, *omnem militibus aditum ad cælos præcluditis? Me quidem Longinos & Cornelios juvat æmulari. Christum vobis coram si negem, cælo coram ille negabit.*

Hæc

Hæc ubi dixit, crucis signo armatus omnes cruciatus imperterrito & animo & vultu superavit, ostenditque, quæ militi honestissima essent vulnera. *Ex Surio.*

Quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi. Ideo Paulus ajebat, Sic currite, ut comprehendatis. Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusq; metam, ubi Christus posuit suam. S.Bern.Ep.253.

S. GENOVEFA VIRGO. *3.Ianuarii.*

NOn ego GENOVEFAM laudem, cùm vel parentes ejus, quòd talem genuissent, B. Germanus laudârit. Transibat hic Lutetiâ Parisiorum in Britannias Pelagianos oppugnaturus, cùm GENOVEFAM parvulam tunc puellam intuitus, latere in eâ ingentem virtutem vidit. Itaque blandissimis verbis vitæ religiosæ studium tenellæ suasit. At illa jam tunc annuit. Ergo mnemosynon capit nummum Cruce insignem, jubeturque è collo suspendere, nullo dehinc muliebri mundo temerando. Arrha fuit hic nummus Christi sponsæ, neque fefellit. Noluit deinceps parvula domi agere, sed sui officii identidem clamitabat esse, templa frequentare. Quare fuit, cùm lacrimis suis molestam & clamoribus mater alapâ castigaret. At continuò cæca facinus suum vidit. Lucem deinde biennio pòst à filiâ, cui dederat lucem, recepit. Cæterùm hæc velo inter virgines involuta Parisiensibus contra omnes Attilæ exercitus unicum præsidium fuit. Cibum non nisi bis in hebdomade, vinum virginitatis venenum nunquam admisit. Quoties cælum aspexit, hoc gaudiis, illa lacrimis pluere visa. Virtutem in absente Simeon Stylites laudavit, & sæpiusculè salutavit per nuntios. Apud

Reges

Reges quoque Childericum & Clodoveum tantum potuit, ut à morte virgo absolveret, quos judices damnârant. Sed parum hoc est, quando idem apud DEVM potuit, & lectulo damnatos ægros passim à morbis absolvit. Quid? quòd quem abstulerat jam, imperio GENOVEFÆ puerum mors reddidit; credo ut ne deesset, qui virginem Matrem clamaret. *Ex Sur. & Lippel.*

Per baptismatis Sacramentum Spiritus S. factus es templum: noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, & Diaboli te iterum subjicere servituti, quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te judicabit, qui misericorditer te redemit. S. Leo serm. 1. de Nat. Chr.

S. RIGOBERTUS EP. 4. Ianuarii.

DIscite, qui alienam nobilitatem non aliter ac hereditatē aditis, ampliùs etiam vestrâ operâ hanc condecorare; imò domi vestræ, hoc est, apud animum vestrum veram nobilitatem quærere. Nos eâ in re doctorem ecce vobis RIGOBERTVM suggerimus: hic gentis suæ splendorem literis, literas pietate illustravit: hanc Rhemenses infulâ ornarunt: ille iterum hanc multis magnisque virtutibus, velut gemmis distinxit. Sacerdotes primus id loci in unum coëgit, redituque, de quibus viverent, communes fecit. Familiariter Magistro equitum Pipino est usus, qui xeniolis, quæ Divus redeunti à venatione missitabat, multùm delectatus terræ tantum aliquando concessit, quantum RIGOBERTVS, dum ipse dormiret, ambulando potuit circumscribere. Ab eo tempore nusquam alibi vel campi, vel agri lætiùs ridere, ridentibus nusquam mitiùs cælum arridere. Aurea tempora &

æternum

æternum ver diceres. Sed & filium Pipini Carolum (ab animo Martio Martellum pòst dictum) sacro fonti admovit RIGOBERTVS. At Carolus ingratus, quòd urbem Rhemensem dolo aggressus non admissus esset, apertâ vi pòst fratrem debellatum ingressus, Pontificē sede exegit. Tulit æquo animo exilium, nec multò post ad Pipini dona reversus, vitam sanctissimè exegit. Ad tumulū nocte concubiâ lux ingens visa, & voces è cælo auditæ, multùm humanâ suaviores. At nos si nunquam has audimus, quid miri obsecro est, quando cælo aures claudimus? *Ex Surio.*

Si tibi suggeratur in futurum tempus differre bonum propositū, consurge & dic, Dies Domini sicut fur, ita in nocte veniet. *Si gula desæviens lautiores tibi commendaverit apparatus, recalcitra, & dic,* Non est Dei Regnum esca & potus. S. Petrus Dam. in Ps. 57.

S. SIMEON STYLITA. *5. Ianuarii.*

ERubescit hoc die Ægyptus, cùm in tam parvâ chartâ sepeliri superbas moles suas videt. Quid enim? ut mortuos suos, quà posset in cælum extolleret, surgere eò velut gloriæ humanæ scalas Pyramides jussit. At tu Lector, vide sis hoc die illum, qui vivus cælo jam cohabitavit, vivus Pyramides sibi quatuor posuit, invidiam nō Ægypto modò, sed orco etiam facturas. Itaque SIMEON opilio primùm, pòst præaltâ in rupe monachos inter Angelus vixit. Verùm cùm ob mira, quæ maxima ac plurima patrabat, magni undique accursus fierent, novo miraculo columnas cœpit habitare; quarum quarta, & quæ ei ultima fuit, alta erat pedes IV. & L. Hìc ille stare columnâ suâ firmior; dormire, aut considere nunquam; vix adeò

adeò unquam quid cibi capere, ea & agere & pati, ut hominem dubitarint; Regibus denique, ac Imperatoribus, imò orbi ad se confluenti vel oraculum esse, vel asylon. Indoluit hostis, & dolis, quos domi suæ habet, usus, in flammantem currum non jam SIMEONEM, sed alterum Eliam invitavit. Nec malè profectò cessit astus. Verùm, cùm altero pede jam extenso, sacrum Crucis signum efformasset, in ventos scilicet & orcum, non in cælos, cum pessimo aurigâ abivit currus. At SIMEON, ut eâdē pœnâ & se, & hostem ultum iret, uno, ut erat tum, pede, annum solidum perstitit. Mortuus est deinde anno ab orbe restaurato CDLX. ætatis CIX. atque, ut vicisse scires, etiam post mortem stetit. *Ex Surio.*

Quid animæ prodest, hesternum diem transegisse in actione virtutis, si hodie velut desertor desciveris ab opere justitiæ? Qualem enim te invenero, ait Scriptura, talem te judicabo. S. Basil. in Epist.

S. APOLLINARIS V. 5. *Ianuarii.*

EUnuchum specta; sed apage illum Parnassi ruborem: hunc, quem dicimus, virginitas dedit, cælum risit, vel, si mavis lacrimas, has quoque affudit cum suis ridenda Venus. Sed nunc argumentum fabulæ habe. Fuit APOLLINARIS altera Anthemii viri Consularis F. alteram dæmon malus insidebat. Illa Christum sponsum cogitabat, at hominē parentes. Quid nî etiam sanctus amor hominum oculos luderet ingeniosus? Abit Jerosolymam cum nobilissimorum parentum veniâ APOLLINARIS; comites servulos, ancillas, opes trahit. Redux ex itinere has omnes in egenos spargit, illos manu mittit, uno alteróve duntaxa retento. Hos quoque piè fallit, & silvas habita

Jan

Jam ubi æstus culicumque morsus corpus animumque durarunt, & formam illam augustam extinxerunt, prodit è latebris monachum induta, Eunuchum se dicit, Dorotheum apud Macarium nominat. Intereà adest soror, & è sorore pellendus dæmon. Pellitur à Dorotheo. Sed redit & præstigiis gravidam filiam Anthemii oculis exhibet, simul parentem Dorotheum mentitur. Ilicet hic ad patrem raptatur, inde ad crucē raptandus. At Dorotheus parentibus, & sorore in locum solum abductis, hanc iterum sanat, illis, positâ tantisper personâ, filiam se probat. Mox ad scenam suam revertens eremum, pergit monachos, orcum, orbem ludere; dum denique cum omnium plausu castissimam larvam mors detraxit. *Ex Sur. & Men.*

Indicamus bella peccatis, conflictum vitiis nunciamus, securi de victoria; quia nec arma cælestia hostes poterunt superare terreni, nec divino Regi adversa poterunt contraire mundana; neque vigilantes & sobrios Diabolus perturbare suis superventionibus poterit. S. Pet. Chrys. s. 12.

S. EDUARDUS REX. 5. *Ianuarii.*

EDVARDVM in utero adhuc latitantem fortuna tamen Angliæ Regem legit: firmavit electionem cælum: siquidem in Regem unctus ab ipso Apostolorum Principe memoratur. Conjugio porrò, ad quod invitum regni Proceres traxerunt, virginitatem copulavit, pulcherrimo matrimonio. Pater pauperum, filius dici poterat summi Pontificis, ita hunc semper coluit: tributa liberaliter remisit. postquam iis incubare custodē orci Cerberum vidit. Jam nec ad vilis mendiculi postulata

stulata erubuit, qui membris suis captus promissam à D. Petro sanitatem asseverabat, si bajulo ad templum Rege uteretur: quin mox in humeros sustulit pium onus, ad aram portavit, stipemque divitem sanitatem addidit. Sed & cæci nonnulli, quâ undâ manus Rex laverat, hac oculis ipsi tenebras eluerunt. Facienti Sacerdoti cùm adesset, conspicuus ei ab arâ bene precatus est Christus. Quidvis amore D. Joannis, quem Evangelistam dicimus, rogantibus, nihil visus est unquam negâsse. Hanc ille religionem præclarè obsignavit annulo suo, dum eum ipsi Divo mendicabulum adsimulanti dono dedit. Hic annulũ Regi remisit, simul de mortis horâ commonuit; quem nuncium ille toto mox regno vulgavit, quò preces undiq; piorum cogeret. Atque eo viatico, quamvis suis jam dives meritis, longum cæli iter ingressus est, anno post Virginis partum M. LXVI. & quia nullam corpus animo virgini in vitâ, mors diu nullam etiam corpori in tumulo labem asperſit. *Ex Surio.*

Studeant humiles quotidie in humilitatis virtute proficere, imitantes Regem, qui abjecto onere carnalium & regalium indumentorum coram Domini arca nudatus exiliens & exultans uxori sibi objicienti respondit, Ludam, & vilior fiam coram Domino. B. Laur. Just. lib. 1. de Humilitate.

EPIPHANIA DOMINI. *6. Ianuarii.*

SAlutaverant jam nuper, inter faustas acclamationes, & cantus festivos Principẽ suum cælo delapsi cives, aulamque nati Regis quotidie deinceps frequentabant. Sed & orcus rebellis hucusq; metu jam suo venerabatur. feræ ipsæ Dominum

suum

ſuum ſupplices agnoverant; ut jam aliud nil reſtaret, quàm ut terra etiam officium ſuum faceret. Ergo, ut ad exemplum Regum orbis univerſus ſe componeret, tres è regnis ſuis exciti Magi magnis itineribus Bethlemium contendunt, ſacramentum Chriſto nato omnium nomine dicturi. Atque, ut ne aberrarent, placuit Superis ducem ſtellam dare, & fallere, & falli neſciam. Ita Hieroſolymam ventum, ſeduloque in novi Regis cunabula inquiſitum. At Herodes in regno ſuo alium præter ſe Regem ullum quæri indignatus, barbara animo jam tum concepit conſilia, mox ſanguinẽ, neces, orbaſque matres paritura. Aulicis tamen artibus apprimè inſtructus dolos dolis texit, &, ut noceret, amare ſe finxit, ut perimeret adoraturum ſe hoſtem etiam ipſe promiſit. Subhæc à Magis, ſidere iterum anteambulone, Bethlemium perventum. Ibi conſidens ſtella, velut adventum gratulatura, hoſpites Reges è tecto ſalutavit. Extemplò ingrediuntur, Regumque Regem in throno ſuo præſepi, ſapientiam in infante, in homine Deum adorant: addunt deinde tributa, opes peregrinas, aurum, thus, myrrham. Inde viam aliam in regna avita dux ſomnus dormientibus oſtendit: ſed ſic idem hic vigilantẽ Herodẽ deluſit. *Ex hiſt. Evang.*

Sicut Magi de theſauris ſuis Myſticas Domino munerum ſpecies obtulerunt, ita & nos de cordibus noſtris, quæ Deo ſunt digna, promamus. S. Leo ſ. 2. de Epiph.

S. ANDREAS CORSINUS.

6. Ianuarii.

ANDREAM CORSINVM parentibus MAGNA VIRGO donavit, cùm illi priùs eundem ex voto necdum natum eidem donaſſent. Videbatur

sibi mater utero lupum ferre, sed qui in æde sacrâ gratissimâ metamorphosi in oviculam abiret. Oraculum fuit non somnium. CORSINVS etenim adolescens nonnihil liberior aliquamdiu cum mundo ululavit, pòst tamen gravibus ac assiduis parentis suæ monitis captus, religiosæ vitæ se mancipavit: à quâ necquidquam eum abducere adnisus est veterator callidus, quamvis nobilem mentitus vultum, quamvis opulentum oppidò conjugium pollicitus. Primùm litanti augustissima cæli Regina visendam se cum Angelis obtulit, atque his eum affata est verbis: *Meam servies servitutem, ad hanc à me delectus.* Posthac Præsul nominatus Fesulanus, cùm fugâ se honori subduxisset, ab infante tum fante est proditus. Puer, nescio quis, cùm sacro fonte tingeretur, ANDREAS lacrimas frequentes affudit: rogatus causam, respondit, puerum eum familiæ suæ probro, patriæ exitio natum; id quod reapse posteà urbs credidit, cùm vidit. Cùm annum deinde ageret LXXI. ipso CHRISTI nascentis pervigilio egregius servus à Dominâ suâ vocatus ad libertatem est. Mortuum virgo sanctitatis famâ percelebris, per scalas vidit cælum conscendere; puto ne ullus VIRGINIS amator dubitet eodem conniti, quando scalas habet. *Ex Surio.*

In Ecclesiam ingredere, ubi Christus discumbit, tuumq; præstolatur adventum, atque in spiritu humilitatis pedibus provolvere Domini JESV; *confitere scelera, deterge vulnera, reatum accusa, sponde conversionem, pete veniam, ut plenam consequaris indulgentiam.* Laur. Just. in sermonib.

S. LU-

S. LUCIANUS M. 7. Ianuarii.

POssumus hodie ignoscere Samosatæ, quando maximum probrum ingenti decore obruit, & LVCIANVM dedit, qui non jam rideret cælum, sed moreretur pro cælo. Duodennis puer poterat tamen pater dici, cùm hereditatem paternam jam tunc pauperum prædam feciſſet. Mox inter cœnobitas adscriptus, & Sacerdotio initiatus, Antiochiæ ludum literarium aperuit. Minerval pauperibus ceſſit, libros Chriſtianos reſtituit, & ſacra volumina, quæ dudum ſuperſtitio corruperat, ad Hebrææ linguæ regulam cenſuit. Sed Maximianus non neſcius pietatem Chriſtianam non poſſe rectiùs quàm cum muſarum lacte, literis inquam, inſtillari, ad pœnas magiſtrum tam ſancti ludi vocat; quòd tamen vel vultûs majeſtate meliora perſuadere LVCIANVS diceretur, non niſi velatis oculis huic impius Agamemnon locutus eſt. Promiſſis primò ingentibus in martyrem pugnavit, tum in cippum injecit, pòſt in teſtarum fragmina. Ultimò fame longâ ad deditionem compellere eſt aggreſſus. Interea ſacrificare conſtituit LVCIANVS. Mirantibus, quî id fieri poſſet, diſcipulis, cùm aræ menſa abeſſet, Vos, inquit, in orbem me cingite, & templum eritis; ſacra deinde pectori meo imponite; erit hæc viva ara. Dixit, fecit. Mox ad ingreſſos tortores ter clamat, *Chriſtianus ſum*, & ſubinde mortuus tacet. Funus nihilominus in mare projectum, ſaxo dexteræ appenſo. Verùm truncum primò Delphin, ſemper hominum, ſed martyrum præcipuè amans in litus extulit. Mox dextra etiam (à Muſis credo) efferri, brachioque jungi viſa eſt. Nos etiam manum tam doctam pro me-

ritis laudaremus, si ad nos Musæ manus illius stilum attulissent. *Surius.*

Corpora nostra aptemus in vivam Dei hostiam, ut sit fides vera, pura conscientia, cor mundum, caro casta, sanctus sensus, pius animus, vita sancta, verecundus habitus, & ad omne Christi obsequium humilitas nostrum semper comitetur incessum. S.Pet.Chrys.h.109.

S. RAYMUNDUS CONF.
7.Ianuarii.

RAYMVNDVS nobili loco in Hispaniâ natus, cum lacte MARIAM imbibit. Ea deinde pietas cum puero crevit. Nam & in mundo adhuc cùm ageret, sumptus non exiguos fecit, quo festus VIRGINIS ab Angelo Salutatæ dies augustiùs ageretur, & posteà in D.Dominici familiam cooptatus, ipsius DIVÆ monitu novę societatis auctor fuit condendæ, quæ vindicandis in libertatem vinctis sese impenderet. Angelo, qui ei à puero datus est peculiaris, tam est usus familiariter, ut non rarò ad statas ab eo preces excitaretur. Cæterùm cùm pro eâ, quâ erat, Christianâ libertate, in non licitos Jacobi Aragonum regis amores graviùs nequicquam invectus esset, & ex nautis regio edicto absterritis recipere eum jam nemo in navim suam vellet; novus nauta nova vela mari suspendit pallium suum, aspirante cælesti aurâ sex intra horas milliaria emensus C.LX. & Barcinonem appulsus, in cœnobium ad suos per occlusam portam ingressus est. Ibi cum è sociis unus aliquis gravibus tentationum fluctibus jactaretur, ubi primùm in manu litantis RAYMVNDI propitium illud sidus est intuitus, continuò suam menti reddi malaciam sensit. Argonauta verò noster portum

tum cæleſtem tenuit anno M. CC. LXXV. *Ex vitâ apud Bzov.*

Si nobis non eſt ſatis ad ſalutem, quòd virtuosè vivamus, ſed oportet aliorum ſalutem re ipsâ deſiderare; cùm neque nos rectè vivamus, neque alios hortemur, quid reſpondebimus? quæ nobis ſpes ſalutis reliqua erit? S. Chryſoſt. hom. 60. in Matth.

S. LAURENTIUS JUSTINIANUS.

8. *Ianuarii.*

ANnum agenti JVSTINIANO decimũ nonum induta virginẽ Divina Sapientia amplexum tulit, & oſculum. Ab eo tempore omnis illi mundus deſipere, una ſapere religio. Ad hanc cùm ſe recepiſſet, fuit qui, cùm familiaritate (quæ ei cum LAVRENTIO intima erat) deſtitutum ſe indignè ferret, ad ſepta monaſterii cum totâ acie ſodalium veniret: cornu unum citharœdi, alterum armati tenebant. Sed utrumque perrupit LAVRENTIVS, captumque verbis Sodalem in ſua jurare verba, manuſque dare religioni coëgit, plaudentibus utique Superis, quòd jam Theſeus Pirithoum ſuum, non ad orcum, ſed cælum comitaretur. Pòſt tamen LAVRENTIVS ad inſulam extractus, pater pauperum, & hoſtis ſuperborum audiit, mirandaque egit plurima. In ore illud crebrò habuit: *Eam demum eſſe veram ſapientiam, ſcire Deum omnia eſſe, at nihil, hominem,* & illud: *cælo excludendos omnes fore* opulentos, niſi ejus janitores pauperes piâ manu corrumperent. Ego palmarium id puto: perituras Venetias fuiſſe, peſſimo Sodomorum exemplo, niſi potentior apud DEVM Abrahamo LAVRENTIVS interceſſiſſet. Porrò moriturus plumas reſpuit, memor quàm duro lectulo Chriſtus obiiſſet.

obiisset. Et tamen sine plumis in cælos evolavit anno M.CCCC.X. cùm justa illi homines inter Angeli persolverent, funeris dicam tibicines, an virtutis buccinatores? *Ex Surio.*

Vtinam saperes, quæ Dei sunt! intelligeres, quæ mundi sunt! provideres, quæ inferni sunt! profectò inferna horreres, superna appeteres, quæ ad manus sunt, contemneres. S. Bernard. in Ep.

S. JULIANUS M. 9. Ianuarii.

IVLIANVS unicus parentum clarissimorum filius primam ætatem Musis consecravit. Eæ virgines in clientis sui pectus amorem virginitatis cum literis instillarunt. Sed obstitêre votis parentes, castas aures Hymenæo identidem pulsantes. Itaque à cælo antè per somnum armatus BASILISSAM duxit. Verùm precantes thalamo cælestis primùm odor afflavit; mox de servando pudore piè sermocinantibus cum MATRE aliisque Cælitibus CHRISTVS supervenit, qui & audentibus animos addidit, & utriusque nomina vitæ libro descripta ostendit. Ita virgo obiit BASILISSA; JVLIANVS verò etiam Martyr; qui dum ad ludibrium totâ urbe vinctus circumducitur, CELSVS, mali Judicis non malus filiolus, conspicatur eum non tam inter lictorum, quàm Cælitum manus inambulare. Pedes proinde martyris complexus, & Christum puer non pueriliter, & ipse fassus, cum JVLIANO ad ignem damnatur. Sed virtus proba è flammis splendidior nimirũ exit, crescitque, matre etiam Celsi ad Christũ adductâ. Caput demum omnibus sub annum Christi CCC.XI. aufertur. Sed neque sic locus coronæ defuit. *Ex Sur.*

Qui igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo

homo solus super terram habitans, adeò nihil curæ est ei gloria & ignominia. S. Chrysost. hom. 52. in Acta.

S. MARTIANUS CONF. 10. *Ianuarii.*

NOvit MARTIANVS maximæ Ædi Byzantii præpositus orationem, quò cælos & certius, & citiùs peteret, alatam reddere, creberrima illi jejunia & eleemosynas jungendo. Multus præterea in extruendis cœnobiis templisque fuit; monumentis, quæ ferè unica in mortali homine immortalia DEVS probat. Plenam, quoties foras prodivit, manum circumtulit, cum vacuâ nullum à se inopem passus abire. Veste, quàm diu vixit, non nisi unicâ semper usus, hac etiam, cùm nulli ad manum nummi essent, se exuit, & egenum induit, sed divite lucro: quippe qui deinde cùm seminudus pro arâ divinum cibum in populum partiretur, aureâ palàm à cælo veste ornari visus est, ut planè jam quæstum quæsiisse, & pro paupere togâ meliorem ambiisse videri possit. Noctu porrò vigil pius urbem obambulabat, vel quibus tunc etiam benefaceret, egenos, vel quos lotos domi curatosque terræ mandaret, mortuos quærens; ex quibus non pauci revixisse inter studia tam sancta memorantur, & alterum vitæ parentem MARTIANVM salutasse. Jam grassantem in templum suum crudeliter flammam medius ipse objecto Evangelicæ historiæ volumine stitit, precibus domuit, lacrimis extinxit. Secundùm hæc aliaque mira, templo, quod ultimùm ædificabat, & vitæ finem unà imposuit. *Ex Metaphraste apud Surium.*

Manducat Deus in cælo panem, quem perceperit pauper in terra. Da ergo panē, da potum, da vestimentum,

da tectum, si Deum debitorem non Iudicem vis habere; nihil nobis nocebit in terra, si nobis in cælo misericordia sit patrona. S. Pet. Chrys. s. 42.

S. THEODOSIUS ABB. 11. *Ianuarii.*

THEODOSIVM Cappadocem antrum ajunt incoluisse; rectiùs regiam dicerent: nam ad illud divertisse hospites primo itineris sui die tres Orientis Reges memorantur. Totus illi penus palma, cella fons fuit, deliciæ dactyli, herbæque, & lacrimæ. Interim fuit, cùm centum & amplius mensas paucis panibus pasceret: aliàs, cùm Martiani hospes esset, illeque panem sibi deesse quereretur, THEODOSIVS in barbâ Martiani granum hærere frumenti conspicatus, quî potes, inquit, queri, qui tot panes in barbâ circumfers? simul granum in granarium ablatum totum hoc complevit, & veluti angustias hujus accusaret, extra ostia se miraculumque effudit. Aliàs magno Paschatis die, cùm nihil in cibum suppeteret, Numen THEODOSIO mulum submisit instructissimum cibariis, quâ re ille impulsus semper deinde egenis duplicavit pium stipendium. Jam mortis memoriam suis impensè commendavit. Eum in finem sepulchrum quandoque fieri jussit, rogavitque ecquis eo tumulari vellet. Voluit Basilius quidam, qui mox suavissimè excessit è vitâ, nec tamen in odeo sacro vel videri, vel audiri desiit. Prænobilis matronæ filio, dum inter pueriles ludos, lapsus in fontem cadit, absens THEODOSIVS, adfuit tamen spectabilis, &, ne aquis mergeretur innocentia, cavit. Vestis ejus cilicina militum Duci vicem loricæ fuit, & victoriam peperit. Sed & tibi contra hostem

ſtem inteſtinum victoriam ſpondeo, ſi ſimili utaris loricâ. *Ex Surio.*

Magnum hujus vitæ ſolatium eſt, ut habeas, cui pectus tuum aperias, cum quo arcana participes, cui committas ſecreta cordis tui; ut ames & ſequaris eum, qui tibi paternâ pietate in triſtibus compatiatur, in perſecutionibus adhortetur, & in proſperis gratuletur. S. Bern. tract. de Ord. Vit.

S. ARCADIUS M. 12. *Ianuarii.*

MOre Solis virtus hoc pulchriùs nitet, quò diutiùs latet. Teſtem ARCADIVM adduco. Hic ſævientibus ubique terrarum in Chriſtianos tyrannis, ſive homo timore aliquo, ſive CHRISTI mandato inductus, poſthabitis fidei fortunis omnibus, fugâ ſe ſubduxit, & aliquandiu latebras habitavit. Sed nimirum ut vinceret fugit; ex latibulis ſuis velut inſidiis hoſtem expectavit. Etenim cùm irruptione in domum factâ, & non reperto ARCADIO, ad tribunal de amicis ejus quiſpiam raperetur, continuò adfuit; circumventum inexſpectatò tyrannum graviterque increpitum juſſit omnes pœnas in ſe experiri: aciem tormentorum inſtrueret tyrannus, ingenio etiam certaret, in auxilium alios etiam tyrannos evocaret, omnes in ſubſidiis carnifices conſtitueret: ſeſe unicum contra omnia tormenta etiam nudum ſtaturum, ſolâ patientiâ pugnaturum, oſtenſurumque eâ dimicatione, quantum inermis Chriſtianus omnibus minis, & tormentis armato tyranno præſtaret. Deſperavit jam tum judex de victoriâ, & ſententiam tulit, quâ manibus ac pedibus mutilari ARCADIVS jubebatur. Hic fixis cælo oculis inter divinas laudes, ſupplicii locum magnanimus petiit,

membra ad lanienam ipse nudavit, ipse singula truncanda exhibuit; itaque sanguinis sui purpurâ splendidus, sine pedibus ad martyrum tamen partes transivit, sine manibus palmam tamen cepit. *S.Zeno Ep.Veron.*

Ejus est in mundo diu velle manere, quem mundus oblectat; quem seculum blandiens atque decipiens illecebris terrenæ voluptatis invitat. Porrò cùm mundus oderit Christianum, quid amas eum, qui te odit? & non magis sequeris Christum, qui te redemit & diligit? S.Cypr.de mortalit.

S. GODEFRIDUS COMES. 13.Ianuarii.

DUxit GODEFRIDVS Cappenbergensis Comes genus suum è Regio sanguine. Prædantium suorum militum licentiam, si quisquam alius, frenavit, gnarus militum prædam Ducis esse furtum. Arcem suam in cœnobium vertit, & D.Norberti familiæ transscripsit, cum omnibus fortunis, quibus præclarum auctarium unà cum fratre Ottone ipse accessit. Viderunt hoc multò antè in somnis illi, qui de Cappenbergensi arce vel columnam flammantem, vel civitatem nive nitidiorem in cælum viderunt assurgere. Et verò multa, quò moram tam sanctis consiliis injiceret, molitus est cognatus sanguis, nunquam non DEO hæreditatem invidens; sed ille, uti alia humana omnia, ita hæc etiam insuper habuit, conjugeque inter Sanctimoniales relatâ, Norberti institutum avidissimè arripuit. In hoc acerrimus sui hostis, & glorioſissimus victor, vix quidquam cibi sumere est visus, tantùm lacrimis inebriari. Cæli cupidissimus missionem corporis accepit anno M.C.XXXVI. cùm moriturus illa audisset: *Exite obviam ei,* & venien-

tem

tem è cælo comitatum amiciſſimè ſalvere juſſiſſet. Secundùm mortem nepti ſuæ multâ luce veſtitum, & coronâ conſpicuum ſe oſtendit, quæ illa legentibus loquebatur: *Induit me Dominus veſtimento ſalutis, & tanquam ſponſam decoravit me coronâ.* Pulchrè certè honorum cupidos alta conſcendere GODEFRIDVS docet. Comitem abjecit, ut Rex eſſet. *Ex Surio.*

Amor æternæ vitæ & ſpiritualis ſtudium ſapientiæ velut in ſumma cordis tui conſtitutum arce præcellat; quatenus dum fragilem hanc vitam cum ſua ſapientia deſpicis, repleri divino ſpiritu, qui ad æternam te provocet gloriam, felici viciſſitudine, merearis. B. Pet. Dam. l. 8. Ep. 9.

S. FELIX NOLANUS. 14. *Ianuarii.*

FELICI Nolano cum fratre germano ita convenit, ut ignobilior hereditatis portio, id eſt terra fratri, melior verò, hoc eſt, cælum FELICI cederet, ut qui Chriſto militaret, germano Imperatoris caſtra ſequente. Ita diviſis vitæ ſtudiis FELIX ſacris eſt initiatus, ob fidem deinde in vincula conjectus ab impiis, ſed exemptus ab Angelo, juſſus eſt emeritum Præſulem Maximum quærere. Eum in eremo repertum ſemianimem precibus primò, dein uvis, quas de ſpinis legerat, recreatum domum ſuam deportavit. Hinc cum denuò hoſtes ei imminerent, occæcati divinitus, quem auribus ſuis loquentem audierant, apertis oculis non viderunt. Fugientem porrò, & intra geminarum ædium parietinas abdentem ſeſe, improviſo opere ſuo aranea texit, & fuit tam tenuis tela propugnaculum tunc FELICI. Hic Cælitum manu paſtus VI. menſes, & alloquio divino dignus, inſula etiam

esset ornatus, nisi id dignitatis ex innatâ animi demissione in alium ipse transtulisset, quòd eum septem diebus ante se sacris initiatum diceret. Obiit tandem FELIX feliciter, tumulumque templum est nactus; quod cùm augustius posteà D. Paulinus reddere laboraret, solique rusticani duo ædes suas transcribere negarent, ecce tibi ignis nocturnus tecta rusticorũ depastus amplissimam aream descripsit. Neque hoc solùm, sed & aliis deinceps miraculis FELIX luxit. *Ex Surio.*

Eò minus in hac peregrinatione deficies, quò veriùs in fontem divinæ misericordiæ per virtutem spei mentis oculos levaveris. Hæc enim virtus claritate suâ Deum nobis manifestat, & inter hostium catervas intrepidè ante faciem Domini nos perducit. B.Laur.Just.Lig. vitæ.

S. PAULUS EREMITA. 15. *Ianuarii.*

PAVLVS Thebæus XV. annorum adolescens plùs Decium, quàm eremum horruit. Certè hoc unum imprudens Decius boni fecit, quòd ex Christianis eremicolas fecit. Eos inter princeps PAVLVS perhibetur, cui in centesimum usque annum ac decimum spelunca tectum, una eademque arbor palma, & victum, & vestem dedit. Annus agebatur Christianus CCC.XXXIV. cùm ad eum divino jussu visit Antonius, atque tunc prudens dispensator corvus, qui annos jam LX. dimensum suum PAVLO quotidie afferre assolebat panem dimidium, hospitis memor duplicavit annonam. Secundum hæc, cùm, ita monente PAVLO, vestem sepulturæ allatũ iret Antonius, priusquàm rediret, abire inter Cælites in cælos amicum videt, reperitque genibus humi adhuc fixum, passisque brachiis

chiis omnino oranti ſimilem. Cùm ultimum proinde officium mortuo præſtaret, in eo ſocios duos leones habuit, qui ſepulchrum egeſtâ humo parârunt, & mœrenti Antonio crebro mœſtoque rugitu, & ipſi adgemuerunt. Hinc domum revertit nimiùm quantum gaudens, ſpoliis opimis, hoc eſt tunicâ PAVLI è foliis palmæ concinnatâ. Certè non niſi maximis quibuſque diebus feſtis in eâ viſus eſt ſuperbire, ut minùs ego jam mirer ab Hieronymo eam palmatæ etiam Imperatorum purpuræ prælatam, quando in illâ magnus Antonius triumphavit. *Ex S.Hieron.*

Quàm deliciosâ fame affligitur, qui cæleſtis promptuarii dapibus ſatiatur? cui cælum ſit cellarium, cæleſtis promus exhibet miniſterium; quàm feliciter miſer eſt, qui dum terrenis eget impendiis angelicis fulcitur obſequiis: cui xenium divinitùs mittitur, angelitùs miniſtratur? S.Pet.Dam.ſerm.33.

S. JOANNES CALYBITA. 15.*Ianuarii.*

ILle JOANNES eſt, qui in illuſtri Patriciorum familiâ Romæ natus, parentes piè nos docuit fallere. Nam adoleſcens admodum clam his in Syriam abiit, & veſtem indutus religioſam, unico, ſed delicato cibo victitavit, Angelorum pane. Pòſt cùm parentes ſæpenumerò ingereret hoſtis, ægrè illi ſibique facturus Romam iter inſtituit. Ex itinere veſtem ſuam cum mendicantis centonibus commutat, & his ſpoliis ſuperbus ad parentes ignotus divertit, tantæque filius familiæ, tanti patrimonii hæres vix malè ſartam tectamque in veſtibulo ædium ſuarum caſulam impetrat. In hac ille tres annos ad invidiam ſui hoſtis furtivo parentum aſpectu fruitur. Hinc ex tuguriolo ſuo ad

Superûm

Superûm palatia invitatus, matrem advocat; mendicus ægrè impetrat; præsentem jurejurando adigit, velit jubeat in pannuceis suis se tumulari. mox sanctum Evangelii librum, quem puer ab eâ dono acceperat, in manus tradit, atque ita oculos tandem matri aperit, ipse suos claudit. Enimverò malè officiosa velle hîc auream filio purpuram inducere; sed ilicet manus sensit tamdiu rigescere, dum piæ & ultimæ JOANNIS voluntati est obsecuta. Claruit verò sanctior hic in casâ suâ Romulus circa annum Christianum CD.LXVII. nunquam orbi tam notus futurus, nisi tam ignotus fuisset. *Ex Surio.*

Præferenda est Religio necessitudini, & pietas propinquitati. Ea enim est vera pietas, quæ præponit divina humanis, perpetua temporalibus: nesciunt suis parcere, qui nihil suum nôrunt; quoniam Sanctis omnia Deus est. S.Ambr. in Epist. ad Rom.

S. BONITUS EPISC. 15. Ianuarii.

BONITI virtus detecta jam tum divinitus est, cùm matris adhuc utero lateret. Etenim cùm hæc gravida à Sacerdote postularet, bene ut sibi precari vellet, *Quin,* ille retulit, *bene potiùs tu mihi precaris Domine?* Amplius ad hæc obstupescenti, *Ne,* ait, *hoc à te exigere me crede, sed ab eo, quem utero foves, quem ad insulam jam nunc vocari video.* Cæterùm BONITVS adultior factus, cùm maxima quæque munia in Gallorum Regiâ obiret, ita Regis causam egit, ut cuivis dignitati pauperum patrocinium præferret. Ascitus inde ad Episcopatum Arvernensem, dum nocte intempestâ in templo precibus vacat, adspectabilem cum omni aulâ Reginam cæli MARIAM habet; hujus imperio rem

divinam

divinam facit (homini Cælitibus inservientibus) & in laboris præmium vestem aufert mirè candidam, eaque sive materiâ sive arte, quam mirari oculus humanus semper, agnoscere potuit nunquam. Simile sperare posteà ausus è successoribus unus, eòdem se contulit. Verùm quia merita hominis abludebant, dissimilis pullus dissimili modo acceptus, & arcanâ vi domum suam est deportatus. At BONITVS sponte infulam abjecit, vel, ut rectiùs loquar, cum coronâ commutavit, quam ei cùm locos sacros plurimos lustrasset, à morte (cujus ipse sibi vates fuit) cælum decrevit, anno post Servatoris adventum DC. LXXXV. *Ex Surio.*

Qui cupiunt strenuè spirituales persolvere laudes, repræsentent se coram Dei tribunali, & ipsum in spiritu præsentem habeant, uti est, nihilque inter se & eum habere velint, sed tanquam amicus cum amico colloquantur Domino. B. Laur. Just. de discip. Monast. Conversat.

S. FURSEUS CONF. 16. *Ianuarii.*

EX Angliâ FVRSEVM ascivimus. Juventa ejus prodigiis plena reliquæ vitæ præluſit. Post hanc à Musis transiit ad monachos; mox doctor sanctioris vitæ & cœnobii conditor, in quod passim vinctos oratione suâ à mundo abstraxit. Interea sub annum DC. XLIV. semel iterumq; animo è mortali corpore exiit, ductoribus Angelis bonis, qui vel ignea malorum tela clypeo excipiebant, vel quas de minimis etiam vitæ noxiis adversarii nectebant accusationes diluebant. Jam verò è cæli speculâ orbem contemplatus, cùm à quatergeminâ scelerum flammâ (perfidiam, rerum fluxarum cupiditatem, discordiam, atque in mise-

ros

ros crudelitatem Angeli dicebant) ardere omnem didiciſſet, cùm à cæleſtibus Choraulis levem omnem laborem quantumvis magnum, omne tempus quantumvis longum, ad æternitatem breve eſſe audiiſſet, à binis è numero Divorum Præſulibus juſſus eſt ad corpus redire, & flagitioſos ad frugem reducere. Grave illi fuit à Cælitum ſocietate avelli, præſertim ubi ad animæ domicilium corpus exanime ventum eſt. Ingreſſus tamen Angelis ſuadentibus toti jam Angliæ orbem (qualem vidit) cælumque oratione ſuâ depinxit, annoſque porrò XII. ſceleratis in viam reducendis impendit. Poſthæc cùm Romam pietatis causâ contenderet, priùs vitam quàm viam emenſus eſt. Integritatis teſtimonium demortuo corpuſculum dixit quarto ab obitu anno, & ipſum integrum. Animus illuc ivit, quò aſſueverat jam ire. *Ex Surio.*

Fugiantur noxiæ voluptates, inimica gaudia, & deſideria jam jamque peritura. Quis enim fructus eſt ea indeſinenter cupere, quæ etſi non deſinant, deſerenda ſunt? Amor rerũ deficientium ad incorruptibilia transferatur, & ad ſublimia vocatus animus cæleſtibus delectetur. S. Leo ſerm. 5. de Epiph.

S. ANTONIUS MAGNUS. 17. *Ianuarii.*

ÆGyptius erat ANTONIVS, & domi ſuæ nobilis. In primo ætatis flore mundo moriturus ex aſſe pauperes hæredes ſcribit, ſubinde victoriis adversùs hominum hoſtes malos genios nobilitatus; ab iis plagis aliquando peſſimè acceptus, dum JESVM ſuum familiariùs deinde rogat, ubi id temporis fuiſſet, adfuiſſe ſpectatorẽ pugnæ audit. Tam propè à Deo abſumus, etiam cùm longè abeſſe nos putamus. Alias dum mundũ æquio-

ribus

ribus animi oculis arbitratur, aream esse aucupis videt laqueis undique obtectam: scire percupidus, quis hos effugeret, responsum accipit, qui animo demisso esset. Subinde Martyrũ pugnis cùm actor adesse non posset, spectator adfuit, & hortator, judiciq́ue sępe in veste candidâ obvius mortem necquicquam ambiit, eremo pugilem sibi deposcente. Illic cùm ageret, à Constantino filiisque Imperatoribus persæpe litteris salutatus, vicissim eos officii sui commonefecit, & à suo ad divinum tribunal crebrò jussit advertere. Natus annos C. & V. ista suis suggessit documenta: Viverent quotidie morituri: quotidie melioris animi proposita novarent: JESVM assiduè suspirarent: hoc nomine clypeo in hostem uterentur: hæreticorum familiaritatem fugiendo effugerent. Sub hæc mortuus anno à partu Virginis CCC.LVIII. vitæ præconem magnum Athanasium habuit, uti & hæredem pallioli sui laceri quidem & detriti, sed quod virtutem sciret tegere. *Ex S. Athanas.*

Ecce venatorum spiritualium quot sunt laquei ad capturam animarum toto orbe diffusi! hos tantummodo evadunt, qui mundum ipsum dedignantur amare, illum secedendo spernunt, ejusq́ concupiscentiis abdicatis DEO *in spiritu militare proponunt.* S. Laur. Just. de Contempt. mundi.

S. LEOBARDUS C. 18. *Ianuarii.*

IN ingentes opes natus LEOBARDVS ad nuptias non tam invitabatur, quàm cogebatur à parentibus, quas tamen mors utriusque interturbavit. Filius sponsus, ubi justa his persolvit, ad germanum proficiscitur. Sed hic tum fortè ebrius neque agnoscere frater fratrem velle, quin contumeliosè

acceptum

acceptum fide minimè germanâ hoſpitem domo exigere. Hic LEOBARDVS, dum noctem ſub dio agit, cælumque ad faces ſuas contemplatur, Certè inquit, hoc non excludet, niſi aditum ipſe mihi intercluſero. Et quouſque demum ſervitutem mundo ingrato hanc ſerviam? nunquid non mors ipſa parentum ad pileum vocat? nolentes mundo mortui mori me volentem docent. At innumeras opes numero. nempe quas pater heri, ego hodie, cras alius numerabit. Sponſa mihi eſt. Mater ſcilicet bella mihi, & lites pariet. Et ubi tunc caſtiſſimi nunc animi lilia? morientur hæc; & ego Superis tam nobilem odorem invidebo? Ergo tibi hunc mentis candorem, ô cælum, tu verò terra, res tuas tibi habe. Exulabis & tu animo noſtro. Iraſceris? prior excluſiſti. Hæc ſecum LEOBARDVS, mox recta Aſceterium; ibi ipſos duos & viginti annos anguſtiis cellæ incluſus aditum ad ſe mundo viciſſim negavit, neque tamen vel talis ſine prole in cælos abiit. Reliquit poſt ſe virtutem nobilem filiam & vobis, Sodales Parthenii, locandam. Cur abnuitis pauperē ducere? dabit cælū dotē. *Ex Sur.*

Non in nobis flamma libidinis æſtuet, non turpis cogitatio pulchram animæ noſtræ coram DEO *ſpeciem fœdet. Non nos terrenæ facultatis abundantia in ſuperbiam erigat, non tenacitas miſericordiæ viſcera pauperibus claudat: Vigeat in nobis perpetua caſtitas.* S. Pet. Dam. ſerm. 65.

S. LAUNOMARUS ABB. 19. *Ianuarii.*

E Galliâ eſt hoc lilium, quod manu tenes. Multa inde in roſaria Mariana transferemus; intereà iſto oculos oblecta. Naſcitur ergo LAVNOMARVS anno poſt natum Servatorem vigeſimo ſupra

supra quingentesimum. Puer genium suum defraudat, ut inopum ditet. Hinc Sacerdos, ex Sacerdote nobilis eremi cultor cœnobium exædificat, & silvas facit habitari. In his feræ à lupis agitatæ asylon sinum pandit, verissima aurei seculi ovis. Inde optimus orator oratione suâ suadet arbori ingenti, aliò ut migret, & persuadet. Depopulantem porrò omnia flammâ uno Crucis signo exarmat: ægris sanitatem pristinam plurimis impertit. Sed non perinde avaro nescio cui facere medicinam placuit. Fuit hic oppidò dives, sed letho proximus rectè pauper sibi videbatur. Mittit itaque XL. aureos LAVNOMARO, sive ut DEVM sibi per hunc propitium redderet, sive ut fortè sic mortem auro corrumperet. At verò LAVNOMARVS ad severum in arâ examen singulos expendere, &, unico duntaxat servato, alios omnes remittere, gravi additâ denuntiatione, quâ & expostulabat, quòd furtum munus Deo obtruderet, & simul mortem indicebat. Et verò non huic tantùm, sed universæ Galliæ vastitatem clademque vaticinatus est; ipse tamen ne hanc videret, morte oculos clausit. *Ex Surio.*

Homo, mitte & præmitte thesaurum tuum in cælos, ne cælestem animam demergas in terram. Aurum de profundo terræ; anima ab excelsis cæli. melius proinde est, ad sedem suam deferri aurum, quàm in sepulchro auri Anima demergatur. S. Pet. Chrys. serm. 22.

S. ABUNDANTIA VIRG. 19. *Ianuarii.*

SAtis laudasse ABVNDANTIAM videri possem, si illud modò dicerem, & natam & mortuam laudatam ultrò ab ære campano fuisse. Adjiciam tamen alia pluscula. Cùm sacro fonte tingeretur,

dicuntur

dicuntur lampades templi suâpte sponte accensæ, & infanti lucem & urbi infantem gratulatæ esse; ipsa ABVNDANTIA jam tunc in innocentis feminę patrocinium (adulterii rea agebatur) fuisse facunda. Jam octennem ferunt ab icone pueruli JESV MATRIS sinum insidentis pomum aureum, quod manu fortè pictum gestabat, petiisse & adeò impetrasse; ἀνπόδωρον deinde flores (ab hieme donatas) eidem attulisse, & ut acciperet persuasisse. Sed hucusque cælum cum puellâ lusit. quæ dicam severiora sunt. Itaque memorant cum Majolo Abbate matreque Jerosolymam iviisse, & cùm cætera Christi vestigia, tum illa potissimùm venerabundam exosculatam fuisse, ubi ille pondere Crucis fessus obviam MATREM habuit, heu! alteram tunc oculis suis crucem. Hic lacrimis diffluere voluisse ABVNDANTIAM; hîc flagris ita in sese sæviisse, ut sicut oculi in fontem, ita sanguis fusus in rivos abire videretur. Abhinc Angelo duce in antrum Onuphrii deveniisse, illicque feminam viri vitam vixisse. Ad extremum repertam à patre reductamque in patriam, omnem, hoc mortuo, hereditatem egenis cessisse; mortuam deinde etiam ipsam pro funere ab Angelis laudatã cantu fuisse. *Ex Ferrar.*

Ad cælestia regna suspires, voluntatem Dei facias, imiteris Angelos super terram, adversùs tentationes pro pietate confligas; & si cælestis militiæ sacramenta servaveris, non dubites te in castris triumphalibus Regis æterni victoriâ coronandum. S. Leo s. 2. de Nat. Dom.

S. SEBASTIANUS MART. 20. *Ianuarii.*

ANno post CHRISTVM natum LXXXVI. supra CC. Marcus & Marcellianus Christiani milites ad defectionem vehementer à parentibus solicitaban-

citabantur. Enimverò interponere se hîc Tribunus SEBASTIANVS, turpemq; à tam sanctis castris fugam omnibus viribus dissuadere. Dicenti cælum applausit, piumque oratorem lumine suo vestiit, simul vox insonuit ejuscemodi, *Nunquam non mecum eris.* Ab eo tempore non jam fictum Æsculapium Romani habuerunt. Ita omnes morbos pellere SEBASTIANVS; ita doctè, dum corpori medicinam faceret, animum quoque morbidorum ad sanam fidem adducere. Inter hos cùm jam urbi etiam Præfectus numeraretur, imperio Diocletiani malè sani medicum suum sagittis confodiunt, confossum & prope exanimem negligunt. Sed qui SEBASTIANI manu curare alios voluit, suâ SEBASTIANVM non possit? imò verò adest ille incolumis, & sub aspectum tyranni iterum se sistit; mox tamen inter fustuarium fortem animam expirat, corpusque in cloacas abjectum Lucinæ tumulandum committit. *Hæc ex Sur.* Cæterùm ejus cranio hodie Eberspergæ Bojorũ gloriatur, magnâ semper illuc confluentium religione, longè tamen majori recedentium, ubi votorum damnati sunt, lætitiâ.

O verè illum degenerem & omnis boni expertem, qui cælestis vitæ amore non capitur; qui timet hanc perituram perdere, ut illam possit accipere, quæ perire penitus non novit. Ex Orat. S. Sebast.

S. NEOPHYTUS M. 20. *Ianuarii.*

ITa est. uti sua adolescentem etiam urticam acrimonia loquitur, ita suus nobilissimũ quemque flosculum, cùm primùm exoritur, odor terris cæloque prodit. Ita, quem tibi pinximus, NEOPHYTVS Nicæâ Bithyniæ oriundus jam inde à puero

puero sanctiore spiritu visus est agi. Hic sub columbæ candore lectulum sæpenumerò Divi volatu ambire: hic postquàm matri, quam ab eâ nascendo acceperat, vitam reddidisset, Dux ei in montem Olympum esse, speluncam hospiti monstrare, & à feris purgare. Ecquid porrò mirum, si post ipsum Numen, Angelum etiam tutelarem tam habuit familiarem? Nam iste victum clienti suo ministrare; iste sub annum trecentesimum, cùm vale jam parentibus divino jussu dixisset, opesque in pauperem turbam erogasset, ad tribunal Decii Imperatoris comes esse, testis virtuti clientis sui apud Superos, & præco futurus. Ibi Martyr à flagris, flammis, ferisque innoxius, nocenti tandem carnificis ferro cecidit, monuitque non mentiri poëtas, qui ex Olympo ad cælos esse aditum canunt. *Ex Martyrol. Rom. & Menæis Græcis.*

Delectatur Dominus JESVS *in gravitate vitæ, in cordium puritate, & in perfectione virtutum servorum suorum. Propterea Angelicam conversationem tenere conentur, quotquot cœlesti domino gratissimum desiderant exhibere famulatum.* B. Laur. Just. de discip. Monast. Convers.

S. FRUCTUOSUS E. M. 21. *Ianuarii.*

IBant ab Æmiliano Præside missi lictores, qui FRVCTVOSVM Tarraconis Episcopum in vincula abriperent. Non fugit hic, sed bonum se pastorem probaturus obviam etiam ivit lupis. In carcere verò constitutus signum scilicet exspectavit, quo currere ad immortalitatem juberetur. Jamq; feria VI. aderat, quâ Christus ipse martyribus mappam misit, cùm FRVCTVOSVS duobus stipatus comitibus ad rogum cucurrit. Ex itinere oblatum à

piis

piis hauſtum Chriſti exemplo reſpuit, jejunii ſui etiam in morte tenax. Nudis pedibus flammis tamen inſultavit, atque inde veluti pro roſtris Chriſtianos eſt adhortatus, oculos in æternitatem defigerent, non cruciatus breves. Jam vincula flammis ſoluta manus ſolverant, cùm FRVCTVOSVS, explicatis in crucem brachiis, cælum ſpectare, cælum precibus pulſare. Et ecce panditur hoc, & Martyres (ſpectantibus triumphum impiis) inter flammarum globos, ad cælum evolarunt, coronis omnes inſignes, indeque rident admotas necquicquam à judice machinas. Tam illuſtrem itaque rogum non aquâ ſed mero diluendum duxerunt Chriſtiani; ſed diſtinguere laborantibus ſacra oſſa, è cælo FRVCTVOSVS adfuit, vetuitque terris diſjungi, quos cælum junxiſſet. *Ex Surio.*

Laborare non vis, qui utrùm vivas uſque ad ſenectam neſcis: quare differs vocantem te, certus de mercede, incertus de die? vide ne fortè quod ille tibi daturus eſt promittendo, tu tibi auferas differendo. Aug. ſerm. 59. de verb. Dom.

S. MENRADUS MART. · 21. *Ianuarii.*

FUit MENRADVS Suevici ſanguinis Comes. Tirocinium melioris militiæ in Aſceterio (Augiam Divitem dixere) poſuit. Mox ex tirone miles, ex milite Dux caſtra in Eremum movit, ſemper inclytus victoriis ab orco reportatis; qui tam densâ quandoque acie caſam oppugnavit militis noſtri, ut ſuam diei cum ſole lucem eriperet: ſed ſolvit oppugnationem unicus bonus genius Cuſtos MENRADO datus, qui cùm aliàs ſæpè, tum precanti imprimis viſendus adfuit. Ita vitam ſolam agenti in annum XXVI. latrones gemini ſu-

pervenerunt, quos ipse, quamvis cogitati facinoris minimè ignarus, benignè & accepit & habuit. At illi secundùm sacrificium & preces, hospitem suum necant ingratissimi, & ponè caput cereum, uti vivus petierat, statuunt. Is suâpte vi accensus, & jam decrescens, cùm stipulas lectuli comprehendisset, veritus sacrum caput attingere, sponte iterum extinctus memoratur. Corvi interim & ipsi gemini, ac diu è manu Divi diarium accipere soliti, pulchrè se & Patronum suum vindicarunt. Alas quippe, & ungues intentando in oculos, & voce, quâ poterant, parricidas clamitando, tamdiu prædones sunt insecuti, quoad in vincula tandem conjecti sunt, post paulum iterùm pœnas corvis daturi. *Ex Surio.*

Si quando animus tuus acceptæ injuriæ dolore exarserit, fac tibi Christus Christiq; vulnera in mentem veniant, quantulaq; pars hæc sit eorum, quæ Dominus tuus perpessus est; hac ratione animi dolorem velut aspersâ aquâ extinxeris. Greg. Naz. in sen.

S. AGNES V. 21. *Ianuarii.*

AGNES è primâ Romæ nobilitate vix dum annos nata tredecim, candidum pudoris florem sanguinis sui purpurâ pinxit. Nam Agno dudum nupta dum oblatum à filio Urbi Prefecti thalamũ longè repudiat, vestibus spoliata in lustrum abripitur; sed mox ab Angelo bono, divinâ luce contra impuros armatur, & veste de cælo data ornatur. Irrumpentem exinde, de quo dixeramus, CHRISTI rivalem, ideoque à malo dæmone suffocatum vitâ iterum donat, & tamen ab Aspasio flammis addicitur, sed quas ad preces virginis cælestis ros illicò extinxit. Gladio denique trajicitur nova

nova urbis Romæ, sed virgo, sed non latro, Lucretia. Porrò dum Emerentiana virgo ad AGNETIS tumulum precatur, lapidibus obruta suoque lustrata sanguine (nam fonte sacro non erat) à parentibus AGNETIS prope filiam conditur; quibus non multò pòst inter candidatum virginum agmen AGNES cum AGNO sponso suo visendam se dedit vetuitque deinceps mœrere, & tam felicem thalamum, quem optimè nupta inscendisset, lacrimis aspergere. *Ex S. Ambr. & Brev. Rom.*

Prospectant sancti Angeli tui certaminis exitum, coronas gemmis coruscantes tenentes in manibus, ut illas perseveranti largiantur. Pudeat te, oro, pudeat in conspectu cælestis senatûs & Imperatoris æterni segniter dimicare. B. Justinian. in fascic. amoris.

S. ANASTASIUS MART. 22. *Ianuarii.*

OPima spolia abstulisse in Persiam se Cosrhoas putavit, cùm Crucem S. abstulit, sed nimirum quæ Persiam spoliarent. Sanè multorum fides nostra in animum, simul Crux in oculos venit, interque eos ANASTASII celebris magi filii, qui cum de Cruce Crucisque anathemate multa curiosè quæreret, jam tum gestiebat magna pati pro maxima patiente Christo. Itaq; sanctissimus transfuga Jerosolymæ Christianum, mox monachum induit; nullâ re sic delectatus, uti res fortiter à Divis gestas legendo, martyribus præsertim, quibus ille tot palmas tyro invidebat, & intereà cùm sanguinem nondum posset, lacrimas ubertim fundebat. Ut primùm ergo in privato pulvere exercuit sese, prodiit in aciem ultrò hostem lacessens. Igitur ad latomias damnatus saxa tulit, dein verbera. at ille supinus membra etiam nuda lubens pul-

sanda præbuit, modò vestibus sanctis parcerent. Tanti ille jam tunc fecit cucullum, quem heri natus ridet hodie hæreticus. Cæterùm collum pedemque communibus cum nescio quo scelerato vinculis ligatus dies noctesque velut Hilaria inter cantus solennes traduxit, ut jam ad se Cælites etiam raperet pontificali majestate & insolito splendore insignes, quos inter visus est unus aliquis odoribus (ah! qualibus?) Martyrem venerari. Igitur post altera virgarum clavæque verbera, post tibias fractas aliaque supplicia, tandem cum XL. sociis Martyrum torque, laqueo, est donatus. *Ex Surio.*

Non interroges ô homo ea, quæ pateris, sed quæ Christus passus est; quanti te fecit ex his, quæ pro te factus est, agnosce. Quantò enim minorem se exhibuit in humanitate, tantò majorem exhibuit in bonitate: & quantò pro me vilior, tantò mihi charior est. S. Bern. serm. 1. de Epiph.

S. CLEMENS E. M. 23. *Ianuarii.*

TRiumphavit CLEMENS Præsul Ancyranus sub annum CCC.III. quando sub sacrificium (ad quod aliàs Cælites illi panem & vinum ministrarunt) ferro cecidit. Rarò tam splendidè in cælo est triumphatum. Lictores labore fessi victique innumeri præcessêre. Acti ante currum tyranni, Domitianus, Diocletianus, Maximianus, aliique non unâ pugnâ devicti. Præferebantur virgarum, flagrorum, funium, catenarū, fustium, taurearum, securium, saxorum benè magnus numerus. Hinc culei, equuleique & obelisci sequebantur. Inde è ferro manus, galeæ, styli, subulæ, ungulæ, laminæ, pectines, rotæ, grabati, fornaces, omnia à flammis ignea.

ignea. Ostendebantur adhæc picis, olei, sulphuris liquati & vivæ calcis vis ingens, major minarum tyrannicarum, multò maxima blanditiarũ, opumque frustrà promissarum. Visebantur ergastulorum carcerumque simulachra. Ipsum mare captivum ducebatur, & præter alias devictas urbes Ancyra, Nicomedia, ipsa adeò Roma gerebatur, & triumphata triumphos suos erubescebat. Currum leones (pedes etiam triumphantis lambere edocti) trahebant. Hunc secuta innumera turba est pileata, omnes è Deorum servitute in Christianam libertatem CLEMENTIS virtute asserti. Tot cæli cives servati totidem Servatori suo coronas porrigebant. addidit cælum triumphalem, Angeli plausum, & carmina. Nos ignavi triumphos laudamus, & pugnas horremus. *Ex Surio.*

Quisquis gaudes fortiter egisse Martyres Christi, corripe & ipse arma inter milites Christi. desunt exteriùs hostes? verte arma in te, & multos seditiosos invenies cives. Doma superbiam, jugula invidiam, extingue libidinem, crucifige carnem tuam cum vitiis & concupiscentiis. B.Pet.Damian.serm.31.

S. JOANNES ELEEMOS. 23.*Ianuarii.*

CUm annum ageret XV. JOANNES, misericordia divina manifestâ in luce sponsam se ei obtulit. Annuit continuò. Et ratum conjugium Superi habuerunt, dotemque addiderunt, tam opulentam, ut semper deinde haberet, quod in egenos effunderet. Archiepiscopus jam Alexandrinus lustrum egit clientum suorum, hoc est, pauperum, numeravitque septies mille & quinquaginta, quibus omnibus deinceps in singulos dies victum subministravit. Sed nec ulli alii piam

manum unquam subduxit, ut meritò id certaminis cum DEO suscepisse sit visus, plúsne hic dare, an reddere ille posset. Munificentiam vel ex eo vide, quòd ultimum ægrotanti unicus super teruncius fuerit vix naulum morituro. Ipse in testamenti sui tabulis reperisse ingenuè se fatetur in ærario auri pondo octies mille, & hæc decies millies, & amplius aucta dilapidasse se in pauperes gloriatur. Anno igitur D.XCII. è corporis ergastulo in palatium abiit, quod piæ ipsius munificentiæ structũ in cælo Troilus vidit, & verò invidit posteà, cùm tam bonæ prodigalitatis æmulus est factus. Venienti obviam JOANNI sua è cælo Sponsa processit cælestis aulæ cubiculario comitata, manuque peramanter prehensum ad DEI conspectum deduxit. Ipse JOANNES nec mortuus sibi dissimilis, oleo, quod è tumulo suo dedit, in miseros mitis esse perrexit. *Ex Surio.*

Nihil aliud, qui conversaris in sæculo, exigit à te Deus, quàm ut mandata illius custodias, proximum diligas, & pauperibus alimoniam præbeas: Eroga igitur inopiam patientibus, quod tibi præstitum est, ut in cælo recondas thesauros imprædabiles. B. Laur. Justin. de complanct. Christ. perfect.

S. ILDEPHONSUS EP. 23. *Ianuarii.*

DEbemus hoc sidus (ILDEPHONSVM) Hispaniæ, in quâ ortum ad nos usque (uti ferè solet virtus) radios transmisit. Juventam egit in Musarum familiaritate, quibus propitiis magnam eloquentiæ laudem sibi comparavit. Ab his in adyta sanctioris sapientiæ se penetravit, sustinuitque inter monachos repuerascere grandis discipulus. Ab his ad insulam Toletanam abstrahitur, tam orbis quàm

quàm cæli amor. Et hem tibi ejus rei unum alterúmve teſtimonium. Precanti Angeli tumbam S.Leocadiæ recluſerunt, & Diva ipſa flammeum ſuum obtulit; unde ille abſciſſam partem unà cum Regis Receſwindi cultro, & ipſo tam ſancti velaminis tactu jam ſancto, argento incluſit. VIRGINEM MATREM principe ſemper ſtudio coluit, ejuſque SS.integritatem inſigni volumine contra hæreticos edito propugnatum ivit. Nec gratis. ASSVMPTÆ ſiquidem in cælos die, cum ſupplicabundus cum ſuis templo proximus jam eſſet, Cælitum manus fores pandit, & virgines inter VIRGO MAXIMA in ſede Pontificali conſpicua, eidem veſtem mirifici candoris donavit. Ea hodieque religiosè aſſervata docet, quo filios ſuos Magna Mater uti veſtis, aut certè animi colore cuperet. *Ex Surio.*

Talis fuit Maria, ut unius vita omnium diſciplina ſit; Si igitur autor non diſplicet, opus probemus; ut quicunque ſibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum. S.Amb.de Virg.

S. BABYLAS EP. M. 24. *Ianuarii.*

EUm ego triumphum laudo Divorum, quem non ſoli ducunt in cælum, ſed cui comes ſervata juventus ambulat. Talem hodie BABYLAS duxit. Fortè templo ſe Antiochiæ inferre Decius properabat; cùm adventanti BABYLAS Antiſtes ſe objecit, & pro eâ, quâ erat Chriſtianâ libertate, cani tyranno aditum intercluſit. Hic in rabiem verſus, templum ferro flammiſque exſcindi, BABYLAM jubet in carcerem abripi. Ecce autem nobiliſſimam vinculorum magiſtri appendicem ter geminos adoleſcentulos (URBANVM, PRILIDIA-

NVM & EPPOLLONIVM dixere) lectiſſimos floſculos, & quos mellitiſſimis verbis pridem ſibi magiſter BABYLAS conciliârat. Poterant hi in ruborem etiam Spartam dare, tam forti animo vel alapas devorabant, vel plagas concoquebant, quæ cùm pro numero annorum ſingulis ingererentur, doluere ſcilicet, non Pyliam ſibi ætatem eſſe. Stabat inter hæc egregius Doctor, oculoſque diſcipulorum virtute paſcebat, animiſque identidem animos de ſuis addebat. Quid multis? ferro omnes cæſi, & magiſter diſcipulis, diſcipuli magiſtro ſunt immortui. Tam mordicus, ſemel virtute magiſtrorum capta juventus lateri eorundem hæret. Cæterùm BABYLAS vincula nec mortuus dimittere, ſed in tumulum aſportare voluit, id quod erat, ratus, nullos expeditiùs ad cælum pedes currere, quàm vinctos pro cælo. *Ex Surio.*

Si vis ad perfectionis faſtigium provehi, amodo neceſſe eſt, in cunctis virtutum ſtudiis exerceri, videlicet dum ætas tua cerea eſt, dum mores teneri in quamlibet partem valent indifferenter adduci; cùm ipſis corporalibus incrementis coæva virtutum exercitia coaleſcunt. S. Petrus Dam. l. 6. Ep. 26.

CONVERSIO S. PAULI. 25. *Ianuarii.*

ANnus, qui poſt CHRISTI ad Superos reditum erat ſecundus, idem ſecundiſſimus SAVLO fuit. Hoc enim ille, perſonâ feliciter poſitâ, PAVLVM induit, adnitēte potiſſimùm apud DEVM D. Stephano, non minùs tum in cælis, quàm terris olim pro hoſtibus ſuis piè ſolicito. Ibat SAVLVS minarum plenus, & in vincula ipſam (ſi Superi ſinerent) fidem tracturus; cùm ecce tibi ſubita ab alto vis fulgorque audaciam attonito omnem excutit,

cutit, & feroces humi spiritus cum domino suo affligit, simul vox istiusmodi cælo intonat: *Saule, Saule, quid me persequeris?* mox sciscitanti: *Quis es Domine?* responsum redditur: *Ego sum* JESVS *Nazarenus, quem tu persequeris.* Atque hæc demùm vox illam nobilissimam expressit: *Domine quid me vis facere?* Ergo Damascum conferre se jussus, eò à comitibus, & ipsis rerum gestarum miraculo stupentibus abducitur. Ibi triduum apertis oculis cæcus ac jejunus ab Anania demùm & oculorum, &, quod caput est, fidei donatur lumine. Hoc ille deinceps per omnes provincias circumferens tot gentibus accendit, ut rem mihi attentiùs consideranti unus quidem hodie cecidisse PAVLVS, cæterùm surrexisse cum PAVLO totus orbis videatur. *Ex Act. Apost.*

Sicut modò nemo est, qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo, qui possit. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis justitiam. S. Bernard. serm. 1. in Epiph. Dom.

S. POPPO CONF. 25. *Ianuarii.*

VIdetur POPPO ad gloriam paternam bellicasque laudes ab ipso matris utero properasse. Etenim jam tunc latere respuens septimo statim mense in lucem, mox ubi per ætatem licuit, ad bellum prodiit. Pietatem tamen comitem secum traxit, & subinde ad vestigia Christi Jerosolymam, aliàs Romam ad Principum Apostolorum limina invisit. Redux, dum nuptias easque illustres cogitat, jamque ad has equò properat, cælesti luce se animumque atque adeò hastam etiam suam fulgere animadvertit. Inde omen auspiciumque melioris militiæ capit, & sacramentum apud mona-

chos dicit. Inter tyrocinii tempora cùm fletu alios inundari, ipse pumex, videret; saxo è pectore fontem oculis statuit petere. quod factum posteà tam abundè, ut pavimenta, & vestes sacrificantis fletu maderent, interque cœnulam plus videretur lacrimarum quàm aquæ bibere. Magnatibus etiam familiaris pacem inter Conradum Imp. & Henricum Regem sanxit. Venenum non semel innoxius bibit, illis morientibus, qui miscuerant. Pastorem à lupo laniatum vitæ, & gregi reddidit: dæmonem ludicrâ alapâ fugavit. Moritur denique cilicio incumbens, terramque matrem prono pectore deosculans. Mortuum sex dies odor mirissimus laudavit suavissimusque; tumularunt inter homines visi Angeli, sepulchrum verò ingentia miracula ornarunt. *Ex Surio.*

Ornari abs te Diabolus quærit. si Calicem aureum invenisses in terra, donares illum Ecclesiæ Dei: accepisti à Deo ingenium spiritualiter aureum, & ministras inde libidinibus, & in illo Sathanæ propinas teipsum. S. Aug. Ep. 41.

B. HENRICUS SUSO C. *25. Ianuarii.*

HENRICVS Svso Constantiæ in D. Dominici familiam adlectus simulque à JESV in adyta amoris inductus, JESV nomen pectori insculpsit ingeniosus cælator. Digitales erant literæ, quæq; ad cordis motum, & ipsæ movebantur, ut cum hoc dudum conspirasse, idemque utrobique agi scires. Intereà inter dolores deficientem alterum, & è cælo lapsum nomen JESV è cruce auro gemmisque rutilans recreavit. Et cur à Filio Mater abesset? MARIAM salutare ante solem gestiebat, tunc præsertim, cùm idē facere Angelos audiisset, illis

illis verbis, *Stella* MARIA *maris hodie processit ad ortum*: quandoque etiam ad cantus illos socius admissus. Jam Kal. Jan. & Maii, quibus Suevia vel Xeniis vel cantu certat, ille totos dies JESVM & MARIAM sonare, flores Cruci dare, hanc osculis fatigare; ut post tot amores manifestus iterùm JESVS HENRICI nomen in AMANDI mutarit, & MARIA (cujus solo nomine in fugam orcũ dabat) humana nauseanti cælestem liquorem propinarit. Cæterùm (mecum mirare) hucusque in primo gradu virtutis consistere AMANDVM suum Christus docuit, & Seraphinum alatum in cruce suâ indutus docuit per adversa non ire, sed volare in cælum. Abhinc scortator, sacrorum fur, impostor, veneficus audiit AMANDVS, ut succumbere potuisset, nisi JESVS & MARIA Angeliqúe colloquiis suis identidem firmassent. His succollantibus in cælos evasit, anno M.CCC.LXV. qui sequi volunt, legant scandantque *Rupes*, quas scripsit. *Ex Ann. Ordin. Præd.*

Tristatur aliquis? veniat in cor ejus JESVS, *& inde saliat in os, & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, & redit serenum. Labitur quis in crimen, currit ad laqueum mortis, nónne si invocet nomen vitæ, respirabit ad vitam?* S. Bern. serm. 15. Cant.

S. POLYCARPUS EP. M. 26. *Ianuarii.*

ANtistes Smyrnensibus POLYCARPVS à Divo Joanne Apostolo datus est, eâ apud omnes fuisse auctoritate memoratur, ut subinde sperare ausi sint Judæi, Christianos, misso Christo, POLYCARPVM secuturos. Libertate quàm Christianâ in dicendo fuerit, argumento sit ejus cum Marcione hæretico congressus, qui cùm ad conspectũ suum

exhorreſcere Divum videret, audaciâ linguam armante, *Noſce nos*, ait, *amabo*. At POLYCARPVS, vultu ad ſeveritatem compoſito, id tantùm reſpondit, *Novi equidem primogenitum Sathanæ*. Cæterùm Romæ cùm degeret, divinitùs de morte ſuâ edoctus, lictoribus obviam progreditur. Sub pugnæ initium voce è cælo animatur, jamque Chriſto malè juſſus dicere: Quî, inquit, malè illi poſſum dicere, qui ipſos LXXX. annos famulanti ſibi mali nil fecit unquam? Ergo ad rogum damnatur. Sed virtutem ipſe abſolvit ignis, dum tangere veritus ſtructâ velut è flammis porticu ambit innocentem, nec jam lædit, ſed tegit, ſuaviſſimum interim in adſtantes odorem ejaculatus. Ad extremum gladio confoſſus ſanguine ignem extinxit, nobili nimbo, & quem vel ſuis imbribus cælum præfert. *Ex Surio.*

Quomodo tu hodie in mundo conſtitutus & cras tribunali Dei præſentandus audes blaſphemiam proloqui? & non metuis ne fortè ignis de cælo deſcendat & te devoret; tuum os adversùs omnipotentem aperis, neque vereris ne terra ſub te diſrumpatur & te abſorbeat? S. Ephrem paræn. 83.

S. JOANNES CHRYSOST. EPISC.
27. *Ianuarii.*

CHRYSOSTOMVM laudibus ſuis pingat alter Chryſoſtomus; nos umbram damus. Nondum Pontifex Byzantinus erat JOANNES, cùm in ejus conſpectum ſe dedit Apoſtolorum Princeps D. Joanne Evang. comite, & ſanctioris poteſtatis ac magiſterii indices claves illi ac librum obtulit. Et verò quid mirum, ſi hoc Doctore etiamnum orbis gaudeat, qui præceptorem magnum Paulum,

lum, imò eundem cum Paulo magistrum Spiritum S. habuit? Nam hunc obvolitantem capiti suo, dum sacris operaretur, conspexit ipse; illum, dum ad mensam scriberet, assistere dictanti similem alii etiam viderunt. Talis itaque JOANNES cùm urbe suâ hæreticos, & cum his vitia alia, ac blasphemiam imprimis proscriberet, sanctæ libertatis vindex acerrimus, æqui justiq; unicus amator in odium Augustæ Eudoxiæ incidit: nam JOANNES imperii sui etiam in Reges memor templi aditu gravibus ex causis profanam prohibuerat, & in statuam ejus, quæ propter templum choreis ludisque non sanctis colebatur, graviter detonuerat; jamque secundùm exul in meliorem patriam cælum abiit, ad id à geminis, quos suprà memoravimus, Apostolis & D. Mart. Basilisco invitatus. Siluit itaque aureum hoc os anno post reparatam salutem septimo supra quadringentesimum. *Ex Surio.*

Tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam; sit tibi vel oratio assidua, vel lectio; nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum; ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. S. Cypr. Ep. 2. ad Don.

S. JACOBUS POENITENS.

28. *Ianuarii.*

HOminis, mi lector, speculum cape & peccantis & pœnitentis, JACOBVM inspice. Hic postquàm Anachoretes XL. omnino annos DEO militavit, miranda maxima patravit, trophæa de hoste inferno statuit plurima, id ætatis vir à feminâ demum triumphatur, & ab eâ feminâ, in quâ ipsum cacodæmona non horruerat, imò è

quâ victum ejecerat. Huic itaque infelix primò pudorem, mox vitam extorquet. Et verò tertium scelus accumulasset desperabundus, & victum se mundo dedidisset, nisi à tam turpi fugâ sanctissimi viri operâ DEVS retraxisset. Tum enimverò ad se redire JACOBVS, sepulchrum vivus subire, mortem suam vivus deflere in decimũ annum usque: cælo interim oculos nunquam attollere, vix semel aut iterum in hebdomade de herbulis vesci, quæ ad ostium conditorii crevissent. Ipse certè Apostolus peccato mortuum dixisset. Sed nunquam pulchriùs ille vixit, quàm sic mortuus. Nam suppliciis hic spontaneis placatum Numen disertis verbis ex Episcopis nonnemini significavit, beatum imbrem, quem tam anxiè sed necquicquam postulabant, non nisi ad preces JACOBI concedendum. Atque hoc aliisque ejuscemodi miris cùm iterum orbi innotuisset, mori denique desiit annos natus LXXV. habuitque novo more unum idem, & domicilium & sepulchrum. *Ex Surio.*

Cur pudet peccatum tuum dicere, quem non pudet facere? aut cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potes abscondi? Quòd si pudor tibi est, uni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit? S. Bern. in sent.

S. CONSTANTIUS EPISC. M.
29. *Ianuarii.*

NObilissimis parentibus ortus est CONSTANTIVS; opulentam hæreditatem his demortuis aditurus, nisi alios succedere sibi hæredes vivus voluisset; inopes scilicet assem CONSTANTII abstulere. At hic insulam Perusinam paulò pòst tulit.

Quia

Quia verò geminis cæcis curatis oculos multorum Ethnicorum, M. Antonini ævo, aperuit; post crudeles verberum cruciatus in bulliente ab ignibus balneo plagas scilicet jubetur abluere. Verùm sub noctem illuc quoque de cælo lumen affulget, fideique lucem custodibus accendit. Iis auctoribus fugam capit, sed retractus, qui priùs aquas, nunc in prunis ignē triumphat. Amissus proinde, sed tertium jam captus atrociſſimè cæditur, molliſſimè curatur ab Angelis, à tyranno denique capite plectitur. Funus ejus Cælites curarunt, cantuque tamdiu celebrarunt, dum Leucianus divino monitu eam curam in se reciperet. Id dum fit, & duo à fide alieni funus rident, oculos amittunt, dum lugent, recipiunt. Sed & aliis duobus pulsâ oculis nocte lux rediit, ut suum jam omnes in CONSTANTIO solem agnoscerent, qui diem oculis, ut luberet, vel auferret, vel ferret. *Ex Surio.*

Si non vales pro Deo mortem subire, vales tamen vitam Deo placabilem ducere. Magnum quippe est mori pro Christo; sed non est inferius, vivere Christo. Non potes sanguinem fundere, potes temetipsum pœnitentiæ telo percutere, & in cordis contritione mactare. B. Pet. Dam. serm. 33.

S. ALDEGUNDIS V. 30. *Ianuarii.*

ETsi Numen amore omnes omninò animas depereat, fatendum tamen est, non rarò etiam illustres ceras apud homines quæsiisse. Ita ADELGVNDEM è regiâ Gallorum stirpe oriundam vox cælo allapsa jussit uni Agno castum thalamum servare; palmâ interim & veste longè nitidissimâ arrhæ loco datis. Ad id ipsum cùm Angelus etiam Tutelaris palàm visus hortaretur, mater interim

jam

jam telam in sindones nuptiales offerret, eâ Neophytos illa vestiit: mox à morte matris, concubiâ nocte, ad suas nuptias in eremum evolavit, castoque flammeo ab Amando Episcopo (quem magno pòst coruscum splendore cælo inter Cælites vidit subire) involuta est. Cæterùm quo die nova nupta dotem suam, vel in templa vel pauperes dispertivit, etiam has nuptias probaturum Numen aquam bibenti in vinum vertit. Sed illa, ut pulchriorem se sponso suo probaret, multis precibus carcinoma, velut formæ pigmentum, à cælo extorsit. Ultimùm ægra cùm è manu D. Petri manna gustasset, nauseavit abhinc omnes humanos cibos. Eò igitur à Cælitibus adventantibus, & inter hos augustissima cæli REGINA deducta est, ubi illis delitiis quotidiè frueretur. *Ex Surio & Lippeloo.*

Expergiscere ô homo & dignitatem tuæ cognosce naturæ; recordare te factum ad Imaginem Dei; utere quomodo utendum est visibilibus creaturis, & quidquid in eis pulchrum & mirabile est, refer ad laudem & gloriam Conditoris. S. Leo serm. 7. de Nat.

S. MARCELLA VIDUA. 31. *Ianuarii.*

CHorum in Januario claudat mulier, sed quæ virtute vitæque constantiâ certare & invidiam facere viris possit, quamque sanctior Roma profanæ illi unicam contra omnes Heroides possit opponere. MARCELLA est Romani sanguinis, & patricii matrona, eodē anno, quo nupta, etiam vidua, exhorruit deinceps tam mortalibus nubere. Nec tamen mater non fuit. Certè filios multos numeravit, quamvis pauperes. In hos prodiga ex auro, & fortunis omnibus unum sibi reliquum annulum

annulum fecit. Domo pedem aut nunquam, aut in templum extulit. Religiosæ vitæ viam suo in sexu princeps præivit Romanis; tam illustre exemplum innumerâ exinde multitudine sequente. Porrò precibus assiduè vacabat; vestitu utebatur modesto admodum; corpus perquàm duriter habebat, tota in divinis commentandis. Irrumpentem, qui Romam obsederat, hostem, imperterrita domo suâ accepit, verberaque ac flagra Spartanâ tulit nobilitate, id unum sollicita, quî virginis Principiæ, quam secum habebat, pudori consuleret. Is ubi extra periculum jam stetit, lubens ac volens imò læta à militibus ad D. Pauli abduci se passa est. Ibi paucos post dies mortem, quam cæteroquin viri etiam horrent, femina risu excepit. *Ex S. Hier.*

Quando te à lectione rerum spiritualium abhorrere videris, admonitionesque spirituales fastidire, tum animam tuam in gravem morbum incidisse noveris. B. Ephrem t. 1. con. de vita spirituali.

FE-

FEBRVARIVS.

S. IGNATIUS EPISC. M.

1.Februarii.

IGNATIVS ex Joannis Apoſtoli ſcholâ docilis oppidò diſcipulus tam altè in pectus ſuum demiſit JESV amorem, ut hunc unum loqui lingua, hunc unum dictare animus ſciret, illud unum denique in deliciis ei verbum eſſet, *Amor meus crucifixus eſt.* Certè quòd hunc ubique præ ſe ferret, glorioſum Theophori nomen reportavit. Illud quantum amantis animi robur fuit, cùm ſanctè audax omnia tormenta, omnes mortes unus unicus provocare in certamen non dubitavit; cùm ad beſtias damnatus, laborantibus ex hoſtili manu eripere Præſulem ſuum Chriſtianis, ſolus nimirum ipſe interceſſit, DEI amore obteſtatus, ne ad coronã currenti obſiſterent. Et verò prægustaſſe, cùm Romam iret, ferarum rabiem ſibi ipſi viſus eſt, in X. militibus, qui cuſtodiæ causâ additi, uſque adeò hominẽ exuerant, ut familiari joco leopardos eos vocitârit. Jam caveis emiſſi leones horrendo rugitu theatrum compleverant, & ecce IGNATIO piè adhuc ludere placuit. Frumentum CHRISTI ſe dictitabat, geſtire molaribus beſtiarum commoli, quò delicatus panis Superûm menſæ apponeretur. Sed hem majus tibi miraculum! Elidunt fauces JESVM ſuum inclamanti ora crudelia: tacere lingua cogitur *amores* ſuos; quid expectas? fruſtrà ſilentium linguæ imperatur, ubi cor eſt eloquens. In hoc ſiquidem diſertis literis exaratum repererunt familiare illud linguæ JESV nomen;

nomen; breve quidem tam angusti monumenti, sed longè pulcherrimum Epitaphium. *Ex Sur. & Metaphr.*

Electuarium habes reconditum in vasculo vocabuli hujus, quod est JESVS, *salutiferum certè, quodq; nulli unquam pesti tuæ inveniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit, semper in manu; quò tui omnes in* JESVM *sensus dirigantur & actus.* S. Bern. serm. 15. in Cant.

S. EPHREM SYRUS. 1. *Februarii.*

FOrte fortunâ EPHREM puer in buculam offendit fœtu gravidam. Hanc ubi crebrâ lapidatione confecit, dominum insuper ejus obvium, & perquàm amicè de bove rogitantem convitiis oneratum dimisit. Haud multò pòst cùm eandem viam relegeret, deprehensus à tenebris, mapalibus vicinis successit; noctu cùm lupi gregem diripuissent, pastores damnum furibus adscripserunt, & EPHREMVM velut proditorem vinctum ad Prætorem abduxerunt. Hîc ille inter longam carceris mortem cùm menses aliquot exegisset, à tutelari demùm Angelo, revocatâ in memoriam buculâ, edoctus est, errare quidẽ hominũ subsellia posse, sed non DEI etiam tribunal; ut quod de vero crimine justissimas quândoque sub alienæ culpæ nomine pœnas exigat. Itaque cùm exiturũ se mũndo vovisset, si carcere liceret, paulò pòst voti damnatus in eremum contendit; illîc cùm protriti pudoris femina insidias castitati ejus tenderet, & innocentem animum ad infanda pelliceret; EPHREM piè callidus non difficilem se fore adsimulavit, si in frequenti foro facinus patrare animus ei esset. Erubuit quamvis impudens prostibulum, & an, inquit, in oculis omnium peccare non

non vereberis ? Tum enimverò ille ; & tu adeò frontem exues, &, ubi ubi fueris, illum omnia videntem cæli *Oculum* non exhorreſces ? Audivit, reſipuit, & oculum DEI deinceps ſemper in oculis ſuis mulier habuit. Utinam cum illâ nos etiam minus anguli peccarent. *Ex Metaph. & Baron.*

Si Deus tecum non eſt per gratiam, adeſt per vindictam : ſed væ tibi ſi ita tecum eſt ; Imò væ tibi, ſi ita tecum non eſt ; illi namq; iraſcitur Deus, quem peccantem non flagellat : nam quem flagellando non emendat, in futuro damnat. S.Bern. in medit.c.6.

S. BRIGITTA V. 1.Februarii.

VNum ſed maximum miraculum BRIGITTÆ tota vita fuit. Omnia cùm in miſeros erogaret, nihil tamen ex omnibus deſiderabat. Sed neque poſt furta quidquam decedere viſum eſt de grege, quem paſcebat ; imò huic aper ferus accedere, & innoxius inter armenta agere. Vulpes quoque feritatem ponere juſſa, ut eandem Rex poneret, qui homini, quòd aulæ delicias vulpem alteram imprudens occidiſſet, necem parabat. Jam aqua in cerviſiam, lapis in ſalem verſa, pauperum ſubſidio. Porrò oculos procorum ut virgo effugeret, id lacrimis à Deo impetravit, ut oculi fœdùm effluerent. Sed ſic Chriſti oculis illa placuit, in cujus manum cùm inter velatas virgines conveniret ad Aram, Ara, quò florem BRIGITTÆ laudaret, frondere viſa, oculiſque decor ſuus redire. Sed & aliis oculos reſtituit. Ex his virgini ita volenti cæcitatem denuò exoravit ; cùm ſupplicium hæc crederet non videnda videre, diceretque tunc etiam cùm videret, nihil ſe in toto orbe vidiſſe. Feliciùs linguam aliis ſolvit. Ita mutam ad eum

diem

diem usque virgunculam manu molliter prehensam tam diu rogavit, num Christo nubere vellet; dum velle se respondit, rectissimè primùm linguâ usa. Cùm deinde femina infamis infantē edidisset, parentem Episcopum Broonem mentita; linguam crucis signo à BRIGITTA signatam in patrocinium ipse infans solvit, & contra matrem testimonium dixit. Tacebimus igitur nos. BRIGITTAM rectiùs hic infans laudabit. *Ex Sur. & Lippeloo.*

Ira vincitur lenitate; mansuetudine extinguitur furor; malitia bonitate palpatur; crudelitas pietate prosternitur; impatientia patientiâ punitur; contentio superatur injuriis; superbiam humilitas sternit: qui ergo vult vitia vincere, pietatis arma teneat, non furoris. S. Pet. Chrysol. serm. 38.

PURIFICATIO B. M. V. 2. *Februarii.*

IBat dies à partu VIRGINEO quadragesimus, primus quo terra dignum aliquando cælo donum offerret. Gestabat hoc præ pectore Virgo nuper, nunc geminâ felicitate Mater Virgo: latus Josephus claudebat, virgo virginis virginem gestantis comes. Gerebat illa munus in sinu, iste in oculis; arridebat euntibus cælum, & spectatores cives suos plenis agminibus effuderat; exiliebat lætitiâ tellus, & ad singula pedum vestigia singula fundere lilia gestiebat: cùm interim jam Hierosolymam, jam templum pompa ingreditur, & obvius adest felix ille longâ ætate senex, felicior aspectu Servatoris futurus, felicissimè in vitæ amplexu vitam positurus. Ergo in genua procumbit Virgo purissima, donumque cælo dicat, quo nec terra dare, nec cælum expetere majus poterat. Quid hîc dicam? parce nimiùm Mater prodiga. Poteras

charum

charum pignus à pectore avellere? poteras alienis manibus unicum Filium concedere? & talem Filium? & tu, ô Puer JESV suaviſſime, poteras abire ſinu tam dulci? poteras aliis ulnis quàm Matris in ulnis deliteſcere? Ite nunc parentes avari, qui DEO negatis prolem, orco datis: ite molles filii, qui pluris avocantē patrem, quàm DEVM vocantem, pluris unam matris lacrimam, quàm omnem JESV ſanguinem facitis ingrati. Ite & utrique ætatis florem diſcite non mundo, ſed templis, ſed aris, ſed Deo dicare. *Ex Hiſtor. Evangel.*

Mariam ô fidelis anima imitare; ut enim ſpiritualiter purificeris, & à delictorum valeas emundari contagiis, in templum cordis tui ingredere, & Deo per orationis ſtudium ac contemplationis otium vacare contende. S. Laur. Juſt. ſerm. de Purific.

S. BLASIUS EP. ET M. 3. *Februarii.*

BLASIVS Sebaſtenus Epiſcopus in montem Argæum ſeceſſit, inde velut ex ſpeculâ gregi ſuo advigilaturus; ubi feras ad omne genus officii obſequentes habuit; fuitque tam ſedulæ ſervitutis ſtipendium benè precari ſtato tempore confluentibus. Subinde cum indagine mons cingeretur, nobile venationis auctarium BLASIVS adeſſit. Dum ad quæſtionem rapitur, non paucis ſalutem attulit, inter quos filium memorant unicum unicè matri ſuæ dilectum, cui de piſce ſpina fauces obſidens loquelam jam eripuerat, vitam etiam ereptura, niſi prior eam è gutture BLASIVS rapuiſſet. Atque hoc eſt, quod à majoribus edocti ſimili in periculo ſimilem Divi opem hodieque imploramus. Cæterùm ab hominibus ad feras, non à feris ad homines diceres migraſſe, ita barbarè ab Agricolae

colao ſudibus ſecundùm acceptus eſt. Ejus ſanguinem cùm ſeptem matronæ legiſſent, ipſæ quoque verberibus laceratæ, in candidiſſimæ innocentiæ teſtimonium non niſi lac per vulnera egeſſerunt, quod tamen ipſum mox capite truncatæ pulchrè ſanguine miſcuerunt. At BLASIVS undis, quibus mergendus erat, ancillantibus uſus, lacum primò non aliter ac pontem perambulavit, dein velut feſſus molliter in medio aquarum conſedit; hauſtis interim vortice LXVIII. viris, qui Deorum ſuorum fiduciâ idem agere tentârant. Tandem cum geminis unius ex ſeptem, de quibus dixeramus, matronæ filiolis, lictori cervicem præbuit. Quibus è vulneribus plus gloriæ quàm ſanguinis manavit. *Ex Surio.*

Sine ferro Martyr eſſe poteris, ſi patientiã in animo veraciter conſervaveris: Non pacificus conſortium non merebitur Angelorum; Lividus & iracundus erit particeps Dæmoniorum. S. Bern. de Mod. bene viv. c. 40.

S. REMBERTUS EP. 4. *Februarii.*

TAntum REMBERTVS apud Deum poterat, ut Sacerdos piacularibus flammis addictus eum patronum expeteret: ut minùs mirêre, ſi, quod in infernis ignes habuit imperium; Antiſtes Bremenſis factus in eorum etiam inquilinum malum genium exercuit. Inſederat hic Carolum Craſſum poſteà Imperatorem, univerſoque regno & Ludovico patri luctuoſum dederat ſpectaculum. Fruſtrà per Divorum tumulos circumducebatur, fruſtrà carmina devotoria adhibita, donec REMBERTVS larvis filium, & patrem ſolicitudine liberavit. Carolus memor bello nuper patrem ſe petiiſſe, faſſus ingenuè eſt, non tunc primùm ſe

diris

diris esse agitatum, sed quoties infestandi patris consilia cepisset; ut intelligant, qui in parentes insurgunt, quo consiliario rem gerant, quin imò jam animos orcino hospite possideri, quibus amor in parentes est pulsus. Cæterùm REMBERTVM patrem pauperes suum jam dudum vocabant, ut qui in eorum usum loculos semper circumferret. Certè in captivos non suos modò, sed etiam sacros thesauros dilapidavit, præclaram mercaturam existimans, auro animas emere. Victoriam contra Nortmannos precibus suis alter Moses impetravit, fuitque deinceps locus ille, in quo oraverat, semper cespite virenti lætus: puto ne unquam civibus obsidione liberatis deesset, unde coronam sospitatori suo necterent. *Ex Surio.*

Avelle à Sole Solis radium, & non lucet; membrum à corpore, & putrescit: separa filium à devotione paterna, & jam non est filius, sed frater & collega illorum, de quibus dicitur: Vos ex patre diabolo estis. S. Pet. Chrysol. in serm.

S. THEOPHILUS CONF. 4. *Februarii.*

O Semper insidiosa demissis animis ambitio! THEOPHILVS ille, qui insulam ultrò oblatam ultrò rejecerat, mox officio œconomi ab æmulis se dejici usque adeò indignatus est, ut excire in auxilium orcum non vereretur. Ergo ad magum, cum hoc ad juratum humani generis hostem curritur: Deum Deique Matrem ejurare non titubat lingua impudens, non erubescit scripto firmare calamus impius, sustinet obsignare fœdus infandum gemma perfida: verbo, JESV ac Mariæ nuper libertus, dæmonis abit mancipium. Sed sequitur & nocentem conscientia flagellat; quin honori jam suo restitu-

restitutum acriùs etiam torquet. Quid faceret? quò fugeret impius transfuga? ad magnæ Matris ubera, per quæ Filium sauciârat? ad vulnera Filii, per quæ Matrem impetierat? & tamen ad Matrem ausus est confugere; memor semper Matrem faciliùs flecti, quàm judicem. Itaque ad Marianæ ædis limina quadraginta ipsos dies nocteſque perstare, sed longè magis ipsam cæli portam Virginem ambire: hanc lacrimis mollire, hanc gemitibus pulsare, hanc jejuniis denique frangere. Cedit itaque vim facienti facilis aliàs janua. Admittitur per Matrem ad Filii gratiam THEOPHILVS, extortoſque infames hosti codicillos aufert. Hos ubi palàm igni dedit, post triduanam febriculam per notam sibi, & jam apertam portam cælum ingreditur. Agnoscite felicitatẽ vestram in THEOPHILO Mariophili. Sit omnibus aliis angusta cæli porta, certè vos laxam amplamque habetis. *Ex Surio.*

Maria peccatorem à desperationis barathro piâ manu retrahit, spei medicamen aspirat, fovet, non despicit, quousque horrendo Iudici miserum reconciliet. Famosum hujus benignitatis testimonium est Theophilus per Mariam restauratus gratiæ. S. Bern. in deprec. ad Mariam.

S. CHRISTIANUS CONF. 4. *Februarii.*

NUlli minùs sapiunt, quàm qui maximè, cùm interea Superi iis ferè colludant, qui sanctam simplicitatẽ præ se ferunt. Ad testem CHRISTIANVM provoco. Is cùm adolescens noctu non sat modestè tectus ædes perambularet, insultantem nudo tergo sub mulieris larvâ orcũ tulit, onusque improbum totam noctem circumtulit. Sacris initiatus Comitis natum sub exuviis ursi terrorem

sibi injicientem cultro tantùm non jugulavit, mox errore intellecto persanavit. Ad ejus preces cùm defunctus è feretro resurgeret, inter fugientium ab eo spectaculo turbam ipsum quoque vidisses. Fluvium cùm trajicere non posset, in alteram ripam D. Magdalena unà cum equo transportavit. Eadem facienti adfuit, hominumque absentiam satis unica pensavit. Jam inter monachos mori sibi visus, & manibus MARIÆ ac Friderici Cæs. tumulari, flammas habuit arbitrari piaculares, Genios item bonos malosque, hos corvi exuviis horridos, illos cygneis (aut quascunque alias demùm miramur & amamus) pennis superbos. Porrò sacrificaturo mensam & vestes Cælites ministrarunt. Cantantibus benedicere vidit ab alto DEI manum. Jam ad ægrum septem continuos dies Christus Christique Mater (utique optimi medici) inviserunt. Cùm morituro verò horas precarias iidem visi percurrere, & quidem cucullum etiam ipsi induti. Superi! vos comœdias & risum nobis datis mortalibus. Nos scilicet tragœdias & lacrimas reddimus. *Ex Cæsar. l. 7. c. 16.*

Quia Christi nomine vocatus es Christianus, petendum tibi est, ut actu tuo nomen hoc sanctificetur & honoretur in te: quia sicut virtutum fama nominis tanti resplendet ad gloriam, ita malè conversantis infamia ad ejusdem nominis redundat injuriam. S. Pet. Chrys. serm. 69.

S. AGATHA V. M. 5. Februarii.

ANno CC. LIV. AGATHA Catanam ad Quintianum Prætorem abducitur. Deperibat hic Christi sponsam. Quare eam Aphrodisiæ lenæ commendat; facilè ratus fidei castrum evertere, ubi

ubi prodita pudoris arx conflagrasset. Ambulavit illa per omnes fraudes; sed cæcam ad munera, surdam ad blanditias & minas invenit. Itaque Prætor amorem vertit in odium, martyriúque ubera auferri imperat. Tulit facilè eam jacturam virgo, gnata Ecclesiæ sobolem non tam lacte matrum, quàm sanguine martyrum ali: sed nec uberibus diu caruit, medicinam D. Petro faciente. Quintianus, ex amatore jam carnifex, dum nudam in testatum fragminibus pruniſq; volutari mandat, ecce mota insolitè terra, cùm duos supplicii auctores oppressisset, populum etiam ita commovit, ut re ad seditionem spectante, ad carcerem virgo reduceretur. Ibi inter vota animã in sinum ac amplexus Sponsi sui expiravit. Tumulum sepultæ Cælites marmore ornarunt cum hâc epigraphe: *Mentem sanctam, spontaneum honorem Deo, & patriæ liberationem.* Quintianus dum Panormum fortunas virginis direpturus trajicit, equorum calcibus in undas exturbatur, libidinis & avaritiæ sitim positurus. Ajunt corpus ejus nunquam repertum sepulchro caruisse. Nimirum, ut castitas ab Angelis, ita impuritas ne ab homine quidem meretur tumulari. *Ex Surio.*

Christi exemplo vivendum est tibi, ô pudicitiæ amator, si Sanctorũ cupis habere consortium. Ab immunditia & turpitudinis cogitatu pectus emunda, quoniam nullos nisi sanctos & justos, simplices & continentes cælestis aula suscipiet. S. Laur. Justin. Lign. Vitæ cap. 3.

BB. XXVI. JAPONES MM.
5. Februarii.

NUllam Oriens tam nobilẽ, quàm Martyrum mittit purpuram. Eam anno M.D.XCVII.

sanguine suo Japones tinxerunt. VI. erant supra XX. qui Meaci auriculâ mulctati, Nangasaci in crucem acti ac lanceis sunt confossi. Erant inter hos sex è D. Francisci, tres è S. Ignatii familiâ; quorum constantiam ex discipulis, iisque pueris discè. Tres erant Sacerdotum nuper ad aram ministri, nunc ad crucem socii, ipsi mox futuri Sacerdotes & victimæ. Ex his LVDOVICVS annorum XI. & emittendus è vinculis, si fidem feciſſet missam, respondit, nolle se stultum mercatorem agere, & momentum immortalitate mutare; in loco supplicii suam sibi crucē monstrari voluit, ad eamque velut ad cupedias cursu contendit. Cælo denique in cruce jam proprior, oculis totoque corpore gestiente, illuc videbatur evolaturus, nisi vincula prohibuissent. Geminus huic ANTONIVS cantu invitavit ad mortem socios, & Davidis verba *(Laudate pueri Dominum)* melior cygnus insonuit. Idem omnium fuit ad cruces currentium certamen, eædem è crucis cathedrâ conciones, una morientium vox Jesum ac Mariam inclamantium, quæ cùm à Christianis astantibus redderetur, non potuit jucundior Dei auribus Echo accidere. Victoribus URBANVS VIII. Pontifex triumphum decrevit, & Beatos pronunciavit. *Ex Ioann. Hayo.*

An non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod glorioſius est, de semetipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem? S. Bernard. serm. 1. de Omn. SS.

S. BER-

S. BERTULPHUS CONF.

5. Februarii.

DIVO BERTVLPHO vitam dedit Germania, Gallia fidem sanam. Hâc & juventæ omnibus ornamentis cultissimus adolescens facilè in Comitis VVamberti amicitiam, tum deinde familiam, denique filium est cooptatus. Mox cùm omnia ùnus administraret, quò rem familiarem augeret, non pauca iis, qui cum fœnore olim redderent, miseris dedit. Et profectò quò plura in hos dispensabat foris, hoc ampliùs domi opes crescebant. Neque id Herum Comitem piissimum latebat. sed tamen aures hujus obsidebant obtrectatores, qui etiam hodie in aulis, quidquid accedere pauperibus vident, sibi putant decedere. Et fortè foras prodire ad Nummularios suos BERTVLPHVS properabat vino & pane oneratus, cùm obvius rogat Herus quid rerũ gerat? Aquam, ait ille, & ligna; simul (Superis piam fraudem juvantibus) pallio revoluto aquam monstrat & ligna. Alio item ostento virtutem BERTVLPHI DEVS prodidit. Româ, quò religionis causâ cum conjuge iverat, reducem Comitem exceperat, utque sua famulis fatigatis à viâ quies esset, ipse ad pascua equos egerat, custos id noctis futurus. Verùm cùm ingentes cælo imbres ruerent, missus qui BERTVLPHVM domum revocaret puer primò, ipse deinde VVambertus evocatus ad miraculum spectavit miræ magnitudinis aquilam supra caput BERTVLPHI pendere, & aquas arcere, ponè verò à cælo lucullentam facem ministrari, ad quam otiosus ille scilicet librum nescio quem

legebat. Atque ad hoc denique lumen perspicere viri virtutem sese etiam invidia fassa est. *Ex Surio.*

Præmittamus thesauros nostros in Cælum; sint vectores pauperes, qui possunt sinu suo, quæ nostra sunt, ad superna portare. Nemo de fraude dubitet bajulorum; tuta est ista transvectio, per quam nostra ad Deum, Deo fidejussore, portantur. S. Pet. Chrys. serm. 7.

S. GELASIUS CONF. *5. Februarii.*

GELASIVM habes, sed unà OPILIVM fratrem, pietate ita germanos, ut ex eodem ovo prognatos dicere posses, si non utrumque per nos liceret spectare. Utrumque igitur Placentia genuit, utrumque extulit, hodieque etiam velut lucidissimum cæli sidus, & morbidis propitium suspicit. Et OPILIVM in cælo lucere quid mirum, quando in cælum inter preces oculo, animo abire, imò cùm lucem oculorum mors extinxit, radiare tamen visus est? Jam innocentiæ & reliquarum virtutum choro dum vixit, vitæ austeritate velut munimento quodam cavit. Itaque totos dies jejunus agere, cœnamque à matre submissam rogatoribus in ponte præbere, ipse satis sacrarum literarum lectione pastus cælique delitiis ebrius. Pari passu cum OPILIO GELASIVS incessit, in omnibus fratri cedens præterquàm virtutis palæstrâ, nihil invidens quàm vitæ sanctimoniam. Sed juverit nosse, quibus artibus invidiam hanc in oculis GELASII cælum accenderit. OPILIVM solùm inter preces agere putabat: sed cubiculum ingressus socios illi assistere innumeros Angelos vidit, mox Christi vocem illam audivit: *Sinite parvulos venire ad me, talium est regnum cælorum.* Hoc inquam spectaculum, hæc verba animũ sauciarunt;

hæc

hæc alas addiderunt GELASIO parvulo, ut ad Christum curreret, non jam nescius in sinum parentis se currere. Nunc cur aliò festinare cernimus pueritiam? An fortè Christus non clamat? ah! ecce hodie iterùm clamat. Sed non audit pueritia. Aures Ulysses mundus obturavit. *Ex Ferrar.*

Intellige esse tibi genus è cælo, cujus pater habetur in cælo; Age ut sanctè vivendo sancto respondeas patri. Dei Filiũ ille se probat, qui vitiis non obscuratur humanis, qui divinis virtutibus eluceſcit. S.Pet.Chryſ.ſ.68.

S. DOROTHEA V. M. *6.Februarii.*

DOROTHEA Cæsareæ pro Christo captiva captivos in triumphum Cupidinem & Tyrannum duxit. Expugnanda enim binis sororibus tradita, quæ datam Deo fidem prodiderant, tam fortiter decertavit, ut ambas ab impiis castris ad antiquam fidei stationẽ redire compulerit: atque hæ quidẽ proditionis crimen sanguine eluerunt; ipsa verò victorias victoriis perrexit nectere, cruentas illas quidem, sed gloriæ plenas, ut quæ sciret nullam tam sponso Christo placere virginẽ, quàm quæ suâ, non alienâ ruberet purpurâ. Itaque cùm faces lateri admoverentur, has illa nuptiales tædas credere; cùm ad gladium citaretur, velut ad thalamum properare; inter lictores quasi paranymphos obambulare; ad supplicii denique locum, ut ad melioris cæli hortos ridere. Irrisit tam innocentem risum Theophilus quispiam, & è sponsi viridariis aut rosam sibi vernam, aut autumni munus pomum virginem popoſcit. Promisit utrumque DOROTHEA, fidemque vix ingressa Elysios campos extemplò liberavit. Adest lectissimus cælo Ephebus, & promissum Theophilo

eodem in calatho ver & autumnum offert. Miratur ille in hyeme rosas non flaccidas, miratur poma non marcida, miratur certantem cum munere suo muneris bajulum, & jam non contentus vidisse horti munera, ad ipsos hortos Christianus per omnia tormenta penetrare contendit, quæ quidem ille, ut spinas generosè calcavit, dum animo volveret, quales rosas quæreret. *Ex Surio.*

Quid istud negligentiæ, quid pigritiæ, imò quid vecordiæ est, ut non crebris suspiriis & ferventissimâ affectione abrumpere hinc, & in illa tam felicia agmina jaculari animos studeamus? S.Bern.serm.5.de om.SS.

S. AMANDUS EPISC. 6.Februarii.

QUid juventus, quid ætas virilis facis? Mundum & cum mundo patrem AMANDVS puer vicit, & cùm Religioso negaturum se ille hæreditatem minaretur, amplam sibi hæreditatem suppetere in cælo respondit; caveret ipse parens, ne hâc excideret. Romam deindè ad D.Petri supplex ivit. Hunc ibi in somnis vidit, & auctorem habuit Galliæ repetendæ. Sed & in puppi eundē tēpestate jactatus patronum conspexit. Jam Trajectensi infulâ condecoratus cùm reo, cui laqueo gula frangenda erat, servare precando apud immitem judicem non posset vitam, ablatam certè precando apud Deum restituere potuit. Regis Dagoberti filium (Sigebertus fuit) cùm fonti lustrico admoveret, precibusque Divi nemo verbum solemne *Amen* subjiceret, id ipse infans XL. tunc dies natus subjecit, unico verbo, & in AMANDI, & suas laudes facundus. Non nemo quòd famam AMANDI laceraſſet, carnificem dæmonem sensit, suisque manibus laceratus oppetiit. Alii qui mortē Divo machina-

machinabantur, oculis amissis facinus suum, & cum hoc, post preces illius, diem iterum viderunt. Feminæ quoque lucem restituit, cùm primùm arborem illa aggressa est exscindere, quam divinis antè honoribus (cæca utique) coluerat. Mortuum Aldegundis virgo in cælum vidit deduci ab obviâ candidatorum turbâ, audiitque eos hos esse, quos verbis vitæque exemplis prior ipse cælo transmisisset. Nimirum hæc denique generosa indoles est, hi digni homine spiritus, nolle solum, sed cum comitatu, & clientelis cælum ingredi. *Ex Milo. Monacho.*

Qui sperat in Deum, ac toto corde in ejus gloriam luminum suorum defigit aspectum, ad insanissimas vanitates consecratos semel Deo non debet oculos retorquere. S. Max. hom. de Circumcis.

S. BRYNOLPHUS EP. 6. Februarii.

NAtales BRYNOLPHVS domi nobiles foris ampliùs nobilitavit. Lutetiam Parisiorum profectus egit Musas inter ipsos duodevigînti annos, nec invito Apolline. Siquidem hic doctrinam ejus Scarensi infulâ coronavit. Tantùm abest, ut generis splendori officiat Musarũ commercium. Quin imò literatæ huic infulæ armatam coronam Rex Magnus Ladelos submisit, quando BRYNOLPHO ad genua supplex palàm descendit, & mensæ adhibuit. Sed quid virtutis testem hominem adduco, cùm cælum habeam. Precantem ad tumbam BRYNOLPHI D. Brigittam suavissimi odores afflarunt. Miranti supervenit cum ipso BRYNOLPHO FILIOQVE MAXIMO MATER MAGNA, &, *His*, (simul oculis digitoque BRYNOLPHVM loquebatur) *hic est, dixit, qui me dum vixit, vitâ chariorem*

habuit. Floſculum hunc tu ex odorum reliquiis, quas in terris reliquit, æſtima. Et tamen (ad Filium hæc dicebat) *gemma hæc tumulo ignobili abdita pulchriùs nitere prohibetur. Quin amplius colis, qui tantùm te, tantùm me coluit?* Quid Matri Filius negaret? promiſit tunc oſſibus ſacris eum honorem, quem poſtea ab altero Epiſcopo tulerunt. Ego quid hìc exclamem? utinam me omnes audiretis MARIÆ Sodales! O quàm pulchrum eſt digito Virginis monſtrari! quàm pulchrum dicier: HIC EST! *Ex Vite Aquilon. Ioan. Vaſtov.*

Cæleſtis Pater probat muneribus charitatem: Filium ſe neſcit, viſceribus caret, naturam negat, ingratus eſt patri, qui auctorem vitæ ſuæ non placat obſequiis, non devincit cultu, muneribus non honorat. S. Pet. Chryſ. ſerm. 10.

S. THEODORUS M. 7. Februarii.

VNâ virtute Chriſtianâ armatus THEODORVS Centurio patriæ terrorem draconem confecit. Et erat hoc pugnis majoribus præludere: monſtrum alterum majuſque Licinius Imp. imminebat. Hic ſive quòd eam fortitudinem in milite amaret, ſive, quòd invideret Chriſtiano, ad ſe THEODORVM evocavit. Quin, cùm hic nuntiaſſet, ſi ad ſe ipſe Imp. cum Diis ſuis accederet, fore ut hos merito honore coleret, non dubitavit Licinius, ut ſuperſtitioni virum tantum adderet, iter ad illum inſtituere. Intereà cælum pandi videbatur THEODORO, atque inde prodire, qui telis igneis dormientem configerent. vox quoque ejuſmodi allapſa: *Macte animo Theodore, quando ego tibi adero.* Facilè ſibi ipſe THEODORVS hæc ſomnia, ſine alio augure, explicuit, vocemque cæli

claſſici

classici instar habuit. Itaque cùm manè Deorum signa è suo larario obtulisset Imp. velut adoraturus hæc in adyta abstulit. Ibi ille & Jovis fulmen, & Martis Palladisque hastas, & Veneris faces Cupidinisque arcus omnibus gigantibus fortior solus fregit, & quia aurea erant omnia aut argentea, ridiculos Deos pauperum prædam fecit. Hi cùm ulciscì non possent ipsi sese, Licinius & se, & illos ulturus, in crucem agit THEODORVM, ferro transadigit. Inde puerile agmen sagittis suis scopum geminum, geminum Divi oculũ accipit. Sed reddidit hos ocello suo Angelus, & è cruce exsolvit. Mox ad gladium damnatur. Hunc ubi forti jugulo excepit, rude Superi donarunt. *Ex Metaphr.*

Si dignum Dominus pati duxit, pati servum quomodo videtur indignum? Erramus, erramus: qui non facit quod jussit Dominus, gratis sperat, quod Dominus promisit. S. Pet. Chrys. serm. 28.

S. PARTHENIUS EP. 7. *Februarii.*

PUer PARTHENIVS piscatum exercuit, & lucrum pauperibus cessit. Sed neque piscator desiit esse Sacerdos & Pontifex inauguratus, nisi quòd prædam jam nobiliorem (animos) Deo transcriberet. Porro Stygi jam inde ab anno octavo decimo fuit metuendus. Et profectò vix alius fuit, qui sæpius orcum expugnavit; ut quocunque jam pedẽ suum ferre PARTHENIVM, inde referre suum malum dæmonem cerneres, etiam è sedibus, quas olim & multus insederat. Et fortè eum ex homine nescio quo proscriptum ibat, cùm mitius aliquantum inferno exilium, porcorum corpora hic rogavit. Plus etiam indulsit PARTHENIVS, &, si hoc modò cederet, hospitium alterum in homine

mine ostensurum se appromisit. Ille verò in has leges lubens lætusque migravit, fidemque mox pacti fœderis exegit. Hic PARTHENIVS potestatem sui facturus, aperto oris ostio hospitem invitavit. Nec tulit modestiam superbus, abiit potiùs ad veteres lares patriaque regna, inferos. Jam verò edita vaticinia, excitæ lacrimis pluviæ, messis in agro sterili, uvæ in deploratâ jam vineâ, redditi sedibus suis oculi, pulsi morbi, & reducti ad vitam mortui librum non pagellam in libro desiderant. Omnia tamen hæc vel oleo fecit sacro, vel aquâ, vel sale, ex quo si vel micam haberent hæretici, non equidem hæc riderent. *Ex Surio.*

Quando moriuntur virtutes, vivunt vitia: illa militant adversùs militem Christi; istæ sunt Sathanæ cohortes, istæ Diaboli legiones, ista sunt quæ Mundum sepulchris obsederunt, debellarunt populos, vastârunt gentes, orbem duxere captivum. S. Pet. Chrys. serm. 12.

S. MARINA V. 8. *Februarii.*

MUlierem sub togâ, imò virum sub mulieris simulachro ostendimus. Rectè dixeris, sive MARINAM, sive MARINVM dixeris. Nam MARINAM quidem nomen parens dedit, cùm nata est, ubi verò ad Asceterium secum abduxit, cùm veste nomen viri indidit, jussitque MARINVM esse, metamorphosin cælo ridente. Patre ergo magistro Asceticen edocta, hoc mortuo, ægerrimè scilicet orco fecit; cùm mulier improba tela virili veste repelleret, & per sanctissimam larvam cæcum puerum Amorem rideret, unica virgo tot inter viros jam tutior quàm inter virginum nuper choros. Nempe ubi vulneri locus non est, invidiæ est. Cùm vitium virgini non posset hostis facere,

fecit

fecit famæ. Puella, ad cujus parentes divertere solebat MARINVS, cùm res cœnobii curaret, corrupta à milite parentem hunc mentitur, itaque malum ingens cœnobitis parit. Accusata virago peccasse utique se fatetur, factumque fletu uberi damnat & gemitu. Ergo extra septa sancta ejicitur, & subinde filius etiam adducitur bucceâ alendus, quam mendicanti ascetæ ministrabant. Sic jam sub alterâ larvâ spectatorem orbem fallit, dum quinto abhinc anno, cùm verùm etiam scelus potuisset eluere, unà cum filio inter claustra recipitur. Mox moritur MARINVS, & MARINA deprehenditur. Adest mendax puella à malo hospite orco agitata, & scelus ultrò fatetur. Quid faceret hîc cælum, post actam bellissimè fabulam, nisi plausum? *Ex Herib. Rosweido.*

Conscientia bona titulus est Religionis, Templum Salomonis, Ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca Fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritûs S. liber signatus & clausus, & in die judicii aperiendus. S. Bern. l. de int. dom.

S. APOLLONIA V. M. 9. *Februarii.*

NEcdum in flammas eruperat furor Decianus, cùm anno ab incunabulis Servatoris L. supra CC. Decio præluſit Alexandriæ nescio cujus hominis insania. Arrogavit ille sibi Vatis nomen, & fictis ad populum criminibus id repentè excitavit incendium, quod non nisi multo Christianorum sanguine extingueretur; quos inter facilè princeps fuit APOLLONIA Virgo, quæ invalescente vulgi furore, cùm jam totâ urbe eadem omnium vox audiretur, flammis addicendum, quis-

quis Christo non maledixisset, in virtutis scenam protracta est. Et sanè præclarè personam sustinuit Christianam, quippe cui ore citiùs omnes, quibus ætas provecta in eum diem pepercerat, dentes, quàm Christus, evulsi. Quid agitis manus carnificum? fortem esse APOLLONIAM excussi dentes, & fractæ malæ loquuntur; ad majora tormenta provocate, nihil humile tam alta spondent principia. Ecce rogus ingens succenditur, crepant flammæ, furit populus, minantur lictores aut Christum abjice, aut in ignem abjicière APOLLONIA. Quid hìc illa? paululum apud animum suum, quasi consultans, subsistit; mox bulliente jam sanctiore sub præcordiis igne, non morata tortores, generoso ausu ipsa involat in flammas, è flammis ad cælum evolat. I. nunc Scævola fortissime Romuli nepotum: Manus tuæ miraculũ rogus hujus virginis extinxit. *Ex Surio.*

Si quis hoc dictum corde frequentaret, O Domine quando te diligam! *citiùs se sentiret experimentaliter inflammari, quàm si de secretissimis cælestibus, & æterna generatione, vel processione millies cogitaret.* S. Bonavent. in Theol. Myst. Q. ult.

S. ANSBERTUS EPISC. 9. *Februarii.*

NOn vidit splendidiorem gemmam Clotarii regia, quàm ANSBERTVM adolescentem Superis juxtà & hominibus charum. Et verò invidit jam tum Clotario Ephebum Deus, & in suam traducere aulam laboravit. Sed & huic pulchriùs regiâ cælũ arridebat. Quare sponsam, quam habebat nobilissimã, lubens volens, cùm ita ipsa etiam vellet, Christo cessit; ipse, rarissimo miraculo, monachus in aulâ vixit, & his ipsis, quibus perire alios

alios videas, ad meliora sanctè abusus est. Certè cùm cantus regiam perstreperent, interque modulos dulces dulciores luderent fides, ab his animum ANSBERTVS advertisse ad cælestem musicam perhibetur haud paulò meliorem. Itaque aliis levi pede terram obeuntibus, ipse cælos rectiùs obibat. Illud credo dices: ergo pietas etiam aulam habitat? Rectè. quòd tamen minùs secura hanc habitet, ANSBERTVS deinceps habitare cœnobium instituit, Abbasque, mox Episcopus Rothomagensis, potiùs inter mendicabula degere. In eum finem Xenodochia complura ædificavit, mensam ipse stravit, convivis suis conviva assedit, eodem & disco, & cibo usus. Jam ne dubites virtuti hostem aulam esse, à Pipino in exilium est pulsus, & maluit ille revocatus morte patriam prævenire. In defuncti brachio Crux visa est rubere, ipse etiam, cùm velum injiceretur, oculos aperuisse, ut jam orbis vivum virtutis exemplar etiam in mortuo haberet. *Sur. & Mol.*

Pias aures Domini ad te flecte; lacrymis & suspiriis pro tuis excessibus illum clementer exora; atque canticis spiritualibus illum glorifica: nihil enim magis supernis civibus spectare libet, nihil regi summo jucundius exhibetur. S. Bern. l. med. c. 6.

S. GUILIELMUS CONF. 10. *Februarii.*

INgentia scelera GVILIELMVS pari pœnitentiâ plectere instituit. Conjugio fraternæ conjugis Herodi non impar cœnabat unus, quod octonis in cibum sufficiebat. Ad duella non invitabat sed cogebat obvios, neque jam Ducem se Aquitaniæ putabat, nisi factionis quoque quæ contra Innoc. Pont. pugnabat, dux esset. Mellea verba Bernardus ingesse-

ingesserat; fel merũ retulit. minas addiderat; majores audivit. Ergo secundùm divina, Numine manum armatus ad præstolantem pro templi foribus progreditur, & voce plus quàm humanâ, *Hoc*, ait, *etiam temnes improbe?* Non erat hoc loqui, sed fulminare. Corruit humi ferox, & qui nulli antehac victas manus dederat, Bernardo dedit, jamq; dum omnis casum populus miratur, unus GVILIELMVS negat se cecidisse, sed stare denique se credit. Mox Anachoretæ consilio nudum corpus & caput loricâ & galeâ abscondit, longè maximum hostem se expugnaturus. Talis ad Innoc. Pont. inde Hierosolymam tendit, ibi antrum lachrimis implet & gemitibus, qui cælo repulsi audirentur. Sub hæc patriam repetens, dum ex itinere castro expugnando operam vult locare, à viâ salutis penè exerrat cæcus. Tamen eâdem nocte in viam rediit, recipitque quos iterum lachrimis det oculos. Mox solitudines montesque mutat, & à cacodæmone, qui patrem mentitus frustrà ad vitam veterem revocabat, verberibus immanibus cæditur. Medicinam tamen fecit VIRGO Magna, ut tanti jam vulnera faceret GVILIELMVS. Ultimò in stabulo Rhodis obiit, feliciùs utique, quàm in palatiis vixerat. *Ex Surio.*

Vnde superbit Homo, cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita: necesse mori?

Cur carnem tuam pretiosis rebus impinguas & adornas, quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulchro? animam verò non adornas, quæ Deo ab Angelis præsentanda est in cælis? S. Bern. in Medit.

S. AV-

S. AUSTREBERTA VIRG. 10. *Februarii.*

VNdas puella AVSTREBERTA cùm intueretur, sacro flammeo caput suum vidit involvi. Placuit ea forma superbæ; laudavit speculum; imò ab eo tempore nihil, quàm Parthenonem cogitavit. Quare nuptias cùm aliter non posset, fugâ eluſit, fugæ comitem parvulum germanum trahens. Ventum erat iterum ad aquas, sed quæ ripas egressæ mare fecerant. At illa aquis sancti propositi olim auctoribus non diffidens, non aliter has quàm pratum casto pede calcavit: ita non repugnantibus jam parentibus Agno desponsa promissum multò antè flammeum accepit. Neque prole etsi virgo caruit. Paulò pòst in cœnobio Pauliacensi matrem virgines salutarunt. Ex his fuit, cui sub noctem vox è cælo accidit, moneret Antistitam, omnes, ut è lectulo se proriperent, juberet. Dictum, factum. In templum ubi convenere, cubiculum corruit, & pro dormiente virginitate vigilare cælum ostendit. Ampliorem etiam hoc curam pro moriturâ AVSTREBERTA habuit. Jam enim animam cùm ageret, aliique in auxilium Cælites excirent, vidit ipsa omnes eo ordine, quo compellabantur, obvios sibi venire. Quid agimus homunciones? dubitamus pronos in vota nostra Superos esse, quando per nomina citati adsunt? *Ex Sur. & Lippeloo.*

Hæc est Christi magna, larga, sola misericordia, quæ Iudicium omne in diem servavit unum, & homini totum tempus ad pœnitentiæ deputavit inducias: ut quod de vitiis Infantia suscipit, rapit Adolescentia, invadit Iuventus, corrigat vel Senectus. S. Pet. Chrys. ser. 42.

S. VICTC

S. VICTORIA VIRG. ET MART.

11.*Februarii.*

GEminum VICTORIA triumphum duxit : de Amore unũ, de Tyranno alterum. Uter pulchrior fuerit, tute arbiter esto. Anno igitur salutis trecentesimo tertio, quòd Christiani & cœtus pietatis causâ agerent, & sacros Codices profano judici tradere recusarent, Diocletianus & Maximianus Imperatores omnibus tormentis in hos pugnarunt. Sed quidni vincerent Christiani, quando feliciſſimo omine ex horũ parte VICTORIA stetit, virgo in ipsis cunis magna, magnisque signis jam tunc futuræ sanctitati præludens ? Illud unum quantum facinus fuit, cùm obstrepente auribus castissimis Hymenæo, sponso mortali in amplexus ruente, ut hos eluderet, quando alas non habuit, animos sumpsit, & è summo tecto præceps abiit, innoxia templum petiit, verbisque conceptis sponsam Deo se devovit, frustra homine intereà nuces spargente, quas illa cum rebus aliis humanis dudum reliquerat. Igitur meritò de Victoriâ judex desperavit, & ne à feminâ triumpharetur, incolumem cum fratre domum ire à tribunali jussit. Sed negavit illa pedem è pugnâ referre, negavit fratrem se agnoscere, qui non eundem patrem (Deorum cultui addictissimus erat) Christum clamaret. Itaque latâ mortis sententiâ virgini palmam invitus judex cessit. Intereà nunquam sæpiùs Superi VICTORIAM clamarunt. *Ex Surio.*

Nos qui ad incerta consurgimus, qui inter insidias liem ducimus, qui horarum varietates, momentorum tus, verborum lapsus, actuum pericula sustinemus, quid

quid est, quòd matutinâ prece totius diei custodiam nolumus postulare? quid est, quòd homini toto tempore astare libet, Deo nec puncto assistere libet? S. Pet. Chrys. serm. 43.

S. ANTONIUS EP. 12. *Februarii.*

INvidebis juventus suum ANTONIO puerulo Doctorem. Hic, si nescis, S. Spiritus erat. Hoc, neque alio magistro primas ille literas didicit. Et verò Minerval cælo dignum persolvit; sive cùm ludentis pueritiæ societatem aversatus viro digna puer egit, aras struxit, aris thura, & quæ thure suaviùs olent apud Superos, preces dedit; sive cùm posteà mundo totum sese surripuit Numinisque cultui inter monachos mancipavit. In hâc quoque virtutis schola tam profecit ANTONIVS, ut in suam deinde sententiam mundique contemptum etiam parentem pellexerit. Et vidisses tunc grandævum parentem sub filii disciplinâ adolescere, vitæ rationem à filio discere, jamque in filio parentem agnoscere. Sed hoc quoque mortuo ANTONIVS in hereditatem miseros evocavit. At cùm in tot heredes non sufficeret illa, ingentem auri vim Angelus auctarium adjecit. Plura deinde Episcopatus Constantinopolitanus suggessit, ut insula jam non tam ANTONIVM quàm miseros tegeret. A morte mulierem, quæ crus fregerat, ut funus comitari posset, in pedes erexit, & ut hæredes suos neque mortuus videretur neglexisse, crescere, quæ tunc erogabatur, inter manus stipem fecit. Odor denique mirus etiam in cadavere virtutem laudavit. *Ex Niceph. apud Sur.*

Esto homo, esto & Dei sacrificium & sacerdos: indue sanctitatis stolam, præcingere baltheum castitatis,

tatis, sit in velamento capitis tui Christus, crux in frontis munimine: in odorem thymiama orationis semper accende, altare cor tuum pone. S. Pet. Chrys. ser. 108.

S. JULIANUS CONF. 12. *Februarii.*

QUoties dum hostem petit, se sauciat & suos ira! Domo aberat JVLIANVS, familiam conjuge curante. Intereà parentes adsunt, &, quem puerum amiserant, filium quærunt. Heu quàm præstabat nunquam invenire! At conjux gratulata sibi, quòd benefacere etiam absenti JVLIANO in parentibus posset, humanissimis verbis hospites salutat, epulo lautissimo excipit, ab epulo in suo thalamo molliter locat, nescios funebrem se lectum conscendere. Et fortè jam filium somniabant: cùm ecce adest hic, & ubi primùm à geminis premi lectum videt, sive nox, sive thori violati suspicio oculos fascinaverat, præcipiti vindictâ utrumque ferro trajicit, lectumque dum ab adulterio purgare parat, ah! paricidio maculat. Mox uxor superveniens, & dies facinus monstrant. Hic demum JVLIANVS non longiùs fugisse se parentes ingemiscere; accusare paricidas manus, ultrò omnes culeos advocare, denique cogitare, quî nefas tantum seriò in se castigaret. Longum supplicium placuit. Xenodochium propter fluminis ripas construxit, rectiùs in hoc hospites pauperes accepturus, omniumque ipse bajulus per undas futurus. Et fuit cùm leprosi formam Christus induit. Hunc cùm JVLIANVS transportatum foco foviisset rigentem, mensâ esurientem, & suo lectulo dormiturientem, ecce paricidii veniam manifestus, vel dedit, vel olim datam nuntiavit. Perrexit tamen ille operam suam eò studiosiùs probare, quò

hospiti-

hospitibus nobilioribus jam frequentari ædes videbat. *Ex Petr. de Natal.*

Ille viam Domino suo parat, qui luxuriantis carnis respuens voluptates, toto mentis suæ spiritu suspensus ad Deum vigore se castitatis accingit: optimam parat Domino viam, qui cogitationes suas avaritiæ fluctibus æstuantes serenæ conscientiæ tranquillitate compescit. S. Max. hom. de S. Joan.

S. MARTINIANUS C. 13. *Februarii.*

VItam solam MARTINIANVS agere cœpit octo & decem annorum adolescens. Dæmon malus ejecturus statione suâ militem, veteris serpentis exuvias induit. Sed nihil nisi risum retulit, quo meritò humi eum repere post casum tam altum dixit. Quid ageret victus serpens? ut virum decipiat, iterum mulierem subornat. Adest hæc panniculis involutâ, & velut à viâ exerrassет, magnis ejulatibus, ne in pabulum feris cedat, id noctis hospitium orat; aperit MARTINIANVS à feris feminam defensurus, se lupæ objecturus; penitioribus tamen adytis clausus pernoctat. Sed manè mulierem ecce tibi mundo omni ad miraculum superbam! Videt hanc, & basiliscum videt. Audit, & Sirenem audit, & dæmonis victorem pænè mulier vincit. Experrectus tamen veluti à somno ignes fecit ingentes, pedibusque insultans, age dixit, lubeat peccare, si vel has flammas lubet ferre. Extinxit hic rogus Veneris ardorem, tum præcipuè cùm lacrimas meretricula etiam, damnatâ jam Venere, affudit. Cæterùm MARTINIANVS in rupem è medio mari eminentem secessit. Hîc quoque dum Charybdim fugit, in Scyllam minimo minus incidit, & Venerem planè regnare in

mari

mari discit. Ecce enim naufraga puella, & ad pernicieм oculorum pulchra in rupem enatat. Hic verò MARTINIANVS ignes præventurus in mare se abjicit. Quid expectas, lector? Delphines tergo excipiunt, & littori salvum reddunt. Vides, puto nunc, quid in homine hi ament. *Ex Metaphr.*

Multi Diaboli fluctus sunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia; à quibus ita liberari possumus, si clamantibus manum suam Salvator extenderit: Nos ergo clamare ad Dominum non cessemus, ille auxilium solitum non negabit. S. Maxim. hom. Hyem. ult.

S. JORDANUS CONF. 13. *Februarii.*

QUem nudus in cruce Christus movet, illi tegere hunc à JORDANE discat, qui cùm pauperi, quando ad manum nummi non erant, balteum argenteum dedisset, templum mox ingressus exornatum eo Christum crucifixum advertit. Pulchrè locatum credidit: quin ut totum jam Christũ tegeret, omnibus se nudavit, & ad D. Dominici paupertatem nudus confugit. Subinde totæ familiæ illi præfuit. Mira in eo adolescentum animos ab humanis avellendi, & trahendi ad æterna ars & dexteritas. Eloquentiâ suâ quocumque voluit totam concionem impellere novit, multùm eam ob rem ab orco infestatus. Intereà tamen Cælites, & ex his præcipuè Cælitum REGINA favebant JORDANI. Quare ad hunc sceleribus oppressos velut ad doctissimum medicum non semel ipsa misit. Visa est deinde inter maximum Divorum comitatum, sub preces divinas, è manu JORDANIS librum accipere: aliàs cubicula dormientium alumnorum lustrare. quin ipse Divus, festo,

quo

quo Lustratam VIRGINEM colimus, die, vidit hanc è summâ arâ, ad illa cantantium verba (*Gloria Patri*, &c.) prehensâ filioli manu omnibus benedicere. Poterat hoc credo ad cantum Angelos provocare. Cæterùm dum Terram sanctam petit JORDANVS, naufragus in medio mari portum reperit, appulsusque ad beatiorem est Solymam. *Ex Surio.*

Debemus surgentes gratias Christo agere & omnes diei opus in signo facere Salvatoris. Nam in uno signo Christi omnium rerum est tuta prosperitas: Qui in hoc signo seminare cœperit, vitæ fructum consequetur æternæ. S. Max. de carn. host. non timend.

S. AUXENTIUS ABB. 14. *Februarii.*

AVXENTIVS, cùm eodem in contubernio non convenire Marti & vitæ innocentiæ perspiceret, ut DEO vacaret, vacationem à militiâ sibi impetravit. Neque arma tantùm posuit, sed ut miserum contra frigus armaret, tunicam ex mendicabuli humeris suspendit. Aliàs quò pauperibus stipendia numeraret, operam suam inter opifices locavit. Oxeam deinde montem conscendit, atque iterum, sed melior miles sub pellibus vixit, omni aliâ veste abjectâ. His horridum pueri Pastores, cùm gregem amissum quærerent, feram putarunt. Sed ille, quâ erat in juventutẽ humanitate, facilè se hominẽ probavit, imò homine majorem ostendit, cùm vates pueris absens edixit, quò greges aberrassent. Inter hæc celebrari ab accolis concurrentibus cœpit, cùm passim ægri venirent, sani redirent. Ipse Imp. Marcianus familiariter usus viro fuit, & ad Chalcedonense Concilium evocavit. Ibi dum Patres præstolatur, & velut impostor

impostor habetur, à columbâ cibum accipit. Verbis deinde ac miraculis Christi divinitatem & virginitatem Christi Matris propugnat. Obit denique longâ patientiâ clarus, & vermes, cùm è putrido vulnere exciderent, loco suo reponere solitus. Nos delicati vermium nomen horremus, sed mortui baculo scilicet (ut ille canes) abigemus. *Ex Metaphr.*

Quid est parare viam Domini, *nisi adventanti de cælo Iudici, purgato à vitiis pectore, simplicis cordis habitaculum præparare? Quid est* rectas facite semitas ejus, *nisi ut tales actuum tuorum tibi munias vias, quas perambulare propitius veniens ad te Dominus delectatur?* S. Maxim. hom. 1. de S. Joan. Bapt.

SS. FAUSTINUS ET JOVITA MM.

15. Februarii.

SUb annum Christianũ C.XXXII. cùm Brixiensis Pontifex Apollonius metu tyrannidis fugâ subduxisset sese, ne barbaro furori lacerandus Christi grex pateret, meliores in locum Pastores FAVSTINVS Sacerdos & JOVITA Diaconus succesſere. Certè animas suas non multò pòst impendere gregi suo non dubitarunt, cùm memorabiles priùs pugnas edidissent, quibus non modò Italicum Comitem, sed Adrianum ipsum Imp. quin imò ipsos Deos triumpharunt. Solis enim Colossum adorare jussi, hunc primò in carbones, deinde in favillas redegerunt, filio suo Phaëthonti posthac similem. Jam leones, leopardi, ursíque virtutem in Pastoribus nostris horruerunt, & cùm priùs carnifices, interque hos sacrificulum Saturni, Comitemque Italicum laceraſſent, imperio Martyrum in silvas, & nemora sua emigrarunt.

Post

Post tot victorias etiam inter flammas cantare Pæana placuit. Denique ubi per omnem Italiam circumducti omnia theatra sanguine suo pinxerunt, patria rursus excepit, & gladio cæsos coronavit. Fama obtinuit Angelos cælo ad vinctos devolasse in carcerem, & sacram Eucharistiam præbentibus Ministros adstitisse. Videtis Mariani, in quorum officium involetis, cùm ad aram servitis? Profectò aut muneris hujus vos non pudebit, aut Angelis similes esse pigebit. *Ex Surio.*

Cùm Ecclesiasticis officiis ritè credatur Angelorum semper adesse præsentiam, nostramque vigilantiam sive desidiam non modò diligenter attendere, sed & supernò Iudici cuncta per ordinem nunciare; quanto putamus adversùs nos zelo moventur, dum in conspectu illius nos irreverenter sedere conspiciunt, cui ipsi trementes assistunt? S.Pet.Dam.l.3.Ep.8.

S. SIGEFRIDUS EP. 15. *Februarii.*

Liceat exclamare, ô mores! ô tempora! Quos nunc pellit Anglia fidei Doctores, hos olim velut Colonias meliores in orbem omnem mittebat, ea demum fœdera cum regibus sancta esse censens, quæ fides, quæ, quos diximus, feciales pepigissent. Ita Olaus Suecorum & Gothorum Rex præconem verbi divini SIGEFRIDVM impetravit ab Angliâ, quem hodie rectiùs ipsa accerseret. Socios ille traxit Unamannum, Sunamannum & Vivamannum nepotes suos. Poterat Insula deinceps Fortunata dici, postquàm hi heroes ad illam appulsi sunt. Certè beatum se putavit, qui Insulæ præfectus erat, cùm inter sacra à SIGEFRIDO tolli in altum non jam panis umbram, sed augustâ specie puerum vidit; moxque pueri hujus manibus

manus dedit. Non incruenta tamen victoria SIGEFRIDO fuit. Cæsi tres nepotes mœrore temperarunt triumphum. Cæterum dum ponè stagnum obambulat, tergeminum lumen videt; hoc indicem urnam; in urnâ capita tergemina. Hîc vero vindictam clamanti SIGEFRIDO, *vindicabit*, è capitibus unum respondit. Mox altero *quando nam?* roganti, tertium caput, *in filios filiorum*, subjecit. His aliisque prodigiis illustris SIGEFRIDVS tumulum accepit in templo, quod Vexione Angelorũ jussu exædificarat. Nunc inter Anglos Angelosq; quàm rarum commercium? quàm magnum, ô Magni Gregori, discrimen? *Ex Vit. Aquilon. Ioan. Vastovii.*

Gemina dulcedo suavitatis exuberat in pectore Domini JESV, *longanimitas videlicet in expectando, & donando facilitas: ad hoc autem diu suspendit sententiam ultionis à contemnente, ut quandoque gratiam remissionis præstet in pœnitente.* S.Bern.ser.9.sup.Cant.

S. SEVERUS C. 15. *Februarii.*

EST quod in Sacerdote SEVERO speculentur non animarum, sed rem suam qui curant. Sacram ædem, & in hâc, ne Marianum fuisse dubites, VIRGINIS aram curabat SEVERVS, vitæ integritate, & miraculis multùm illustris. Fortè pertandis vitibus insistebat, cùm supervenit, qui aegrum, nescio quem, opem efflagitare ultimâ nuntiat: cæterùm sacris munitum non abhorrere ultimâ luctâ. Respondet SEVERVS, & affuturum se illico spondet. Ut tamen operi finem imponeret (perpauxillum supererat) moram aliquantulam facit. Inde celeri gressu dum ad moriturum contendit, ecce mortuum audit. Hic enimverò pergam SEVERVS se incusare, vincam suam ut cu-

ret, Domini vineam neglexisse, morte crudeliorem se fuisse: illam corpus peremisse, sese animi latronem esse. Igitur funeri affusus non priùs à precibus lacrimisque, quàm à morte defunctus surrexit. Et narravit hic jam se ad ignea & tenebris infesta loca abductum pœnas ultimas daturum fuisse, nisi Ephebus intercessisset candore insignis, lacrimisque donatum SEVERI tantisper nuntiasset, dum noxas animi expiaret. Expiavit igitur has, & septimo post die feliciùs obiit. Quid hîc illi, quos morituri non è vineâ, sed vini tabernâ vocant, & sæpè heu! frustra vocant, qui tamen ab inferis revocare animos non possunt, sequi possunt? *Ex Dialog. S. Greg. l. 1. c. 12.*

Totus mundus ad unius animæ pretium æstimari non potest; non enim pro toto mundo Deus animam suam dare voluit, quam pro anima humana dedit: sublimius est ergo animæ pretium, quæ non nisi sanguine Christi redimi potuit. S. Bern. l. Med.

S. NICEPHORUS MART. 16. *Februarii.*

NICEPHORVM Martyrem dicimus. Si iræ non cedis, Lector, martyrem alterum te dicimus. Fuit NICEPHORO familiaritas cum Sapritio Sacerdote à teneris contracta. Ea cum pueris crescere, adolescere cum adolescentibus visa, demum præter spem omnium in fatale odium vertit. NICEPHORVS quòd minus fellis animo gerebat, & majestati Sacerdotum oppidò faveret, de resarciendâ amicitiâ cogitare, eaque super re per internuntios agere. Sed aures Sapritii ira obsessas tenebat. Intereà gravis in Christianos tempestas Antiochiæ exorta turbine suo etiam Sapritium involvit. Nihil tamen in tormentis, aut dixit, aut

fecit Christiano indignum. Jamque ad palmam vocabatur, cùm semel iterumque NICEPHORVS ad genua euntis accidit, lacrimansque veniam rogat. daret hanc moriturus pro Christo, si non sibi, certè ipsi Christo mortuo inter preces pro hostibus fusas. Audiebat hæc Sapritius, neque tamen vel verbis, vel oculo dignatus NICEPHORVM est. Ergo non placuit cælo palmam illi dare, qui se ipsum nollet triumphare. Cervicem præbere jussus, mortem turpi vitâ redimit, & Christi Sacerdos facere, eheu! Jovi promittit, necquicquam per omnes Superos obtestante NICEPHORO, non referret, quem cælo jam posuisset pedem, non dimitteret, quam jam jam prehendisset palmam. Ne tamen gratis lictor gladium strinxisset, accurrit ipse NICEPHORVS, & succedaneam victimam se obtulit. quid multis? in aliena præmia involavit. *Ex Metaphr.*

Discordans & dissidens nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis poterit evadere; quia scriptum est, qui fratrem odit, homicida est; *quale ergo delictum est, quod nec Martyrio sanguinis potest ablui?* S.Cypr.serm.6.de Orat.Dom.

S. JULIANA V. M. 16 *Februarii.*

PUlcherrimâ formâ JVLIANA pulcherrimè est usa. In hâc enim velut speculo opificem hujus DEVM cœpit intueri. Christo igitur addictam parentes Eleusio desponderunt, viro nobili & urbi Nicomediæ Præfecto. Sed quia superstitioni hic deditus erat, negavit JVLIANA sibi fœdera nuptialia cum illo fore, qui animum hostilem in thorum ferret. Ab hoc proposito ut dimoveret parens, arietes admovit, minas; repulit virtus. Egit cuniculos,

culos, blanditias; elusit. Incluſit carceri; thoro illa hunc prætulit. Tandem Eleuſius, ille nuper ſponſus, fit ſponſæ judex. Mox in carnificem abit. Cædit verberibus, quod nuper laudabat corpus. Suſpendit, quibus nuper captum ſe fatebatur, capillis. Urit ferro ardores ſuos, artus caſtiſſimos. Et has demum illa blanditias in ſponſo laudavit. Interea boni Angeli vultum indutus malus, ſatis ait virtuti datum eſſe. Diſſimularet poſthac pietatem. Superis cordi cor fore, quod pervium utique illis eſſet. At JVLIANA, fraude inter preces cognitâ, vincula ſua exuit, & conſiliario peſſimo induit. Vincto verbera etiam addit. Tunc ſub virginis manu gemuit orcus, & malum Angelum bonus riſit. Porrò martyr flammas ad quas damnata erat, lacrimis extinxit, lebetem ab igne ferventem precibus rupit, denique priùs quàm manum judici proco daret, caput dedit. Mox tamen etiam pœnas hic. Undis enim hauſtus, & in littus ejectus in cibum canibus ceſſit, dignũ nactus tyranno ſepulchrum. *Ex Metaphr.*

Dæmonum eſt, malas cogitationes ſuggerere; noſtrum eſt, illicò eas expellere. Voluntate ſuâ cadit, qui cadit: & voluntate Dei ſtat, qui ſtat. Cogitatio tamen immunda mentem non inquinat, cùm pulſat, niſi cùm hanc ſibi per delectationem ſubjugat. S. Bern. de Int. Dom.

S. SABINUS EP. 17. *Februarii.*

QUis fidem habeat? Plura Pont. SABINVS vidit, cùm oculos ſenex amiſit, quàm priùs cùm utrumque circumtulit. Certè, quæ nulli oculo pervia ſunt, arcana animorũ & longè abſentia, perſpexiſſe memorant. Et ecce adeſt hoc ipſum feliciter experturus Totila. invitatus ad cœnam

frugalem assidet, principē tamen locum Episcopo Rex cedit. Paulò pòst miscet puer vinum, & SABINO porrigit. Hìc Totila prehensum clam manu poculum regiâ manu ministrat, nec tamen fallit oculatissimum cæcum. Capit hic & doctam fraudem beneficio ingenti pensaturus inter risum, *Vivat*, ait, *hæc manus*. Præmium igitur nobilis pocillator tulit, sed malum alter maximum, qui auctor esse puero non dubitavit, ut merum veneno temperaret. Erat hic SABINO in sacris Diaconus & longævo seni infulam invidebat, suam (ut ipse quidem putabat) hæreditatem, sed contrà factum. Hoc enim etiam pervidens SABINVS egregium Ganymedem prælibare jubet. deprehensus ille, & mortem longam, quam meruisse se viderat, alterâ morte, sed brevi præoccupaturus impigrè ori poculum admovet. Sed rapit è manu Episcopus, &, i potiùs inquit, & Diacono nuntia venenum me bibere, cæterùm Episcopum illum minimè futurum. Simul cruce ductâ poculum siccat. Non SABINVM, sed Diaconū bibisse dixisses. Valuit enim hic, ille occidit. Sanitatem vulgò alienam se bibere ajunt. Id verum an sit, nescio. Alienam certè SABINVS mortem bibit. *Ex Dial. S. Greg. l. 3. c. 5.*

Semper Diabolus nostris saturatur ex culpis: Ille cibum nostrum deducit in crapulam, potum nostrum in ebrietatem diffundit, ut mentem faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus animi domicilium, animæ vas, murum spiritus, virtutum scholam, Dei templum in scenam criminum, in vitiorum pompam, in voluptatum redigat theatrum. S. Pet. Chrys. serm. 12.

S. HEL-

S. HELLADIUS CONF. 18. Februarii.

PRimam ætatem maximamque vitæ aulicus HELLADIVS, alteram monachus, ultimam Pontifex egit; omnem ita, ut dubitem, quam sanctiùs. Rempublicam cùm adhuc administraret, latere jam tum sub purpurâ monachum deprehendisses, ita modestia hanc ornabat. Ergo igitur quoties via ad monasteriũ Agalienſe ferebat, descendere HELLADIVS ex equo, amissoque famulorum & clientum grege, Dei servis operam suam locare, furnoque instruendo ligna comportare iis humeris, quibus regni onera solebat. Quantum Superi! refert, quibuscum familiaritatẽ ineas. Consuetudo hæc sancta paullatim omnem mundi pulchritudinem ex animo HELLADII delevit, & id denique potuit, ut sanctissimus aulicæ servitutis transfuga pro pileo cucullum inter non ignotos jam Sodales quæreret. Dedere & hunc & monasterii præfecturam insuper. Mox Toletana quoque infula invitum texit. In hac maxima gemma eminebat ultima modestia, quâ iterum mendicabulorum societatem purpuratus ambiebat. Atque hos quidem ita foveri ab illo vidisses, ut spiritum illius ex horum pendere crederes. Obiit annis meritisque gravis, cùm literis mandare nihil voluisset, pluris faciens scribenda facere, quàm scribere facienda. *Ex Ildeph. & Bar. Not. Mart.*

Quomodo non verè humiliabitur anima in cognitione sui, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum face infectam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes? S. Bern. serm. 36. sup. Cant.

S. AUXIBIUS E. 19. *Februarii.*

AVXIBIO patria Roma fuit; natales & census patritii; indoles à primis annis in Christianam religionem prona. Tam nobilem civem in exilium, qui minimè debebant, parentes egerunt. Cùm enim nuptias, ad quas hi pro imperio cogere velle videbantur, non posset aliter quàm fugâ declinare, in Cyprum abiit felicissimus exul. Nam fausto pede cùm in Marcum Barnabamque offendisset, ab illo fonte sancto tinctus & Christianis junctus est. Mox doctor pietatis ex discipulo factus, cùm primitias Deo sacrificulum Jovis peperisset, à Paulo magno Episcopus Soluntis est creatus. Mira dictu res. Unicus Christi miles AVXIBIVS totam sub jugum Evangelii urbem misit, & ne AVXIBIO careret, alterum Auxibium accivit, & successorem in munere legit, consilium Deo probante. Nam fuit cùm sub arbore somnum cepit hic Auxibius, & noster superveniens spectavit ingens formicarum agmen à latebris suis ad dormientẽ iter instituere, vatesque futuræ dignitatis caput ejus in coronæ formam ambire. Itaque Auxibio insulam reliquit AVXIBIVS moriens. Tumulum ejus asylon ajunt fuisse morbidorũ. Quin cùm ad hunc è Papho accurrerent XL. ab orco infesti, obvius ipse AVXIBIVS his prodiit, & cedere sibi, ut æquum erat, è viâ dæmones fecit. *Ex Surio.*

Quid cum terrâ illi, qui possidet cælum? quid illi cum humanis, qui indeptus est divina? nisi fortè placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata mala bonis sunt gratiora collatis. S. Pet. Chrys. serm. 25.

B. CON-

B. CONRADUS PLACENTINUS C.

19. *Februarii.*

DUm feras venatur CONRADVS, ipse venator cælo fit præda. Etenim cùm, quòd feræ dumetis se abdidissent, irâ succensus silvas quoque succenderet, facinusque id nescio quis paupercu-lus laqueo jam jam lueret, accurrit CONRADVS, & innocentem confessione suâ, damnum nummis redemit. Subinde iterum silvas saltusque, sed sanctiùs jam amavit, & in loco, quem hodie etiam nomine suo nobilitat, vitam solam agere instituit, jamque cælum captare, cælo retia ponere. Verùm cùm vicissim retia illi Cupido strueret, artes fugiendi nuper à feris edoctus in vepres se nudum abjecit, indeque iterum saucium Cupidinem risit. Porrò adolescenti scelerato, & jam jam hastâ è cælo transfigendo clypeum preces suas objecit. Hospitem Episcop. Syracusanum cùm haberet, quatuor in symbolam à cælo placentas accepit, aliàs pro operis panes recentes. Alii cùm carnem illi suillam feriâ VI. apposuissent, jussit hanc in piscem abire, calumniamque impactam ostensis spinis, squamisque eluſit. Mortuus in genibus tamen deprehensus est stationem suam tenere. funus ultrò luxit sive laudavit potiùs æs campanũ Neti & Hyblæ. utraque civitas cùm sibi corpus vindicaret, Hyblenses neque movere, Netini facili negotio locùlum auferre potuerunt, puto quod propior Netinis jam assueverat cum illis habitare. *Ex Ferrar.*

Cùm spes misericordiæ est, cùm tempus est veniæ, confiteamur patri, ne Iudicem sentiamus: prodamus quæ fecimus pietati, ne severitati cogamur exoluere, quæ ta-

cemus ; dicamus indulgentiæ tempore delicta nostra, ne ad excipiendam sententiam desleamus. S.Pet.Chrys. serm.42.

S. EUCHERIUS EP. 20.*Februarii.*

EVCHERIO nascituro insulam Aurelianensem Angelus promisit; dedit deinde hanc Carolus Martellus ; sed idem, cùm aures calumniatoribus præberet, pessimo consilio ademit. Excepit Colonia exulem parum jam morantẽ, quâ in parte exilii potissimùm viveret , cùm exilium esse totum orbem non malè jam tunc credidisset , cùm Monachum priùs quàm Episcopũ induit. At verò gravius jam erit Carolo cælo exulare. Certè EVCHERIVS dum inter preces inferorum ergastula contemplatus est, vidit hunc ipsum Carolum non jam purpurâ , sed ignibus ardere , didicitque ob manus sacris injectas spoliisque pauperum ditatos milites (time ætas nostra) corpore quoque jam pœnas dare. Atque EVCHERIO si fidem non dedit Gallia, certè tumulo potuit dare, qui apertus præter ignium vestigia vacuæque tumbæ custodem draconem, nihil ostendit. Itaque, qui exulare virtutem regno jusserat , tumulo etiam exul fuit, cùm interim EVCHERIVS cælo receptus rideat illos, qui patriam in terris quærunt, neque vacuum Gallis tumulum ostendat , quando in illo cæci oculos suos , claudi pedes, miseri passim omnes salutem reperiunt. *Ex Surio.*

Quid profuit mortuis inanis gloria , brevis lætitia, mundi potentia, carnis voluptas , falsæ divitiæ, magna familia & mala concupiscentia? Vbi risus? ubi jocus? ubi jactantia? de tanta lætitia quanta tristitia? post tantam voluptatem quàm gravis miseria? S.Bern.in Med.

SS. MAU-

SS. MAURITIUS ET SOC. MM.

21. *Februarii.*

NUnquam tam fortiter pro suâ urbe Romanus miles, quàm pro fide Romanâ MAVRITIVS cum sociis depugnavit, Thebęæ Legionis Antesignano ut nomine, ita virtute par, & cum eodem Religionis hoste Maximiano Apameæ compositus, quem prior ille Agauni in Galliâ superavit. Pugnabat tyrannus in pium agmen vinculis, flagris, uncis, equuleo, ferro ac flammis; ingerebat quidquid telorum carnificum turbæ suggerebant. Sed stabat immota ad hæc omnia fortissima Martyrum phalanx: gaudebat in vinculis, ridebat ad flagra, hebetabat uncos ac ferrũ, ovabat in equuleo, in flammis triumphabat etiam. Quare ad dolos confugere coactus Imperator, cuniculis invictum MAVRITII animum tentare aggressus est. Addicitur proinde morti filius Photinus, & per hujus jugulum parentis cor petitur; sed repulit affectum paternum facilè Christi amor, & vicit iterum in filio parens. Locus erat medius paludem inter & flumen, muscis, vespis, & id genus animalculorum examinibus infessus. Hic ultimum committit Maximianus. Pendet in oculis paternis filii corpus, scopus omnium militum jaculis ac sagittis; & quot mortuum accipit vulnera, tot vivo parenti reddit. Stat interim nudus in acie cum suis MAVRITIVS, palo alligatus, melle illitus, innumeris vesparum aculeis confossus, & tamen vel sic etiam victor triumphat in parvis bestiolis maximum tyrannum; mortemque demum obit melle, quo manabat, dulciorem. *Ex Men.*

Nemo dicat, quòd temporibus nostris Martyrum certamina

tamina esse non possint: Habet enim & pax nostra Martyres suos: Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna Martyrii est. S. Aug. serm. 250. de Temp.

S. PETRUS DAMIANI. 22. *Februarii.*

DUbites magísne primò fortuna PETRVM, an PETRVS deinde fortunam fugerit. Infans fame sitique periisset, nisi ubera, quæ mater dicam an noverca? morituro negaverat, aliena nutrix præbuisset. A fratre natu maximo porcis pascendis præfectus cùm nummũ reperisset argenteum, cogitanti in quas potiùs illecebras eum expenderet, sanctior cogitatio persuasit Sacerdoti dare sacra facturo. A Damiano denique fratre, cujus velut patroni nomen posteà tulit, literis admotus, eas primò celeriter didicit, mox etiam applaudente Italiâ docuit; sed memor injuriarum, quibus mundus eum exercuerat, blandientem jam & ipse aversatus, inter summos honores, corpus cœpit duriter habere, æstum libidinis rigentibus aquis mergere, sub veste splendidâ cilicium occultare; denique inter Anachoretas se abdere, ibique è discipulo magister sanctioris vitæ miraculis coruscare. Tantam virtutem Pontifex purpurâ ornavit; quam cùm nemo unquam dignius, & majore Ecclesiæ bono tulisset, anno M.LXXII. cum vitâ posuit; vel eo solo nomine, quòd Officium Horarium D. Virgini sacrum in memoriam & usum pristinum revocavit, omnibus Sodalibus memorandus, ex cujus divinissimis scriptis, vel hos versiculos, quos suo tumulo inscripsit, recoluisse operæ pretium sit:

Vive

Vive memor mortis, quò ſemper vivere poßis:
Quidquid adeſt, tranſit; quod manet, ecce venit.
Quam benè providit, qui te male munde reliquit,
Mente priùs carni, quàm tibi carne mori.

Ex Surio & Baron.

Ei, qui omnia elargitus eſt, univerſas opes dato; nunquam Dei liberalitatem vinces, quamvis omnium tuarum facultatum jacturam feceris, quamvis te etiam facultatibus adjunxeris; Nam hoc quoque ipſum accipere eſt, Deo aliquid donare. S.Nazianzen. Orat. de amor.pauperum.

S. MARGARITA POENITENS.

22.Februarii.

MARGARITAM hanc in Peruſino agro invenimus: nitorem ejus in juventa Amor turpis extinxit, reſtituit deinde D.Franciſci diſciplina. Viro nobili olim, imò Veneri ſerviebat. Is domo quandoque abiit, cane comite. Hæc poſt dies non multos lacinia prehenſam MARGARITAM ad ſtruem lignorum deduxit, oculis, latratuque rogare viſa, ut ligna amoveret. Amovet, Dominum agnoſcit; ſed jam mortis larvam. Enimverò exhorruit, & in alieno vultu ſuum contemplata, formam, mundum, & ante omnia vitam priorem lacrimis damnat. Et abluerunt hæ brevi latentem in cœno MARGARITAM; vitæ rigor velut ſcalpellum pulcherrimam reddidit, ut jam prodigiis ſplenderet. Et primò, ne VIRGINIS immemorem putes vixiſſe, id precibus exoravit, ut dolores, quos ſtans illa ponè crucem pertulerat, etiam ipſa perſentiſceret. Senſit, & ſub horam tertiam inter manus multorum collapſa, inde horâ nonâ morienti

rienti Christo commori, nec nisi sub vesperam redire in vitam visa est. Aliàs Crucifixo inhærens multa gemitibus rogabat, cùm è cruce Christus: *Quid vis misera?* Illa, *Nihil aliud præter te Domine.* Ignosce MARGARITA, avara nimiùm es. aut verò dic, poteràsne amplius exigere? *Ex Ann. Minorum.*

Ecce qualiter manumittit, quali præmio honorat suam diabolus servitutem, ut mors simul & finiat vitam & inchoet pœnam? at qui Christo serviunt, illusâ morte, cum stipendiis sanctitatis perpetuam transferuntur ad vitam. S. Pet. Chrys. serm. 114.

S. LAZARUS CONF. 23. *Februarii.*

PIctorem pingimus, utinam suis coloribus & tam bonis, quàm bonis ille alios Divos depinxit! LAZARVS est, Monachus idem & Apelles, sed sanctior illo altero, ut qui non jam Veneres Cupidinesque (oculorum laqueos) sed VIRGINEM & in VIRGINIS sinu VIRGINEM AMOREM, aliosque cæli indigetes animare penicillo solitus est, eoque studiosiùs, quòd sub eadē tempora Theophilus Imp. sublata è medio omnia Divorum monumenta vellet, omnibusque pœnis in eos sæviret, qui non conspuerent hæc pedibusque calcarent. Pugnabat ergo contra barbarum furorem doctâ manu LAZARVS, & periculo reparabat, quidquid ferro ille in templis vel deleverat, vel deformarat. Captus igitur & ultimis tormentis excarnificatus in ipso tamen carcere tot trophæa de Theophilo posuit, quot iconas Divorum (plurimæ erant) pinxit. Tunc enimverò excanduit in tyrannus, ferroque & ipso candenti patronas Divorum manus eò usque fœdum in modū aduſſit, dum exanime corpus dolori succumberet. Neque

sic

sic tamen afflictus manus victas dedit LAZARVS, sed precibus Imperatricis vitâ donatus continuò in fano D.Baptistæ ejusdem imaginem exornare aggressus est. Idem in aliis templis, sublato è vivis Theophilo, factitavit, felici semper manu, etsi non haberet jam manum. *Ex Curopal. & Zona.*

Quicunque speciem animæ custodire desiderat, peccatum omne materiamque peccandi summo studio derelinquat. Quid enim sic fœdat mentem, Deique deformat imaginem, quemadmodum scelera? Quot delicta, tot maculæ gestantur in anima. S.Laur. Just. de casto Conn.c.21.

B. NICOLAUS CONF. 23.*Februarii.*

NEsciunt, qui aras struunt ornantque, quàm propè absint ab eo, cui struunt, cui ornant. At scire poterunt, si velint. Audierat jam vocantem DEVM NICOLAVS, & monachum indutus aram curabat, cùm Christus talem illi se objecit, qualis inter Apostolos obambulare terras visus est, & iteratò ad signa sua illis verbis invitavit: NICOLAE *sequere me*. Nimirum erat hoc currenti stimulos addere, contra quos toties hodie (cùm DEVS à mundi uberibus avocat) ignavi cunctatores calcitramus etiam. Nec adeò multum temporis abiit, cùm NICOLAO facienti amicus Christus non jam post cancellos, hoc est panis nubem, sed qualem Angelorum oculis homines invidemus, prospicere visus est; ut post tantos Numinis favores minùs jam mirer familiarem NICOLAI cum beatis Alitibus consuetudinem; qui, cùm dæmon malus Divum per fenestram jam jam in præceps ageret, auxilio officiosi advolarunt, territumque in geminos choros divisi animarunt, mox etiam oculis

oculis omnem, quæ in ipsis amatur, spectandam elegantiam propinarunt. S. Dorothea etiam animo inter insultus dæmonis fluctuanti præsentem opem tulit. Sed ego modestiam miror animi in NICOLAO. Prior omnibus in monasterio cùm esset, ut postremus esset, frustrà diu supplicarat; tandem orando undecies millies Dominicam, toties Angelicam precationem, cælum exoravit. Ergo tanti putavit honores vendere, quanti hodie emerent alii. *Ex ligno vitæ Arn. Wion.*

Per Christum sensibus innovatus, abjectâ sæculi hujus figurâ formam tuam in formam tui reduc Salvatoris; ut novitas sensuum tuorum in tuis actibus eluceſcat, & cælestis homo cælesti habitu jam gradiatur in terra. S. Pet. Chrys. hom. 120.

S. MATTHIAS APOST. 24. *Februarii.*

QUem locum scelere infando & morte infami vacuum Judas fecit, eum hodie MATTHIÆ virtus occupavit, numerumque numero suo carentem felicissimè instauravit, cùm nobilissimo Candidato cæli etiam vota suffragarentur. Ergo postquam orbi bellum movere placuit, MATTHIÆ provincia decreta est Judæa, ob infensissima populi in Christum odia, longè id temporis difficillima. Sed magnis animis hanc aggressus MATTHIAS facilè debellavit. In Æthiopiam quoque excurrit. Ibi pugnatum verbis ac prodigiis persæpe, & expugnati multorum animi Christo, & MATTHIÆ deditionem fecerunt. Intereà successu rerum felicissimarum rumpebantur Pontifices, uti populi, ita odii in Christianos principes. Neque tamen aliud, quàm triumphum parabat invidia. Hunc concessit Pseudopont. cùm mortē indixit.

Magnum

Magnum deinde fecit populi concurrentis furor. Ornarunt præ reliquis testes duo mendaces iidemque carnifices, ut qui primi MATTHIAM lapidibus petierunt. Hos ille velut acclamantium symbola accepit, velutique triumphi sui decora tumulo secum inferri præcepit. Denique ut integer suus pompæ honor constaret, secures, quæ præferri aliàs solebant, ipse triumphator tulit. *Ex Ioach. Perionio.*

Primatum adeptus est gentium S. Matthias, quia prius sibimet didicit principari. Sic namque ad veri honoris conscenditur cathedram, ut antè quis sibi, deinde dominetur & cæteris. Nunquam aliis bene præerit, qui sibi extiterit nequam. B. Laur. Just. ser. de S. Matth.

S. TARASIUS EP. 25. *Februarii.*

PEr gradus honorum, ex quibus alii præcipites ire solent, ad astra TARASIVS evasit. Consul principiò, tum inter eos, qui ab arcanis literis Imperatoribus erant, Princeps; demum Archiepiscopus Constantinopolitanus infulam, quam alii gemmis ornant, ipse virtutibus ornavit. Has inter easque multas & pulcherrimas potissimùm emicabat animi demissio, quâ TARASIVS pauperibus, quos multos & alebat & vestiebat, quotidie cibos ex suâ mensâ submittebat, ipse carptor & persæpe (sub festa Paschalia præcipuè) ipse dapifer. Atque hâc ille virtute tantum abest, ut auctoritatem suam, quâ erat, imminutum iret, ut talis etiam Imperatoribus fuerit formidandus. Supplicem certè ad Aram, quem regiæ cohortes per vim abstraxerant, reddi sibi suus ipse Fecialis fecit. Constantino Imperatori, auctore amore vago, repudium meditanti facientique unus ferè sese opposuit,

fuit, purpuramque purpuræ, coronam coronæ, sceptroque augustius pedum objicere non dubitavit. Quid? quod vel mortuus vivo Leoni Imperatori terrori fuit. Cùm enim hic nomine etiam suo crudelior templa passim, & in his imagines Dei Divorumque vastaret, somniavit TARASII imperio, à nescio quo Michaële se confossum. Et risit fortè mortem, cùm vigil vivere se vidit; sed die sexto à Michaële Balbo confossus potuit dehinc sine superstitione somniis credere. *Ex Surio.*

Heu quàm lamentandæ vices, quando desperati apud homines possidebunt spem divinam; & humanis bonis præditi bonis cælestibus fraudabuntur: & hoc facit thesaurus, qui cor hominis aut per eleemosynam levat in cælum, aut per avaritiam demergit in terram. S. Pet. Chrys. serm. 22.

S. PORPHYRIUS EP. 26. *Februarii.*

PORPHYRIVS Hierosolymæ æger quotidie loca sacra cùm pedibus non posset, genibus obambulabat, expeditissimam viam ad cælum credens, Christi vestigia. Et fuit cùm ad pedem Calvariæ montis triste oculis spectaculũ, jucundum tamen animo objectum est, Christus cruci affixus, & ponè felicior è geminis latro. Igitur cùm latronis verbis etiam PORPHYRIVS Servatorem compellasset, jussit hic descendere latronem è cruce, & opem ægro ferre. Descendit, osculum tulit, manuque peramanter prehensum ad Christum, ut secum itaret, invitavit. Intereà properanti obvius ipse in amplexum Servator ruit, jussitque dulce onus crucem suam ferre. Tulit lubens & verò laboris pretium sanitatem abstulit. Proinde sacris initiatus PORPHYRIVS, & custodiæ sanctissimæ

Crucis

Crucis præfectus est. Ultimò Pontifex Gazæ inauguratus signo crucis pluviam è cælo supplex evocavit, infamem Veneris statuam dejecit, & Manichæam mulierem elinguem reddidit; probavitque hunc in crucem amorem ipsum Numen, quando lapsos in puteum tergeminos pueros salvos parentibus reddidit, & miraculosâ cruce insignitos. Illud ad posteros memorabile, cùm fana Gazæ nobilissima superstitioni paterent, neque demolitionem horum impetrare jam ab Arcadio posset, supplicasse PORPHYRIVM vix nato Theodosio, & cùm hic alieno nutu assensum præbuisset, votorum tandem potitum omnia Deorum templa destruxisse, Deo deinde aliud in Crucis formam ædificasse, & cineri suo, & famæ monumentum. *Ex Metaphr.*

Memento te etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum: sex diebus condidit Deus omnia, & te inter omnia: at verò per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laboravit sustinens carnis necessitatẽ, hostis tentationes! S.Bern. serm.11.sup.Cant.

S. ATHANASIA. 27.*Februarii.*

ATHANASIÆ ANDRONICVM suum junximus, injuriam facturi utrique si nunc demum divortium inter eos feciſſemus, quos tot miracula junxerunt. Igitur Antiochiæ agebant sanctissimi conjuges, opesque, quæ multæ illis erant, cum cælo communes habebant. Trientem primum miseri, alterum viri religiosi auferebant; ultimus domesticis usibus cedebat. Heredes cùm binos sustuliſſent, placuit exinde castitati potiùs, quàm liberis operam dare. Intereà illos etiam uno die

cælum

cælum rapuit. ATHANASIA, ut impotens ferè matrum dolor est, immoritura mortuis videbatur; sed Julianus martyr, in cujus templo liberorum manibus parentabat, docuit liberis cælum non invidere. Quin imò invidit, sed rectè, uterque parens; &, ut eodem conniteretur, toto asse in miseros abjecto, in diversa cœnobia abiit. Jam anni iverant XII. cùm una ambos cupido incessit ad sacra Solymæ loca visendi. Itaque idem paulò pòst iter jungunt, & agnoscit ATHANASIA incognita (virum, quò tutiùs peregrinaretur, pudor induerat) ANDRONICVM suum. Salute datâ acceptaque iter silentio transigitur. Inde regressos excipit eadem cella, alteroque XII. annos ANDRONICVS cum ATHANASIA habitat nescius novi conjugii. Virum nempe crediderat. Et erat: mulierem tamen mors & schediasma ponè caput repertũ prodidit. Igitur corpus palmis coronatum, & elatũ triumphi speciem non funeris præbuit, diuque nihil aliud in ore omnium quàm *Femina monachus, & monachus conjux* fuit. *Ex Surio.*

Ideo nudi in seculo nascimur, nudi etiam ad Baptismi lavacrum accedimus, ut nudi quoque & expediti ad cæli januam properemus. incongruum verò & absurdum est, ut quem nudũ mater genuit, nudũ suscipit Ecclesia, dives velit intrare in cælum. S. Max. serm. de S. Mich.

SS. LUPICINUS ET ROMANUS CC.

28. *Februarii.*

EAdem studia, & vitæ rationem eandem audies in LVPICINO, & ROMANO, ut meritò fratres credamus germanos fuisse. Ambo siquidem virginitatem à teneris coluere; ambo hostes, qui ad nuptias impellebant, heu! nimiùm fortes, parentes

tes habuere. Pugnavit tamen pro filiis fortior in hos mors, & illi pudorem in eremum extulerunt. Hîc etiam cùm solos se crederent, soli non erant. Aderat hostis orcus, & crebrâ lapidatione tyrones animos terrebat, jamque in eam desperationem adduxerat timidos, ut in patriam repedarent; cùm ex itinere à matronâ piâ de turpi fugâ notati erubuerunt viris animos à feminâ addi, &, ut admissum dedecus eluerent, sublata manibus Crucis signa in hostem iterum verterunt, totaque victores eremo fugarunt. Tum denique cùm ad signa mortalium plurimi, qui contra mundum nomen darent, concurrerent, terna castra, terna cœnobia sunt metati, more veteri omnem inde mulierem proscribentes. Stipendium insuper cælum dedit, cùm LVPICINO defossas opes ostendit. Luxum tamen hic, & delitias ciborum severâ disciplinâ damnavit, eamque ob causam signa duodeni turpiter deseruerunt. Sed his quoque reditum ad stationem suam ROMANVS precibus suis impetravit. Idem cùm apud leprosos divertisset, sordes pedum aquâ, tactu verò suo omnem in corpore lepram abstergens, divitem hospes symbolam sanitatem reliquit. *Ex S. Greg. Turon.*

Demus Deo aliquod tempus vitæ nostræ, ne totum diem infelix ista vanitas & solicitudo miseranda consumat: ne noctem totam pernicioſus somnus & inanis sopor expendat, sed itidem pars diei ac noctis ipsi temporum deputetur Auctori. S. Pet. Chrysol. serm. 21.

MAR-

MARTIVS.

S. SWIBERTUS EPISC. 1.Martii.

HUjus etiam splendorem multò antè quàm nasceretur, stella nuntiavit, in matris lectulum visa delabi. Propitium certè sidus in SWIBERTO Hollandi, Daci, Lotharingi, Brunovicenses, Frisones, Westphali, Saxones, Colonienses aliiq; agnoscunt, ut quibus omnibus fidem ille in superstitionis nocte prælucere cœpit, cùm primùm anno quinto decimo inter viros religiosos adlectus fuit, multò magis posteà, cùm facere hoc impositum munus Episcopi jussit. Sed & Numen calculo suo Apostoli officium confirmavit, quando vinctum à Germanis, misso genio bono, è carcere eduxit. Testes porrò dicenti accesserunt præter alios cæci, surdi, muti, dæmones adeò ipsi & tres demortui; illi sani omnes à Divi manu, hi vel pulsi, vel in vitam revocati. Atque hos inter adolescentem memorant, cui vocabulum Splinterus erat. Hic SWIBERTO templum amni superstructum sacrante, dum cymbâ ludit incautus, excidit & aquis haustus mœrore festum diem contaminat. Parentes alieni à divino cultu defunctum in fanum proximum inferunt, & frustra omnibus precibus armatas Martis aures pulsant. Nimirum vitam ille redderet, qui aufert omnibus? Quod tamen hujus non potuit, JESV nomen invocatum à SWIBERTO potuit, & puer in vitam revocatus plures à superstitione revocavit. Denique stella nobilis SWIBERTVS cùm diu in terris egisset, locũ suum, ex quo venerat, repetiit. *Ex Sur.*

Etiam infidelis totum se ei debere non ignorat, qui

sui totius non ignorat auctorem: quid ergo ego, qui Deum meum teneo vitæ meæ non solùm gratuitum largitorem, sed insuper etiam copiosissimum Redemptorem, æternum conservatorem? S. Bern. de dilig. Deo.

S. CEADDA EPISC. 2. *Martii.*

MOrtem ut ne timeas, time Lector: neque enim illi olim timent, qui nunc timent; id quod CEADDA Merciorum & Lindisfarnorum in Angliâ Episcopus manifestum faciet. Obiit ille anno post orbem restauratum Septuagesimo secundo supra sexcentesimum. Gremium mortuo MARIÆ templum præbuit, ipse ægris asylon tumulum suum, cujus pulvis haustus morbidis quamplurimis saluti fuit. Cæterùm solitus est, dum vixit, quoties vehementior cælo ventus insurgeret, humi se abjicere magnisque vocibus *Misericordiam* DEI implorare: jam cælo graviùs succensente, & fulgura tonitruaque miscente, ad templum fugere & aram; neque ibi priùs sibi à lacrimis temperare, quàm iterum Sol rideret. Causam interrogatus, respondit, ex his veluti præludiis æstimare se illum supremum ac decretorium diem. Utique minùs tunc hominem fulgurantes judicis oculos, & fatalem ab arcu sententiam detonantē laturum. Sed talis CEADDA nunquam magis serenum cælum quàm moriens aspexit. Siquidem septē continuis diebus aspectabiles è cælo Angelos habuit, qui ad cæli gaudia invitarunt emeritum, utque aures faciles impetrarent, ah! quali musicâ has demulserunt. Ultimò cum iisdem frater CEADDÆ adfuit, qui cùm nuper adeò in cælum iviſſet, viam scilicet nunc germano monstravit. *Ex Bedâ Hist. Eccl. Gent. Angl.*

Time,

Time, ô homo, quòd in terribili Iudicio ei præsentandus es, in cujus manus horrendum est incidere, & eo examinante, quem nihil latet. Si inventa fuerit in te iniquitas, alienandus es ab universitate quietis & gloriæ, & segregandus à numero Beatorum. S. Bernard. serm. de Noviss.

S. WINWALOCUS C. 3. Martii.

EX regio sanguine Anglorum se ortum WINWALOCVS vel ex hoc ostendit, quòd puerulus jam omnia præ se despexit, id demum regium ratus non terræ particulam aliquam, sed omnem omnino pedibus mundum subdere. Sed religionem cogitanti obstitit pater, magnum apud filios nomen, & pietatis hodie etiam remora. Disjecit tamen etiam hoc obstaculum fulmen, quod deprehensum in campis patrē tam diu humi afflixit, dum filium cælo, & religioni non invideret. In hanc receptus magnis statim ostentis cœpit eminere. Illud, puto, multis non lectu minùs, quàm scriptu nobis jucundum erit. Sororcula WINWALOCI anserem domi habebat familiarem. Huic dum incautiùs (ut ferè fit) colludit, ecce in vultum delitias facientis hic involat, serratoque osculo oculum exsculpit deglutitque, heu! nimis delicatum nequam stomacho cibum. Lusca puella alterum etiam oculum plorando videbatur amissura, cùm cælestis Alitis monitu WINWALOCVS supervenit, prædonem oculi anserem medium secat, erutumque oculum loco suo reponit, ipsum etiam anserem ad gregem suum amittit, nimis miti in improbum animal supplicio. Sed quid anseres reprehendimus? libentiùs audiemur WINWALOCVM laudare. qui centies & nocte, & die

in

in genua se abjicere solitus, cùm obitum suum pridie ab Angelo didicisset, fecit mane, & ad aram ipse quoque victima placidissimâ morte procubuit. *Ex Surio.*

Magna & rara virtus est, ut magna licet operantem magnum te nescius, & manifestam omnibus tuam te soli mlatere sanctitatem; mirabilem te apparere, & contemptibilem te reputare. hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. S. Bern. serm. 13. in Cant.

S. KUNEGUNDIS AUGUSTA V.
3. Martii.

NUlla tam in diademate KVNEGVNDIS gemma, quàm in ipsâ KVNEGVNDE virginitas splenduit; quæ ut cæli oculos mirè recreavit, ita Cacodæmonis usque adeò perstrinxit, ut, quando extinguere non poterat, offuscare saltem siniſtris apud animum HENRICI suspicionibus sit adnisus: sed provocavit ad flammas judices innocentia, & innoxius à ferro candenti pes egregium inculpato animo testimonium dixit. Porrò cùm tori castissimi custodem mors abstulisset, verita KVNEGVNDIS tantum thesaurum mundo concredere, in Caufungensem, quem ipsa struxerat, Parthenonem cum eo se abdidit; cujus disciplinam cùm Uta neptis ejus laxaret, verbis sæpiùs nequidquam increpitam, tandem etiam manu objurgavit, & digitorum luculentas notas in genâ ictæ reliquit, nullâ deinceps arte confusas vel deletas. Morituræ de cælo HENRICUS obviàm iit, ad sistendum Judici orbis miraculum, Imperatores conjuges sed virgines: ad tumulum ejus multis vita reddita; qui cùm KVNEGVNDEM matrem suam salutarent, probarunt immeritò virginitati sterilitatē objici;

quid? quòd nec ipsa gleba, sub quâ virgo cubat, infæcunda fuit, sæpe in thus & far conversa, persuasura mortalibus, nec fragrantiorem esse castimoniâ virtutem, neque felicius ullum germen. *Ex vitâ apud Gretserum.*

Si aliqui de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo famam nostram decolorare conantur, adsit conscientiæ solatium, quòd merces nostra magna est in cœlis, etiam cùm dicunt homines multa mala de nobis piè tamen justeque viventibus. Aug. de bon. Viduit.

S. CASIMIRUS CONF. 4. *Martii.*

CASIMIRVS Casimiri Regis Poloniæ F. nec-dum ephebis egressus in ipsa jam adyta sanctitatis est ingressus. Coronam Ungariæ quanto alii studio vel ambire vel rapere solent, tanto ille repellere à capite suo adlaboravit. Summâ hyeme nudis pedibus noctu templa obibat; purpurâ non corpus, sed cilicium tegebat: somnum humi capiebat, gnarus nusquam alibi tam securos castitatem somnos dormire. His studiis occupatum morbus invadit. Lamentantur parentes; illacrimatur aula; adgemiscunt regna. Circumstant interea lectulum medicorum turbæ, medicinam facilē nuptias suadent, concessam ægro voluptatem. Sed noluit ille vivere, nobilissimâ animæ parte virginitate emortuâ. Itaque ne non virgo moreretur, juvenis moritur, dignus qui in omnium ore ac calamis vivat. Et verò vivere etiam post mortem Poloni compererunt, cùm candidissimo equo invectus contra Moschos moventibus Dux adfuit, & traductis per aquas compendium ad nobilissimam victoriam monstravit. Quin cùm anno obiisset à pariente VIRGINE M.CCCC.LXXIII. anno dein-

de

de M. DC. IV. corpusculum virgineum unà cum versibus, quos in laudem VIRGINIS panxerat, secumque tumulo inferri mandaverat, integerrimum est repertum. Legant hoc ii, qui insuper habent mactare quotidie castitatem; cui tamen mors ipsa non nisi volenti vim facit, quin mortuæ etiam timet manus inferre. *Ex vitâ.*

Quousque caro misera, insipiens, cæca, demens, ac prorsus insana transitorias & caducas quærit consolationes, imò desolationes; si fortè contingat repelli & indignum judicari cœlesti gloriâ, & æternâ cruciari pœnâ? S. Bern. serm. 6. de Adv.

S. CONON M. 5. *Martii.*

INter primos Ecclesiæ flosculos CONONEM etiam numerabis, ut quem ætate Apostolorum floruisse scribunt. Huic etiam nepotum magis, quàm virtutis cupidi parentes uxorem obtruserunt. Sed CONON è sponso Paranymphus factus virgini auctor fuit, in Christum potiùs amores suos transferret. Ita virgo uterque conjux vixit. Ut tamen non steriles fuisse autumes, Christo parentes suos genuit CONON, magnamque aliam, & nunquam morituram posteritatem miracula post se reliquit. Ipse Angelorum primipilus Michaël visus edocuit CONONEM, quî ritè sacris undis tingendum se præberet, epuloque sacro scitè hospes accumberet. Dolebis credo, qui hæc legis, juventuti similem magistrum deesse. At cælum id ingemiscit potiùs, magistro huic similes hodie discipulos, Cononeſ deesse. Sed quid discipulum voco, qui doctor sanioris doctrinæ parētibus, quemadmodum diximus extitit, eosque non nasci modò Christo, sed mori pro Christo docuit; ipse

quoque flagris ad columnam religatus, & ad internecionem flagellandus, nî invitum tormentis Christiani eripuissent? Superstitionis hostis maximus palàm orcum fateri coëgit, nihil Numinis sibi inesse, fueruntque mali dæmones ludus CONONI. Certè pro imperio suo in illos, alios agris custodes addidit, alios testis clausos terrâ abdidit, & orbe terrarum vel mirante vel ridente, ædes inædificavit pessimis fundamentis. *Ex Menæis.*

Fides vivida & catholica est, quæ velut quoddam Æternitatis exemplar præterita simul & præsentia & futura sinu quodam vastissimo comprehendit; ut nihil ei prætereat, nihil pereat, nihil præeat. S. Bern. serm. 6. de Vig. Nat. Christ.

S. FRIDOLINUS C. *6. Martii.*

FElices exules, qui ut patriam quærant, exeunt patriâ! His FRIDOLINVM jure accenseas. Hibernus domo ex primâ nobilitate, tunc gentilitia decora se aucturum credidit, si superstitionem expugnatum iret, patriamque fidem extra patriam proferret. Igitur fidei signa Rauracis aliisque Rheni accolis intulit, & rebelles nuper cælo animos longè plurimos debellavit. Sub hæc visum est rei Christianæ tutandæ munitionem cœnobium exædificare. Id, quod hodie videmus, Sæckingense est, cui condendo Ursus vir apprimè nobilis patrimonium suum devovit. At invidia etiam hic cælo divitias suas invidit. Doluit frater Ursi Landulphus in hereditatem paternam secum DEVM venire, & homo, fratre demortuo, ausus est DEO sua eripere. Magis FRIDOLINVS indoluit; &, quia testis è vivis nemo unus suppetebat, ad mortuos provocavit. Audit in tumulo Ursus, prodit & cum

FRIDO-

FRIDOLINO millia passuum V. Ranckurchium (ibi enim fortè jus Prætor dicebat) contendit, testis utique omni exceptione major. Nempe minimè placere Landulpho judicio cum morte contendere; ultrò etiam suam portionem heredi DEO cedere, & assem jam promittere, qui semissem nuper negaverat. Quid ad ista vos, quibus hodie hereditate suâ cælum excludere familiare jam est? imò vos, quid? qui donatam à Majoribus vestris ereptum iterum itis. Ad illos, ad mortuos inquam provocant sacra & sacri homines. Non surgunt, dicitis? at timete. Surgent. *Ex vitâ.*

Considera quàm multi nunc moriuntur, quibus si una hora ad pœnitentiâ concederetur, quæ tibi concessa est, quomodo per Altaria & quàm festinanter tamdiu suspirarent, donec peccatorum veniam à Deo consequi mererentur. S. Bern. l. de Int. Dom. c. 1.

S. COLETA V. *6. Martii.*

COLETA in vivis jam ea spectacula meruit, quæ puris mentibus CHRISTVS olim promisit, ut quæ hunc & Cælites alios familiares quotidie in oculis habuit. Quare vaticiniis ac miraculis clara, & à D. Joanne Apostolo, anulo CHRISTO desponsa, ab hoc ipso tandem in cælos deduci visa est. Epulum Eucharisticum ingenti fame appetiit; & hinc, favore in paucis memorando, eundem convivatorem & cibum quandoque nacta, CHRISTVM è CHRISTI manu accepit. Aspera quæque ferre ejus amore ita avebat, ut omnes Martyrum cruciatus lubens volens persenserit, toties prope Martyr dicenda, quot Martyres cælum numerat. Sed ad id impulit nimirum Servator, qui ei tormenta, quæ exantlasset, quibusque

membris, singula ipse omnia enarravit. Addo, quod primo omnium loco erat ponendum. Precanti in conspectum MAGNA MATER se & FILIOLVM suum dederat; sed non eum, qui è sinu vel MATRI vel COLETÆ arrideret, sed qui unum jam toto vulnus corpusculo, lacrimis suis commiserationem videretur atque opem exposcere. Adjecit FILIO adgemiscens MATER, illam etiam hodie facinorosorum crudelitatem esse: utique pueritiæ cumprimis, quæ vix natum CHRISTVM, vix ipsâ nata, non jam uno concidit vulnere. Quin quod placet prævenire Judæorũ manus: puerum CHRISTVM in crucem pueri agunt, nec semel agunt. Superi! quid gigantes facient, quando bellum cælo pumiliones inferunt? *Ex Steph. Iul.*

Vide & considera, quanta sit erga te dignatio Dei tui, & obliviscere populum tuum & domum patris tui: desere carnales affectus, seculares mores dedisce, à prioribus vitiis abstine, consuetudines noxias oblivisceo. S. Bern. serm. de Mut. Aquæ in Vin.

S. THOMAS AQUINAS C. 7. *Martii.*

THOMAS Aquinatium Comitum sanguis, infans oblata fortè in schedâ verba, quibus MARIAM salutamus, illico devoravit, bellaria omni infantiæ danda. Puer in bullâ suâ mundum agnovit, eoque ad D. Dominici castra confugit; sed retractus à tam generosâ fugâ egregiam pugnam edidit, Veneremque ab inimicis domesticis subornatam, & faces sibi admoventem, raptis è foco armis, in fugam agens novo stratagemate ignes ignibus elusit. Ita ubi debellatum est, victoriam gratulati Angeli, balteo virginitatis victorẽ exornarunt. Ille posteà doctrinam virtuti socians, ita de

de Republ. Christianâ meruit, ut inter Doctores sanctiores Princeps habeatur. Certè præclaram censuram CHRISTVS è cruce tulit illis verbis: *Bene de me scripsisti Thoma; merces tua quæ erit?* Superi, quibus studiis veteres verbum illud BENE emendicarunt! De stipendio quid dicam? dum præter ipsum, de quo scripserat, petiit nullum, majus non potuit petere. Ad aram porrò cum feciſſet, solenne habuit facienti deinde alteri pro ministerio assistere, ut qui idem amant facere in pietate discipuli, illud facere se sciant, quod prior Angelicus Doctor fecit. Denique in unam DEI gloriam conjecit oculos; atque hinc à morte stellâ pectus insignis, dixit eam purâ animi intentione se meruisse. Itaque astra in quæ collimavit, facilè obtinuit: nos quia oculo non cælum ampliſſimum, sed scopum terram pusillam statuimus, toto cælo erramus. *Ex Surio.*

Nescit vincere vitia corporis, qui deponit cingulum virtutis. Cincti ergo castitatis baltheo, quod est insigne militiæ Christianæ, fluxam carnis detruncemus ignaviam, & regis nostri exspectatione vigiles, insomnem sæculi somnum nesciamus. Pet. Chrysol. serm. 22.

S. EQUITIUS C. 7. Martii.

QUod paucis datum est, castitatis donũ EQVITIVS Angelorum beneficio consecutus est, qui omnem libidinis fomitem auferre à dormiente sunt visi. Qui nosse cupit, quî sibi Angelos tam demeruerit, noverit precibus id feciſſe castis, quas si in carnis luctâ cum EQVITIO plures funderent, plures etiam hostem funderent. Cæterùm rude donatus miles noster, nihilominùs pro castitate sedulus vigilavit. Quare cùm Basilium Magum

recipere inter monachos cogeretur, palàm edixit dæmonem sub monachi larvâ latere, quam illi tunc detraxit, cùm virgo è velatis febri correpta unius Basilii opē inclamavit. Rectiùs enim EQVITIVS hanc curavit, Basilio medico extra septa monasterii ejecto. Alterum dæmonem ex alterâ virgine proscripsit. Sed ille bellè se purgavit, cùm otiosum lactucæ insedisse, & gulosæ dentibus ultro petitum se & devoratum dixit, utique levi manu, quæ crucem duceret, abigendum. Porro alterum donum ab Angelo tunc tulit, cùm linguam ejus hic ferro tetigit, ut jam, etsi vellet, tacere de Deo non posset. Quòd tamen sui contemptum in moribus etiam & vestibus præ se ferret, obsistere dicenti ad populum Pont. per nuntium cogitabat. Sed uterque aliter monitus à cælo, cœptis destitit. Mortuus deinde EQVITIVS tamen suos à Langobardorum vi defendit. Cùm enim hi trucidandos monachos à tumulo Divi abstraherent, hostibus hic alios hostes dæmones malos immisit. Ab his infesti Langobardi obsidionem scilicet cœnobii solverunt. *Ex Dial. S. Greg. l. 1. c. 4.*

Non debet fidelis anima, quæ Angelorum consortia concupiscit, dæmoniorum lusibus delectari: quicunque vel est Templum Dei, vel esse desiderat, solicitè caveat, ne vana sectando desinens esse templum Dei fiat habitatio tenebrarum, fiat Dæmonis monimentum. S. Max. de Circumcis.

S. PHILEMON M. 8. *Martii.*

DEdit hodie cælo risum PHILEMON, cùm teris tantùm pararet nimis doctus mimus. Apollonius Christianus sacrificare Diis jussus, cùm & scelus facere, &, nî faceret, pœnas dare metueret,

tueret, auro PHILEMONEM corrumpit, jubetque ut APOLLONIVM interim induat, dum sacrificet. Ille dum APOLLONIVM veste, vultu gestuque mentitus omnium oculos, &, quod mirêre, suos adeò fallit, repentè advertit non vestem modò, sed animum etiam Christianum se induisse. Crucis signo (ipse se miratus) armat. Negat dæmonibus litaturum. Denique jam non agere Christianum, sed esse talis videtur. Nempe furere Apollonium exclamat Præses Arrianus, jubet tibicinem PHILEMONEM adesse, qui mulceret insanientem. Mox re omni intellectâ cachinnum tollit, acclamat, plaudit, bellissimam fabulam multis laudat, nimisque bene simulasse PHILEMONEM Christianam religionem ait. At PHILEMON seriùs jam soccos exuerat, & cothurnos induerat. Quare ad preces ejus tibiæ igne cælesti exustæ; ipse, cùm manus admovere, & aquam nemo auderet, à cæleſti manu è nube aquâ primùm, mox sanguine suo, flagris cæsus, lustratus est. Inde unà cum vero Apollonio trajectis ferro pedibus per urbẽ raptatus. Ultimò ad arboris truncum religatus, & sagittis impetitus est. Sed hæ omnes vel in aëre steterunt, vel in arborem exerrarunt. Una etiam viam relegit, oculoque judicis Arriani hæsit. Vidit tamen hic etiam, quam antè non viderat, fidei lucem, injecto (contrà quàm fieri amat) in oculum è PHILEMONIS tumulo pulvere. *Ex Metaphr.*

Spirituales piratæ metuendi sunt, qui non solùm corpora hominum, sed & animas spoliare consueverunt; qui non tam aurum mundi quàm aurum fidei auferre nituntur; qui non tam seculi substantiam, quàm Christi sapientiam depradantur. S. Max. hom. de non timend. host. Carn.

SS. XL. MM. SEBASTENI. 9.Martii.

AMbulaverat per omnes cruciatus impietas, & exhausta tellus nulla jam reliqua tormenta habuit; cùm ecce ad aquas, & aërem est itum. Nudi sub frigidissimo cælo XL. Heroes Sebasteni in lacu collocantur gelu rigente. Sed thermas putasses, ita nunquam aliàs major in omnibus ardor eluxit; si unũ modò excipias, qui ex Martyre transfuga factus, ad balnea, quæ crudelis impietas, ut virtuti insidias faceret, ponè littus statuerat, sese recepit. Sed invenit ibi continuò mortem, qui vitam quæsierat, victurus, si mortem non fugisset. Intereà cælo coronæ XL. delabuntur, & singulorũ martyrum capita ambiunt, dumq; unam de custodibus aliquis vacare spectat, nõ negligenda regna, quæ cælo venirent, existimans, simul Christianum se clamat, simul in aquas insiliens numerũ felicissimum restaurat. Hunc generosum unius saltum omnes tibiis fractis luêre: quasi verò in cælum pedum passibus, & non animi iretur. Inde, ut nullum non elementũ triumpharent, ad rogum rapiuntur. Sed dum Melithon negligitur natu minimus, ecce tibi mater adest Spartana, sublatumq; in humeros ad cumulum reliquorum asportat, eo animo, ut supereſſet, unde animos morienti filio adderet. Exuisse hanc alii matrem dicent; ego meliùs meruisse de filio puto, cùm fic ad rogũ humeris, quàm cùm olim utero ad vitam ferret. *Ex S. Bas. hom. 20.*

Vani inspectores sumus, & laudatores improbi, cùm Sancti coronantur & accipiunt palmas, eò quòd in agone legitimè certaverint, si non & ipsi pro modulo nostro ad ea pertingere laboramus. S. Hildeph. ser. de assumpt. beatæ Mariæ Virg.

S. FRAN-

S. FRANCISCA ROMANA. 9.Martii.

CÆlum non terram habitasse FRANCISCAM credo. Ita semper aut cęlum cum FRANCISCA aut FRANCISCA in cælo fuit. Ægrę medicus D. Alexius astitit; Assisium pergens itineris comitem ipsum Franciscũ habuit. Gabriel modò inferos ei, modò cælos monstravit. Tutelaris quoq; cum filio Evangelistâ nuper mortuo superveniens Archangelum se esse prodidit; nempe semper deinde aspectabilem habuit, invidiam Soli etiam sereno facturum. Certè ad ejus vultũ recitare VIRGINIS officiũ (& recitabat à primis annis quotidie) etiam nocte poterat; ipse concussâ solũ cæsarie (fulmina prodire videbantur) orci larvas fugabat. Idẽ cùm perperam aliquid gestũ erat, erubescere visus, imò quandoq; subducere se. Semel etiam FRANCISCÆ, quòd aurem profanis sermonibus licèt invita præbuisset, pugnũ impegit, quem quidẽ (audaces nos!) etiam cum accersimus prætextata verba, non metuimus. Jam sub ultimos vitæ dies hic nobiliori Angelo locũ cessit. Ipsa cæli REGINA sæpe sæpiùs aspectu suo FRANCISCAM recreavit, FILIVMQVE ad amplexus & oscula propinavit. Hic ipse quoties decumbenti assedit, dictisq; animum demulsit, vel mutus solatio futurus? quoties se cibum præbuit? quoties, ut in amantis oculis luderet, in omnes formas se mutavit, & nunc nasci iterum agereque quæ puer egit, nunc pugnas veteres pugnare mortemq; obire iterum, triumphare iterum visus est? Sed & Agnũ iterũ induere, & ex lateris fonte illud nectar fundere sitienti voluit, quod omnes olim biberemus, nisi mundi lacunas sitiremus. *Ex vitâ.*

Solent Angeli astare orantibus & delectari in his,

quos vident levare puras manus in oratione : holocaustum sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. S.Bern.hom.3.super Missus.

S. CODRATUS M. 10.*Martii.*

ADeste & aures advertite, qui matrem, qui ubera matris, & sinum clamatis molliculi: suum etiam Superis lac est. Matrem CODRATVS in cunis amisit, neque tamen non molliter est educatus. Etenim nube miraculosâ implicitum Numen fovit, & ambrosiâ scilicet enutrivit delicatum. O pluribus cæli hanc instillate, plures ut CODRATOS habeamus! Nimirum à cælo lactatus cælum sapuit, cælum spiravit CODRATVS, & cæli amore, etsi medicus aliorum prolongaret, suam ipse tamen vitam imò mortem contempsit. Ecce enim verberant crudelem in morem CODRATVM tortores. Aërem, non CODRATVM, verberant. Nunc minas Jason Præfectus, nunc blanditias ingerit & promissa. Surdus est Martyr. Raptatur cum sociis ad supplicii locum. Ad epulum ire sibi visi sunt, atque ut scires, quanto gaudio imbuti, cum cantu ivere, & illo, si judices vel Cælitum aures rogasses, longè suavissimo. Jam verò cùm capite sunt truncati, gaudio demum diceres exsiliisse. Terra quoque applaudens eo in loco, quem sanguine pinxerunt, fontẽ reddidit, sed qui Christianorum pro Christo mori volentium non pelleret, sed accenderet sitim. *Ex Surio.*

Si vis habere ministeria Angelorum, fuge consortia seculi, & tentationibus resiste Diaboli. Renuat consolari anima tua in aliis, si vis in Dei memoria delectari. S.Bern.serm.4.in Ps. Qui habitat.

SS. MAR-

SS. MARTYRES ANTIOCHENÆ.

11. Martii.

ANno partæ salutis CCC. VI. eò furor Imp. Maximini barbarus Antiochiæ pervasit, ut neque famem crudelem extensi per craticulas Christiani lentoque igne assati exsaturare, neque sitim cruentam flumina jam sanguinis possent sedare. Tantùm verò abfuit, ut ad hæc exhorresceret Christiana Philosophia, ut sponte suâ (Numine utique invitante) ad mortem per præcipitia & undas ruerent, promptiores ad excipiendam mortem, quàm ad inferendam tyrannus. Inter hos jure suo laudem hodie fert Matrona (Pelagiam Ambrosius dicit) cum filiabus geminis. Hæ Antiochiam ducendæ pulcherrimè se exornarunt, iterque feminæ pede ac animo virili sunt ingressæ. Ex itinere mater non quidem vitæ, sed tamen pudori virginum timere cœpit, non ignara quoties hic ludibrio tyrannis fuisset. Et jam è geminis tyrannis plus puer Amor Maximino terrebat, cùm Numen animos addidit, ut è ripâ in subjectum flumen generoso saltu se abjicerent, Venerē in regno suo expugnaturæ. Diu, veluti lusitabundæ choreas ducerent, secundo flumine descenderunt. Tandem haustas inter preces vortex placidè recepit. Corpora undæ neque exanima disjunxerunt, imò ut favere Nymphis nostris scires, vestibus suis quàm decentissimè tectas ad littus exposuerunt, cùm littus æternum meliusque dudum animæ tenerent. *Ex Ambros. & Euseb. Chron.*

Cui in periculis palpitanti & trepidanti invocatum JESV *Nomen non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui in adversis diffidenti jam jamque deficienti,*

si Nomen adjutorii sonuit, defuit fortitudo? S.Bernard. serm.15.sup.Cant.

S. GREGORIUS M. DOCT. ECCL.
12.*Martii.*

VLtro mendicabulis januæ paterent, si latitantem in iis CHRISTVM, vel Angelum cerneremus. Tales hospites GREGORIVS habuit, & ob eam pietatem summum Pontificatum tulit. Ad hunc evectus inter primas curas habuit medicinam gregi suo quærere, quem pestilentia totâ passim Italiâ, sed Romæ potissimùm lacerabat. Placuit, morte tam atrociter grassante, ad MATREM VIVENTIVM confugere. Hujus proinde effigiem cùm totâ urbe supplicabundus circumtulisset, Angelum vidit, qui iratum jam diu capitibus ensem vaginæ redderet; & aërem noxium purgari vel inde animadvertit, quòd in eo cælestes voces, gratantes CÆLI REGINÆ de morte victoriam, audiit. Ita servatis domi civibus, foris etiam Christianum Imperium amplificavit, adjecto Anglorum regno. Libros deinde lucubrare est aggressus, qui etiam hodie Doctorem suum SPIRITVM S. probant, quem quidem specie columbæ obvolitantem capiti ejus non unus vidit. Sed & ad preces illius Angelorum panis in carnem abiit, & hæsitanti feminæ fidem mysteriorum fecit. Tale columen Christiani orbis subruere tamen Mauritius Imp. cogitavit. Sed mox impiæ mortis consilium morte ipse non unâ luit, toties mortuus priusquàm moreretur, quot sub securi filios vidit mori. Ipse idem fatum cum conjuge contra omnium parentum vota ultimus subiit. GREGORIVM verò mortuum ferunt anno DC.IV. sed rectiùs vivere

illum

illum etiamnum, & immortalem vivere in suis libris dicemus. *Ex Surio.*

Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM *veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per* MARIAM. S.Bern.serm.de Nativ.B.M.V.

S. ISIDORUS CONF. 12.*Martii.*

ISIDORVM rusticum virtus nobilitavit. Invidete vos, quibus honorum titulos vel cunæ alienæ donarunt, vel nummi turpiter mercati sunt. Quòd si ridere serico cachinno terræ filios lubet, cur non eodem risu excipitis Angelos, quos ISIDORI vicem, dum hic precatur, sulcare non jam aërem pennis, sed aratro terram, custodire non jam homines, sed hominis mulos, & baculo in lupos pugnare conspicitis? Nimirum, quorum conspectum vos horrorem, præsentiam nauteam ducitis, cum his nobiles cæli cives esse delitias suas putant; vos hircum interim his oletis; vobis cùm omnia adsunt, omnia desunt; at ISIDORO cùm libuit, olla pultes dedit, & pauper mensa pauculis structa, hospites eadem totos pauperum manipulos admisit saturosque dimisit. Ite jam & sceptro imperate homunculis timidis. Opilio noster baculo rudi toti naturæ imperat, & nunc aquas jubet ire, ubi non sunt aquæ; nunc quos vos timetis morbos, &, quam vos fugitis mortem fugat. Vos generosos terræ vermiculos, ne in prædam cedatis ignobilioribus vermibus, frustra myrrhæ armant, frustra balsama propugnant. At ISIDORVM annos ab obitu CCCC. & L. integrum servavit virtutis odor, quando laudes illius pleno ore campana æra suopte motu impulsa cantarunt. Rectè igitur nobilitatem

bilitatem hanc anno M.DC.XXIII. Greg. Pont. Max. Cælitum honoribus condecoravit. Vos quoque qui largo pulmone nequicquam nobiles spiritus spumatis, è viâ cedite; Rusticus noster in cælo etiam reges præit. *Ex actis Canon.*

Si in hac vitâ dolet esse pauperem, & inhonorum, quale est in perpetuâ patriâ de contemptu dolorem, de ignobilitate pœnam, de nuditate opprobrium sustinere? & tunc addici pœnis, quando pauper ducitur ad confessum Dei, & dives trahitur ad supplicium punitorum? S. Pet. Chrys. serm. 22.

S. THEOPHANES C. 12. *Martii.*

PAtria THEOPHANI urbs regia Constantinopolis, parentes Isacius & Theodota fuerunt, è principe ambo familiâ. In locum patris demortui ipse Imperator subiit, trimulumque in aulâ suâ omnibus disciplinis erudiri fecit. Sed animus etiam his altiora spectabat. Quare cùm nuptias, matre ita volente, effugere non posset, domum quidem sponsam deduxit: cæterùm cùm Hymenæus in thalamum se penetrare vellet, clausas fores stratumque non sibi sed virginitati reperit. Nempe sponsæ persuaserat jam, ut alteris nuptiis virginitatem conjugio copularet. Id verò graviter tulit socer, ut qui dulce nepotis nomen amabat. Igitur velut degenerem à patriâ virtute apud Leonem Imperatorem ignaviæ accusavit THEOPHANEM. Idemque, ni vestigiis Majorum insisteret, oculos effossurum se minitatus, ut vinctum mundo teneret (nam solitudinem cogitabat) novis honorum dignitatibus oneravit. Sed mortuo Leone, cùm rectius Irene mulier Imperium administraret, THEOPHANES inter Monachos, conjux inter

Virgines

Virgines velatas se abdidit. Fugit tamen ille Abbatis honores, ne in alteros scopulos vix subductam ratem impelleret. Post hæc Synodi Nicænæ pars magna fuit. Sed & Leoni alteri Iconomacho fortiter se opposuit. Neque hic virum aut carceris obsidione aut fame longâ expugnare potuit. Victor igitur THEOPHANES cælum subiit, duxitque in triumpho duo ingentia monstra, Leones duos. *Ex Surio.*

Perspice ô homo quantum valeas, & perpende quantum debeas; ut tandem tibi vilis esse desinas, ut vel per hoc erubescendis subjacere vitiis dedigneris, dum generositatem tuam de Creatoris ac Redemptoris dignitate metiris. S. Maxim. hom. 1. de Resurr.

S. EUPHRASIA V. 13. *Martii.*

NOn facilè ulla alia Virgo splendorem generis sui, ut EVPHRASIA novit æstimare; quippe quæ alios quantumvis nobiles toros alto animo despexit omnes, unum CHRISTI ambitiosa expetiit. Fortè in hunc fixum cruci oculos defixerat; cùm, ut amor facilè omnia sibi fingit, quæ arridenti, passis brachiis amplexum offerri sibi interpretata illico in crucem involavit, & amatum complexa etiam ipsa, æternùm illi suos amores devovit; quin mox futurarum nuptiarum flammeum inter sacras Virgines accepit. Intereà literæ adsunt à Theodosio Imp. quem sanguine contingebat. Is quòd quinquennem Ordinis Senatorii Principi viro desponderat, jubebat nunc in ejus manus venire EVPHRASIAM. Sed pulchrè illa se jam in alterius manus venisse rescripsit, nec ex re suâ, nec verò ex familiæ dignitate fore, immortali sponso mortalem anteponere. Itaque jam liberè amori

amori suo vacans, sub dio cibi suique aliquando in trigesimum diem, sæpiùs in septimum oblita, ab inferno rivali in puteum præceps acta, ferventi perfusa, aliaque perpessa, cùm satis jam Sponso se probasset, ad nuptias est evocata. Illas splendidissimè adornari vidit in cælo, quæ Asceterio Magistra præerat, eoque abductam EVPHRASIAM à Sponsi MATRE corollâ nuptiali, & dote in singulas virtutes donari. Quis jam dubitet pulchram EVPHRASIAM fuisse, quam tanto studio matrum longè pulcherrima multò pulcherrimo filio conciliabat? *Ex Surio.*

Vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus & amplectendus sit, qui tanti æstimavit, imò qui tanti te fecit: De latere enim suo te reformavit, quando propter te obdormivit in Cruce, & somnum mortis excepit. S.Bern.serm.2.de Mut.Aquæ in Vin.

B. HENRICUS CONF. 13.*Martii.*

NOn abluſit indoles HENRICI à ſtirpe ſuâ. Regius puer mammæ & matris, & mundi lallare generoſus recuſavit, & ad magni Franciſci ubera, vulnera, animum appulit. Intereà parente mortuo Daniæ Rege, viduum regni ſceptrum & corona caput HENRICI & manum ipſa ambiebat, ingerebant hæc regni proceres, ſponſa invitabat, & denique mater impellebat. Per tot tamen obſtacula evadit HENRICVS in ſolitudines, ſuuſque ipſe Rex ſibi imperat. Sed honor, quò nemo alius fugitivos citiùs prehendit, HENRICVM quoque in ſuis latebris invenit, gemmeiſque vinculis ligatum cum publicâ regni lætitiâ ad ſolium reducit. At mater, (quis credat?) illa mater, quæ nuper amore filium deperibat, in novercam ecce abit, &, ſive quòd impe-

imperandi dulcedine capta, ſocium regni nec filium vellet, ſive quòd filii vultum jam minimè HENRICVS præ ſe ferret (auſtera vivendi ratio deformârat) in rogum hunc conjicit. Induit tamen, quam mater exuit, ignis pietatem, & incolumem reddidit, pulchriùs inter flammas quàm purpuram ſplendentem. Minùs verò jam fidendum regno videns, in Italiam religionis causâ contendit. ſed mors aliò ex itinere abduxit. In cælum ubi venit, hoc denique ei regnum placuit. *Ex Ferrar.*

Deſcendamus per viam humilitatis, ponaturq; nobis primus gradus ejus, id eſt primus profectus, Nolle dominari: *ſecundus*, Velle ſubjici: *Tertius, in ipſa ſubjectione quaſlibet contumelias & injurias illatas æquanimiter* Pati. S. Bern. in ſent.

S. PETRUS ABBAS. 14. *Martii.*

QUàm Alites beati familiares PETRO, & PETRVS viciſſim illis fuerit, ex iis quæ narrabimus, perſpicies. Tyro in religiosâ Claræ Vallis diſciplinâ cùm eſſet, obdormiſcentis inter preces Matutinas latus vellicavit Ales unus aliquis ex illis, de quibus diximus, gratiſſimus PETRO monitor. Aliàs cùm avocante capitis dolore à ſociis abitum è templo pararet, illa repentè verba à Cæli choraulis cani audivit: *Laudans invocabo* DEVM, atque his voculis delinitus, facilè dolorum oblitus eſt, perrexitque etiam ipſe cœptas preces decantare, etſi inter olores illos non malè anſerem ſe putaret. Illud amœniſſimum ſpectaculum oculis PETRI accidit, videre, cùm meſſis tempore labori cum ſuis intentus eſſet, Virginum Reginam MARIAM geminâ altera Maria (è Solymis altera, altera ex Ægypto erat) per ſegetes ambulare, ſociiſque

ciisque & laborantibus solamen addere, & fatigatis sudorem abstergere illâ manu, quâ, cùm lubet, nubes abstergit, & cælum serenat. Certè tanti esse PETRVS credidit VIRGINEM vidisse, ut cùm ex ægritudine alterum deinde oculorum amisisset, minimè ægrè hoc ferret, memor, in quali oculo oculum suum abscondisset. Imò gratulatus sibi luscus est, è duobus hostibus (sic enim ille oculos indigitabat) unum saltem amisisse. Lubens igitur etiam alterū beatâ morte clausit. *Ex Petro de Natal.*

Reverà illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura sed de Creatore concipitur, cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est; omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò quodcunque aliud delectare potest, molestum. S. Bern. in Epist.

S. LONGINUS M. 15. Martii.

LONGINVM ajunt Centurionem ejus cohortis fuisse, quæ Servatori, & è cruce pendenti, & tumulo condito, custodiæ causâ fuit addita; Eundem lanceâ latus hausisse sacratissimum, geminosque amoris fontes sanguinis & aquæ nobis dedisse, autori etiam suo salutares, quippe cujus oculis medicinam feciisse liquor illapsus memoratur. Id certè nemo negaverit tot miraculorum spectatori mentis oculos apertos esse, & cùm facinus jam suum, ac Judæorum videret, pectus planxisse, & testimonium divinitatis Crucifixo dedisse. Id cùm & tunc & in publico pòst concilio feciisset, odiumque ingens sibi conflasset, Cappadociam gemino cum comite petiit. Sed & invidia comes ivit Judæorum, & missi à Pilato, qui caput LONGINI referrent. In hos dum fortè offendit,

fendit, ipse cognitos incognitus domo excipit habetque perliberaliter. Postridie LONGINVS LONGINVM prodit, mirante & tesseram hospitii frangere ipso hoste renuente. Sed animos addit LONGINVS, jamque Martyrũ purpuram ambiens vestes candidas induit, animamque cælo, caput Pilato dat ferendum. Hic nobile spolium in fimetum abjecit. Prodidit tamen iterum se Divus, &, ut sepulchro caput cum filii cadavere conderet, matronam oculis destitutam monuit. Itaque tantum thesaurum reperit cæca. Sed & oculos unà reperit. *Ex Metaphr. & vitâ Christi Germ.*

Dominus meus JESVS, *post cetera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi; quòd videlicet non nisi de dextra propinare mihi vellet, non nisi in dextra locum parare refugii; utinam merear esse columba, quæ in foramine lateris dextri habitet!* S. Bern. serm. 7. Qui hab.

S. ABRAMIUS ER. *16. Martii.*

ABRAMIVS nobili loco natus, ipso festo nuptiarum suarum die, cùm domum sponsa dúcenda esset, damnato thalamo, & sponsæ & mundo se subducens, in loca sola aufugit. Inde sacris initiatus, efferam gentem longâ patientiâ, & supra quàm credi potest, magno labore Christo subegit. Sub hæc Maria neptis ex fratre, quam ille à teneris, moribus optimis ac summâ pietate imbuerat, cùm semel lapsa esset, per omnia deinde vitia voluta, ex eremo demum in mundum (hoc est ex cælo in orcum) præceps ivit. Jam publica infamia & scopulus audiebat castitatis, cùm ostento divinitus objecto ABRAMIVS draconem vidit immani rictu columbam incautam deglutire, qui tamen

mox

mox medius ruptus aëri & libertati pavidam reddederet. Hoc viso animatus, cùm & fugam lapsæ, & reditum resipiscentis non malus vates ominatus esset, ingenium ecce exerit, & id ætatis senex militem induit atque urbem petit. Hìc qui L. ipsos annos vinum nec libaverat, convivium instruit, mensæ neptem adhibet, quæque ad hilaritatem faciunt, omnia facit pius auceps. Mox tamen captatâ in tempore occasione, quis sit, aperit, cur venerit, exponit. Tum verò verbis DEO plenis aggreditur, & primò mirari, deinde nutare, tum cedere, demum manus dare Mariam cogit. quid multis? ad columbaria Eremi reducit. Quid ibi, ais, columba capta? nempe gemuit. *Ex vitis PP.*

Deus ob ineffabilem misericordiam, Crucem propter nos sustinuit; cur non & nos erga proximos justi simus, & agnoscentes eos ut membra nostra & eripientes ex Diaboli faucibus in viam virtutis reducamus? S. Chrys. in Gen. hom. 3.

B. TORRELLUS C. 16. Martii.

PEtrum videre te alterum puta, cùm TORRELLVM vides. Nam & hic forte fortunâ gallum in humeros involantem, tertioque cantantem audivit, flevit, resipuit, & ex Veneris, cui meliorem ætatem devoverat, mancipio cæli delicium factus, quidquid pauculis annis in urbe peccavit, LX. omnino annis inter silvas damnavit. In his civium illi frequentia arbores, tectum cælum, vestis setosum porci corium, arma, quibus in se utebatur, catena ferrea, diliciæ panis & fons, cubile terra, plumæ sarmenta, cervical lapis fuere. Sic quoque non nisi tres horas somno, reliquum omne noctis lacrimis transcripsit, tunc etiam credo a gallo

gallo expergefactus. Veneris flammas vel vepribus suffocavit, vel gelidâ extinxit. Sportulam lautam unctamque cùm Papiensis Comes in Bacchanalia submisisset, hospiti eam servaturum se promisit; is ursus fuit, qui è manu Divi cœnavit, dignissimus Bacchanalibus hospes. Atque huic prædam cùm lubens volens concessit, sed non perinde lupo puerum. Eripuit enim hunc, pœnamque lupis omnibus illîc morantibus exilium indixit. Atque hoc est, cur exuli Senensi (cui reditum in patriam impetravit cælo jam receptus) cùm Divi effigiem penes se habere hic percuperet, visendum se cum lupo gremium premente præbuerit. Porrò TORRELLVS moriturus Angelum habuit monitorem. Scio habere eum tu quoque percuperes. Et verò nisi aures claudis, hodie habes. *Ex Ferrar. & Chron. Min.*

Væ tibi, qui post lapsum fortiorem te nobis exhibes! Vt quid tam rigidus es in tuam ipsius perniciem? Inclinare potiùs, ut meliùs erigaris, & ne prohibeas frangi, quod distortum est, ut possit meliùs solidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potiùs indignare. S. Bern. in F. SS. Pet. & Pauli.

S. HERIBERTUS EP. 16. *Martii.*

SPlendorem D. HERIBERTI, quo sive in aulâ Otton. Imp. III. sive Pontificatu deinde Colonienſi conspicuum orbi se fecit, indicavit ingens, quæ matrem parientem lux ambivit. Illustriorem fecerunt radii, qui precantem persæpè cinxerunt, aliaque cum admiratione facta. Et fortè cælum imbres suos terris subduxerat, cùm ecce HERIBERTVS, supplex ad Divorum pulvinaria factus, vix oculis pluit, cùm cælo DEVS. Tunc etiam

euntem

euntem columba comitari visa est, & ad extremum in cælos sublimis abire. Eò per infima quæque munera charitatis tendere HERIBERTVS. Itaque pauperculæ filium ipse sacro fonte voluit mergere, alterum tollere mersum, pauperisque cœnæ eo die conviva esse, docturus nostram ætatem, parvo (si velint) opsonare etiam insulas posse. Jam monasterio construendo cùm locũ circumspiceret, hunc Deipara ipsa signavit, ut viderent Mariani, quæ maximè ædificia VIRGO probaret. Sub hæc cùm infensus HERIBERTO S. Henr. Imp. esset, castigatus à cælo non dubitavit cum hostili animo purpuram exuere, & ad ipsos Pontificis pedes descendere, veniam osculis lacrimisque rogantibus. Jam moriturus hic heredes scripsit (adeste testamento Pontifices) fratres suos, non quos caro sed pauper Christus germanos fecerat, quosque ille non fratres modò dicere, sed Dominos etiam est solitus. Tum demum in cęlum abiit, non aberraturus, quia & Divorum choros obvios habuit, & columba illi jam olim viam monstravit. *Ex Surio.*

Manus pauperis est Gazophylacium Christi; Da ergo homo pauperi terram, ut accipias cælum: da nummum, ut accipias regnum; da micam, ut accipias totum: Da pauperi, ut des tibi; quia quicquid pauperi dederis, tu habebis, quod non dederis, habebit alter. S. Petr. Chrys. serm. 8.

S. PATRICIUS EP. 17. *Martii.*

PATRICIVS puer servitutem servivit Hibernis, magno horum bono: è servitute enim dominos suos servus eripuit. Id hoc modo factum. Parvulum è Musarũ sinu latrunculi in Hiberniam abduxe-

abduxerunt. Ibi sues pascere jussus est nobilis pusio. Agnosceres sanè margaritam ad pedes porcorum abjectam. Cæterùm è scrobe, quem porci fecerant, lytrum egerere Angelus jussit. Ergo in patriam redux in disciplinam SS. Martini & Germani Antisiodorensis se dedit. Post hæc, ut Hibernos Christo adjungeret, suaserunt somnia, in quibus & accipere ex Hiberniâ epistolas supplices, & necdum natorum Hibernorum voces plorantium opem audire sibi videbatur. Euntem igitur in provinciam suam, insulâ Cælestinus Pont. donavit. Anachoretes baculo, quem, quòd ex manu JESV accepisset, jussusque PATRICIO dare fuisset, ab eodem, JESV baculum dixit. Ita armatus in Hiberniam venit, & æquis auribus tam diu auditus à pluribus est, quoad de inferorum suppliciis dicere cœpit. Hæc enim, velut fabella, risu excepta. At PATRICIVS locum, ubi dicebat, scipione suo cùm signasset, amplum terræ hiatum aperuit, jussitque non fictis vocibus inferos ipsos concionari. Tunc verò inferos esse inferis creditum est, locusque is Purgatorium PATRICII appellatus, qui cùm omnem eam gentem in libertatem filiorum DEI asseruisset, annos natos C.XXII. ex corpore, alterâ servitute, abiit. Pilei loco Superi coronam donarunt. *Ex Lippeloo & Pet. de Natal.*

Propterea rectum fecit Deus hominem etiam corpore ipso, & os homini sublime dedit, cùm prona utique spectent animantia cætera terram; ut attollens ad sidera vultus illico suspiret, ubi tam beatam & perennem conspicit mansionem. S. Bern. serm. de S. Mart.

S. GERTRUDIS V. 17.*Martii.*

GERTRVDEM quoque ob sanguinem, quem nobilissimum inter Gallos habebat, sanctè superbam vidisses. Quare cùm eam juvenis (è principe & ipse familiâ) sponsam sibi à parente Pipino peteret, ipsumque adeò Regem Dagobertum, qui tum fortè epulo hospes aderat, oratorem haberet, contempsit tamen mortalem sponsum GERTRVDIS, & jurejurando palàm firmavit, non nisi immortali nupturam se, nec aliam dotem præter cælum admissurã. In has deinde leges à morte Pipini Virginem D. Amandus Christo despondit. Mox cæli prodigia castissimam sponsam honorarunt. Nam precantẽ ignea & è cælo delapsa sphæra visa est coronare, & ejus ope servati nautæ à mortis periculo, quod immanis cetus jam jam minabatur. Sed vel nomen GERTRVDIS pro scuto fuit, mersitque subitò, quod navim jam mergere videbatur, monstrum. Jam diem ultimum, quem quidem ut nuptialem GERTRVDIS amavit, monachus illi prædixit Ultanus, commeatum è cælo D. Patritium, & beatos Angelos spopondit. Virtutis odorem etiam à morte tumba, quam longè ante fieri ipsa mandaverat, suavissimum spiravit. Ipsa ne vivere etiam mortuam dubitares, diversorum oculis se objecit cælesti luce circumfusa. Vim etiam ignes grassantes à monasterio illo vel avertere, quo impuras olim flammas suffocaverat. Tam facilè etiam indomitum Vulcanum est vincere illi, qui Venerem vicit. *Ex Surio.*

Qui Christum videre quærit, cælum, unde Christus est, non terram, de qua aurum est, intueatur. Dives, qui sursum est, non portat sed proculcat divitias, nec incu-

vat-

vatur divitiis, sed levatur. Divitiarum servus, non dominus est avarus: at misericors tot servos habet, quot nummos. S.Pet.Chrys.serm.4.

S. EDUARDUS M. 18.*Martii.*

SUstulerat Edgarus Angliæ Rex binos filios: ex Elfedâ, lectissimâ matronâ, EDVARDVM nostrum: ex Elfridâ improbissimâ muliere, Ethelredum. Illi utpote natu majori regnum Edgarus, & quæ major regno hereditas est, virtutem reliquit. Non hanc, sed illud invidit noverca improba, &, quò purpuram Ethelredo suo pingeret, sanguinem statuit EDVARDI fundere; quin si fieri aliter jam non posset, cum diademate caput auferre. Commodum impiis consiliis accidit, ut quarto regni sui anno illic venaretur EDVARDVS, ubi pessima fera noverca stabulabatur. Nimirum hæc venatori laqueos ponit. rogat tectis hospes filius succedat. Abnuentem, haustum certè è manibus parentis accipiat, obtestatur. Heu! ut nunquam magis odit noverca, quàm dum amat! Dum bibit, subornatus ad scelus servulus, cultro necem domino fert, vinumque sanguine miscuit; corpus exanime in proximâ casâ occultatum: sed scelus Elfridæ unaque virtutem EDVARDI prodidit etiam in nocte lux insolita, casam omnem illustrans, lucemque adeò mulierculæ inhabitantis oculis ferens, quam nunquam priùs videre. Iterum in paludes abjectum cælum ostendit indice columnâ igneâ. Ergo extractum omnique honore tumulatum Martyris corpus fontem prope dedit, ex quo passim sanitatem ægri bibebant. Noverca etiam veniam oratura illuc contendit, sed neque eques, neque pedes progredi unquam potuit, semper vi, nescio

quâ, arcanâ repulsa. Dixisses neque supplici novercæ jam manes fidere. *Ex Surio.*

Plantare pacem radicitus, Dei est: evellere penitus, inimici. Nam sicut amor Fraternitatis ex Deo est; ita odium ex Diabolo: quapropter damnanda sunt odia, quoniam scriptum est, qui odit fratrem suum, homicida est. S. Pet. Chrys. serm. 53.

S. JOSEPHUS SPONSUS B. M. V.
19. *Martii.*

COmpendium laudum JOSEPHI dedero, si convixisse JESV & MARIÆ dixero; huic Sponsum integerrimum, illi nutritorem sedulum. Arcanorum ergo conscius omnium, multa gavisus est gaudia, multa dolenda doluit. Utraq; VII. fuisse binis è D. Francisci cœtu ipse voluit manifestum. Et gaudio quidem primus omnium delinivit animum nuntius, quo non nisi DEO plenam MARIAM intellexerat: tum deinde aures recrearunt ad cunas magni infantis choraulæ nobiles; sed longè demulsit suavius nomen, quod ipse indidit, dulcissimum. Jam vaticinia Simeonis, quæ Servatorem puerum; dejecta in Ægypto simulachra Dæmonum, quæ DEVM loquebantur, & Angelus, qui in patriam exules revocabat, aliis atque aliis gaudiis cumularunt. Illud demum delitiis inundavit, cùm quod charissimum habuit pignus, amissum reperit. Et hæc gaudiorum materia; illa dolorum fuêre: tristis primò, quem à VIRGINE parabat, secessus; tum pauperes cunæ, & prima, quæ imbribus præluśit, sanguinis pluvia; mox gladius Simeonis, cor Sponsæ non nisi per præcordia Sponsi petiturus; pòst fuga præpropera & Archelai tyrannis; demum amissa in uno Puero omnia bona;

bona; hæc inquam, tot mœroris argumenta, quot antè lætitiæ, dubiam utrinque victoriam fecere. Ego, si fas sit, octavum & dolorem & gaudium addidero, mortē inter JESV ac MARIÆ amplexus. Quid enim acerbius, quàm hos ex oculis dimittere? quid dulcius, quàm ab his oculos claudi? *Ex lib. 3. Carthag.*

Disce homo obedire, disce terra subdi, disce pulvis obtemperare: Erubesce superbe cinis: Deus se humiliat, & tu te exaltas; Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Auctori. S. Bern. hom. 1. super Missus.

S. PANCHARIUS M. 19. *Martii.*

NEmo, ô juventus! nemo rectè duobus Dominis unus servit. Nempe duos nec amabis, nec amaberis à duobus. Si fidem Christo non habes, ah saltem tibi habe, juventutis habe Principi PANCHARIO. Quid non huic nomen suum promisit? unus Diocletiani furor, qui patriam infestabat, terrebat. Ergo Romam itur. Ah PANCHARI sequeris, non fugis hostem! Aula tamen accipit, opes stipant, honores aulæ Præfectum salutant, ipse Diocletianus amat. Fidem juro PANCHARI, odit tyrannus qui amat. Eheu! vates fui, blanditiis expugnatur cereus animus, & dum fidus regi laborat esse, cælo fit perfidus, Christum, prô! cum Jove mutat. Ite nunc aulæ mancipia, ite Principes, fidem aulæ habete utrique, quæ fidem frangit DEO. Nunquid rectè iterum illud clamabo: *Exeat aulâ, qui pius esse cupit?* Exit ecce PANCHARIVS aulâ, à matre & sorore Christianis castigatus, & pius est iterum, iterum Christum amplectitur, Jovemque damnat, spectante & audiente Diocletiano. Furit

hic & verberibus sævit. Hæc tu PANCHARI, amoris divini in te principia crede. In theatrum abriperis: Spectatores Superos habebis. Exul Nicomediam abduceris. Gaude vel sic aulâ exiisse. Securi feriunt; sanguini innatas. O factum bene! hanc demum purpuram altera, ad quam tendis, Aula probat. *Ex Menæis.*

Sapientia est in pœnitudine peccatorũ, in contemptu præsentium commodorum, in desiderio futurorum præmiorum. Inveniſti sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si sæculi desideria parvipendas, si æternã beatitudinẽ toto desiderio concupiscas. S.Bern.l.1. de Conſ

S. SIBYLLINA V. 19.*Martii.*

NAta SIBYLLINA Papiæ in Biscosâ nobili familiâ D.Dominici tertium Ordinem nobilitavit. A teneris scelus ingens credidit esse, quem sibi horarum Canonicarum vicem numerum precum præfixerat, vel semel omittere. Loco solo cùm se incluſisset, non nisi semel ad Virginem velatam, semel epulo Eucharistico reficienda sponso obviàm processit. Gaudiis tunc inundabat, cùm sanguini, quem ipsa flagris septem annis quotidie fundebat. Pudorem unicâ veste & contra æstum & frigora tegebat. Nudo indormiebat ligno, suavissimo castitati thalamo. Annum XII. egressa cùm oculos corporis amisisset, animi invenit, & D.Dominicum manifestâ in luce conspicuum habuit, tantis gaudiis delibuta, ut jam nollet non fuisse cæca. Et verò quis unquam plura vel Argus vidit, quando longè pòst futura vidit, prædixit conscios lethalis noxæ animos inspexit; è ligno quo Christus pependit, reliquias, cordis tactu veras esse pervidit, eoque oculis jam penetravit, ut

qui

quo Christus sub panis orbe, quo non lateret, perspiceret. Sed illa oculis carenti jucundissima spectacula fuere: videre non semel festo Pentecostes die sacrum Pneuma supra caput suum descendere. Denique cùm precabunda beatissimum illum pusionem JESVM, illum illum solem potuit intueri, an non oculos habuisse jam probos putemus? Enimverò si oculis tunc non vidit, at certè charius aliquid oculis vidit. *Ex tom.14.Bzovii.*

Præoccupatum secularibus desideriis animum delectatio sancta declinat, nec misceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis; ut pariter sapias quæ sursum sunt, & quæ super terram. S.Bern.hom.5.de Ascens.

S. JOACHIMUS PATER B. M. V.
20.*Martii.*

JOACHIMVS è regiâ Davidis stirpe assem suum trifariam divisit. Partem templo sacram, alteram egenis & peregrinis communem, ultimam sibi & familiæ voluit reliquam, testamento, quod vel cælum probavit. Nam cùm in ipsam senectam usque sine hærede vixisset (probro id ætatis ac loci tanto, ut cum sacrificio suo etiam repulsam ab arâ tulerit) precibus suis apud Numen hoc questus, candidissimum nuntium certæ prolis accepit. Et verò spem ipse etiam rei eventus longè maximè superavit. Nata enim MARIA, & cum MARIA renatus orbis est. Et pensavit profectò partus tam serus, quidquid morarum traxerat. Potuit ignosci tempori tam magna parturienti: potuit JOACHIMVS hâc unâ filiâ beatus ridere populos alios filiorum. Proinde officium patris facturus, cælo filiam, cui debebat, vix trimulâ dicat, & templo jam

tum ancillam sacrat, nullam cum hoc sacrificio repulsam ab arâ extimescens. Ipse certus de Servatore sinum Abrahæ petit, inde paucis pòst annis triumphantem CHRISTVM ovans sequitur in cæli arces. Ibi ille olim sterilis senex omnium parentum gloriam nunc exæquat. Summa ejus est, genuisse talem filiam, quæ talem illi nepotem peperit. *Ex S. Io. Damasc. l. 4. de Fide Orth. & orat. de Nat. Mariæ.*

Si primò non exaudiris, ab oratione non deficias; imò precibus & clamori insistas; vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit, Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. S. Greg. in psalm. 6. Pœnit.

S. CUTHBERTUS EP. 20. *Martii.*

EXultabat puer CVTHBERTVS insolentiùs inter æquales suos, victor cùm omnibus aliis in ludis, tum in luctâ præcipuè. Intereà puero Pædagogum submisit cælum trium annorũ pusionem, qui gravibus verbis castigavit leviculum, jussitque mores assumere, qui infulam, quâ olim insigniendus esset, exornarent. Et audiit CVTHBERTVS Deum in infante loquentem, & jam tum abire ad partes religiosorum hominum cogitavit, quod ut posset faciliùs, ægrotantis genu Medicus Angelus, equo candido insignis, curavit. Homines deinde ut pascere olim sciret, pascere pecora instituit, & vigil inter preces in illustri nocte Aidanum Episcopum cælo vidit subire. Posthæc inter Religiosos cùm hospitum curam haberet, inter hos aliquando Angelum numeravit. Nocturnas Veneris faces sæpiùs rigentibus aquis mersus collo tenus extinxit. Episcopus Lindisfarnensis, altero

statim

statim anno libentiùs insulam posuit, quàm sumpsit. Mira quæ patravit plurima alia narrant, & inter hæc feras abactas à pascuis, ab agris aves, ex corporibus tortores dæmonas, corpus quoque ejus post annos quadringentos decemque & octo integrum mirantur. At me judice majus miraculum tu facies juventus, si vel pauculos illos annos, quibus vives, integrũ corpusculũ servabis. *Ex Bedâ.*

O quàm compositum reddit omnem corporis statum, nec non & mentis habitum disciplina! cervicem submittit, ponit supercilia, componit vultum, ligat oculos, cachinnos cohibet, gulam frenat, iram sedat, formatincessum. S. Bern. in Ep. ad Soph. V.

S. WULPHRANNUS EP. 20. *Martii.*

WULPHRANNVS est Senonum Pont. idemque Frisiorum Apostolus. Ad hos cùm mari contenderet, & Ministro sacer calicis orbis imprudenti in undas excidisset, jussit brachium hunc in aquas tendere. Tendenti continuò orbis, spectatores Christo adhæserunt. Morem vel Gente suâ barbarum magis, quo victima Diis improbis juventus innocens cadebat, non uno miraculo antiquavit. Nam & suspensum puerum à laqueo absolvit, &, ut geminis aliis, qui mari exæstuanti præda expositi fuerunt, succurreret, sicco pede undas perambulavit, & dextrâ hunc, illum sinistrâ molliter prehensos ad litus eduxit, mox meliore aquâ, & Christiano ex more mersos matri restituit incolumes. Atque his miris filium etiam Dutuit incolumes. Atque his miris filium etiam Radcis Radbodi ad Christum pertraxit, sed non Radbodum ipsum. Nimirum jam sacris undis etiam iste admovendus, cùm ex WVLPHRANNO intelexisset, Majores suos, Ducesque Frisonum omnes

(qui quidem superstitioni dediti fuissent) inferis damnatos esse, exclamavit improbo joco, malle se cum pluribus & Majoribus suis etiam apud inferos, quàm sine his, & cum pauculis aliis apud Superos degere. In hâc sententiâ ludibria dæmonis mali firmarunt, qui aureos illi montes, certè aurea palatia pollicitus est. Et jam iverat legatus à Radbodo missus, qui Deorum munera inspiceret : jam inspecta probaverat oculus fascinatus, cùm socius, quem WVLPHRANNVS addidit, vana ædificia unico signo crucis omnia destruxit. Radbodus intereà priùs, quàm nuntii redirent, ad illos suos plures abiit. *Ex Lippeloo.*

Renovetur cor à carnalibus desideriis, ut exclusis illis introducatur amor Dei & amor patriæ cælestis : recedant ab ore arrogantia & derogatio, & succedant peccatorum confessio & bona de proximis æstimatio ; assumatur continentia & innocentia, ut contrariis virtutibus contraria vitia depellantur. S.Bern.sent.

B. AMBROSIUS SANSEDONIUS C. 20.*Martii.*

SEnis ortus AMBROSIVS SANSEDONIVS natalem noctem communem cum D. Thoma & Jacobo Mevanienſi habuit. Eam ne candidam orbis dubitaret, tergemina calculo suo Luna notavit ; manè deinde vox probavit pueruli *ad scholas, ad scholas* conclamantis, qui quidem causam clamoris rogatus, tres Principes Doctores natos respondit. Porrò AMBROSIVS infans manibus captus pedibusque ea vincula in æde D.Dominici rupit. Viros Religiosos in nutricum brachiis risu salutabat, nec alio magis quàm imaginum aspectu delectabatur, profanas longè repellens, sacras

oculis

oſculis fatigans. Jam ſeptennis VIRGINIS officium quotidie ſolitus eſt perſolvere: novennis verò jejunia pane & aquâ ſancta habere: inſuper quot hebdomadis, die MATRI VIRGINI dicato, V. egẽtes hoſpitio excipere, ut illud etiam Angeli ambirent, & modulos ſuos adderent. Fugam è mundo meditanti, & declinanti, neſcio quod, epulum geniale, Proteus Orci eremicolam mentitus ſuadere cœpit, primam ætatẽ ſuo exemplo voluptati libaret, ſenectutem DEO litaret. At improbum conſiliarium AMBROSIVS ſigno crucis pepulit. Jamque D. Dominici, jam Alb. M. diſcipulus, mox ipſe Doctor ſacrarum literarum Lutetiæ, tum Coloniæ fuit. Atque ut ſciremus unde doctrinam ſuam haberet, viſa eſt palàm Divina columba in aures loqui AMBROSIO, quæ ille ad concionem clamaret. *Ex Ann. Dominic.*

O ſeculum nequam, quod tuos ſic ſoles beare amicos, ut Dei facias inimicos! planè enim qui amicus eſſe vult tuus, inimicus Dei conſtituitur: Amicus itaque mundi excluditur à conſilio amicorum Dei. S. Bern. in Epiſt.

S. BENEDICTUS ABBAS. 21. *Martii.*

BENEDICTVS puer ludum cum eremo mutavit, ſatis jam magnus philoſophus, qui terrena contemnere didicerat. Ibi multò pòſt malus Orci pullus merulam mentitus, ingens ſub animo libidinis incendium excitavit: ſed ille nudus in ſpinas abjectus ſanguine id extinxit; ut quando Poëtæ roſas olim omnes candidas volunt fuiſſe, ex his ſpinis primùm credam erubuiſſe. Secundùm hæc cùm ſocios legeret, multa admiratione digna fecit, multa paſſus eſt. Illud lepidum etiam memoratu. Diſcipulum, qui a divinis ante finem ſub-

ducere se amabat, attentioribus oculis arbitratus, vidit à Stygii coloris nano vestis orâ prehensum è templo trahi. Castigavit virgis vagum, & ecce parvulus etiam ille è Styge Maurus tergum, ne virgis daret, fugæ dedit. At BENEDICTVS castra sanctissima in monte Cassinate locavit: illîc everso Apollinis fano, postquàm veriora cùm aliis multis, tum Totilæ imprimis oracula dedisset, famâ, & discipulis orbem implessет, sibi etiam denique vates sepulchrum parari jussit, & inter suorum manus, ut Ducem decebat, stans oppetiit. Mox duo Magistrũ capere viderunt in cælos viam, amplam illam & veste pulcherrimâ stratam, multisque luminibus coruscam. Eam tunc nescio quis Cælitum viam Benedicti; D. Bernardus illius leges dixit; ut jam mirum non sit, si eandem tot Pontifices & Reges calcarunt. Nam viam ad cælum expeditam & jucundam quærebant, vel mundo Doctore. *Ex S. Greg. M.*

Illud Sathanæ opus est, ut cogitationes orantis in infinita jaculetur, nec sinat hominẽ in ea persistere postulatione, quam impetrare contendit. Novit quippe, quòd si perseveret deprecans, exaudiet eum, qui fecit illum, etsi innumerabilia peccata admiserit. S. Ephrem in Pan.

S. CATHARINA SUECA V. 22. Martii.

INfans CATHARINA respuit impurarum nutricum ubera, castarum ambiit, Veneris jam in cunis hostis. Puella pupas tractavit; sed cùm pupas induti dæmones verberarent dormientem, etiam has sibi Venerem jussit habere. Viro nupta dotem virginitatem attulit, & arrham virginitatem vicissim ab ipso accepit; quæ ut tuta in thalamo etiam dormiret, humi hunc stravit, vilibusque panni-

panniculis, licèt è principe familiâ esset, involvit. Quæ virtus ita cæli Reginam cepit, ut vultu blandissimo CATHARINAM intueri sit visa, at torvis oculis socrum, quòd vestium luxum hæc amaret. Interim centonibus CATHARINÆ DEVS purpuræ splendorem non semel addidit. Romæ cùm ageret, pudicitiæ custodem B. Sebastianum sibi legit, opemque sæpiùs ejus præsentem sensit. Gravius nihil aggressa est vel facere ipsa vel alteri suadere, quàm VIRGINEM Angeli verbis salutasset. Castigavit tamen MATER MAGNA clientẽ suam, cùm præter Brigittæ matris & virorum Religiosorum voluntatem, patriam cogitaret. Visa est enim sibi CATHARINA inter mundi laborantis incendia frustra opem à VIRGINE rogare, ni Majorum voluntati pareret, & patriam cælo posthaberet. Mortua est pridie VIRGINIS ANNVNTIATÆ, cùm plures annos quotidie animum confessione expiasset. Funus Ericus Rex suis humeris extulit. Cælum stellam legavit, quæ funus comitaretur. Miraris nobiles funeris curatores? Nobiliores anima habuit, Angelos. *Ex Surio.*

Vitam tuam quotidianâ discussione examina; attende diligenter, quantum proficias, vel quantum deficias: qualis sis in moribus, & qualis in affectibus: quàm similis sis Deo, vel quàm dissimilis, quàm propè vel quàm longè, non locorum intervallis, sed morum affectibus. S. Bern. l. Med. c. 5.

S. OTHO CONF. 23. *Martii.*

ROmæ natus OTHO Palladi primam ætatem devovit. A Pallade deinde ad Martem transiit, utroque propitio. Nam & literis excultus, & armis præstans Lothario Imp. cùm hic Innocen-

tio III. Pont. contra Pseudopontificem auxilium ferret, ita volente, veteri Majorum gloriæ Equitis etiam titulos adjecit. Nimirum nulla adæquè calcaria virtutem extimulant, uti aurea. Quòd tamen DEVS sub suis signis militare vellet OTHONEM, ostendit quæ mundus suis stipendia numeraret. Proin dum pro Alexandro III. Pont. contra Frid. Imp. arma gerit, speratque palmas & triumphos, captivus carcerem ab hoc aufert & vincula. Adest tamen D. Bernardus precibus vocatus, & dormientem ex hostium manibus non vano somnio educit. Squalor carceris & fames longa alium vultum OTHONI induerant, ut facilè omnes falleret. Liber ergo arma in se vertit, sibi bellū indixit. Locus castris metandis placuit Beneventum inter & Asculum. Sed & propugnaculum ingens extruxit cellam humilem: tela preces erant: vulnera ab hostili manu nulla, honestissima à suâ manu tulit. Ita sese subjugato, Arianensium quoque superstitionem aggressus expugnare, effecit, ut qui ad id tempus Jani bifrontis imaginem, quà publicis, quà privatis ædificiis præfigebant, Christiani Christum potiùs præ se ferrent, quam Deos ridiculos. Iisdem imminentem ob scelera non modò ab Agarenis, sed Christianis etiam vastitatem, & ruinam prædixit; cui tamen ipse morte subduxit sese. *Ex Ferrar.*

Quæ nos agit vesania virorum? sitire absynthium, hujus mundi sequi naufragium, vitæ labentis pati infortunium impiæ Tyrannidis ferre dominium, & non magis convolare ad Sanctorum felicitatem & ad Angelorum societatem? S. Bern. in Medit.

S. SI-

S. SIMON TRIDENTIN. M. 24. *Martii.*

ITerum hodie impietas odiis suis sanguine innocenti litavit, & cùm Christi non potuit amplius, Christiani certè sanguinem fudit crudelis. Tridentum tragœdiam spectavit. Egere Judæi, & principem Christi personam SIMON sustinuit, puerulus vix dum menses viginti novem natus. Matres omnes Tridentinæ illacrimarunt. Porrò nomina præcipuorum carnificum sunt Moyses, Samuel, & Tobias, sancta nomina, sed improbissimi homines. Ex his Tobias, fortè lusitabundum ad ædes paternas SIMONEM, & blanditiis captum pullum in domũ Samuelis nequam vultur asportavit. Tum verò convolavit cum Moyse reliquum corvorum agmen: uvæ, poma, & id genus illecebræ primò objecta lacrimanti. Tum denudatum corpusculum & injectum, quod vagitum strangularet, collo strophium. Mox sceleris auctor Moyses è genis particulam carnis forficibus princeps aufert, inde alii atque alii succedunt. Idem in dextrâ tibiâ factitatum. Tum denique in formam Crucis extensa victima omnium stylis ac cultris præda cessit, & sanguis sitim cruentam restincturus cratere exceptus est. Horam carnificina durarat, cùm SIMON è manibus tortorũ in cælos evasit. Hodie meritò illi plaudit juventus, ut qui maxima patientem Christum tantillus nobis retulit. *Ex Ioan. Matth. Tiber.*

Si tibi JESVS *semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat: hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua; mel tuum, deliciæ tuum; lectio tua & meditatio tua; vita, & mors, & resurrectio tua.* S. Bern. in Form. Vit.

AN-

ANNUNCIATIO B.M.V. 25.Martii.

HIc ille dies est, quo non tam VIRGINI, quàm mortalibus omnibus salutem Cælũ nuntiavit. Nam cùm homini consulere in humanâ imagine DEVS statuisset, eamque in rem jam olim præ omnibus sibi in matrem MARIAM legisset; ad illam legatum Gabrielem misit, qui postulata exponeret, & VIRGINIS Cælitum nomine assensum peteret. Fecit hic imperata, & lætissimum illud Ave lætus MARIÆ tulit, aliaque in laudẽ addidit, quæ Angelum imitantes homines meritò quotidie gaudemus iterare. Sed nunquam pulchrius illa erubuit, quàm ad tot laudes suas; mirante nimirum honorem suum modestiâ, quâ nemo unquam minùs agnoscit dotes suas, nemo minùs libenter extolli audit. Itaque aggressus timorem adimens beatus Nuntius, matrem fore vaticinatur DEI, inde nomen adjicit filii; sceptra item & regna (omnia æternatura) promittit. MARIA, vel quòd quinam virgo paritura esset nesciret, vel quòd matre sine virgine esse nollet, longè magis hæsitare, & de pudore, quem DEO voverat, anxia, quî id fieri posset, rogare. Mox tamen, ut ille arcanum rei ordinem enarravit, ANCILLAM modestissimè se præfata annuit, & verbum illud expectatissimũ, FIAT, pronuntiavit. Tunc HOMO DEVS & DEVS HOMO potuit dici. Tunc VIRGO quod DEVS fecit, & unico verbo, quo hic orbem antè creavit, illa rem creavit. *Ex S. Luca & Ioan.*

Inter gratias Virginis præcipuè redolebat Myrrha Castitatis & Thus Pietatis. Odor iste super omnia aromata, Dominũ Majestatis de Excelsis attrahit & invitat, ut inclinet cælos & descendat. Guerric. s. 1. de Annunc.

S. LUD-

S. LUDGERUS EPISC. 26. Martii.

CÆlo priùs quàm lucem aſpiceret, charum eſſe LVDGERVM apparuit. Palus enim per cadentis matris latus egreſſus, cùm mortem illaturus utrique crederetur, obſtetricis inſtar fuit. Vix verba fingere blæſa, vix greſſum firmare ſcrvit, cùm magnam in parvulo indolem ſtudia prodiderunt. Neque enim ille, ut amat ea ætas, ludicris delectari, ſed jam tum ſeria agere, & vel cortices in libros concinnare, vel lectitanti ſimilis aut ſcriptitanti aſſidere. Quare compellatus à nutrice, quî diem tranſegiſſet, vel libros, reſpondit, ſcribendo vel legendo ſcriptos. Iterum quo magiſtro uſus eſſet, rogatus, Deo, ſubjecit. Talem in familiaritatem ſuam Muſæ, & in ipſa adyta ſapientiæ admiſerunt, quam ut in alios effunderet, ad Friſones Saxoneſque contendit: Epiſcopus Monaſterii primus Cœnobium etiam Werdenſe extruxit, & cùm nemora denſa obſiſterent, ad hæc exſcindenda famulis ventis eſt uſus, qui noctu everſis latè arbuſtis, aream amplam ædificio pararunt, unâ tantùm arbore relictâ, quæ precantẽ LVDGERVM texerat. Illud etiam memorabile. Carolum M. cui imprimis charus erat, tertiò vocatus, dum preces, quas Canonicas dicimus, recitaret, neglexit adire, & appellatus eâ de re, reſpondit cum majore Principe ſibi colloquium fuiſſe. Atque hæc, quæ offenderet delicatiorem ætatem noſtram, libertas, chariorem etiam Carolo fecit, meruitque hic, dum aſtra, Alcuino doctore uſus, contemplatur, novam ſtellam in cælo videre, LVDGERVM mortuum. *Ex Surio & Lippeloo.*

Verè breve eſt omnino tempus. Infelix proinde qui in vitæ

vitæ hujus lubrico fidens perituram insumit operam, nec advertit, quoniam vapor est ad modicum parens, & vanitas vanitatum. S.Bern.in sent.

S. RUPERTUS EP. 27.*Martii.*

SAnguinem suum, quem ad Franciæ Reges Ducesque Hiberniæ referebat RVPERTVS, tum nobilem esse probavit, quando Vangionum Episcopus virgis servilem in modum per urbem cæsus, & in exilium est actus. Sed nobilissimo exuli dignum domicilium patuit, Bojaria. Huc evocatus in exilium inde superstitionem misit, & primus ferè Boiis patriam suam cælum ipse exul ostendit, regemque primò Theodonem, tum proceres, mox populum magno numero sacro fonte lustravit. Abhinc sedem & arcem sacrorum Juvaviæ (quæ hodie Salisburgum est) posuit, mox Cœnobium hîc templumque D.Petro, alterum dein montibus, idque D. Maximiliano sacrum, velut præsidium sanctæ religionis imposuit, prodigiosis ignibus tunc nobile. Sub hæc in patriam magnis itineribus contendit, novasque auxiliares copias viros XII. adduxit, sui planè, ut aliud nihil dicam, simillimos. His adjuvantibus bellum sanctum, totam penè Bojariam Christo subegit, templaque velut propugnacula pietatis plurima passim extruxit. Inter hæc utique & pulcherrimum ornamentum patriæ, & firmissimum munimentum Ædes veteris Oetingæ numeratur, DEIPARÆ sacra; ut quando huic omnia se debere Boii fatentur, multum profectò etiam RVPERTO debeant, qui Regionis tutelam, eam VIRGINEM inquam, princeps conciliavit. Obiit anno DC. XXVIII. fati sui certus & diei. Parentare lacrimis

omnes

omnes Boii, sed Angeli cantu festivo visi: illi sordidati, hi candidati: ut nosses illos funeri, hos animi triumpho adesse. *Ex Surio.*

Ad omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem denique cujusque modi necessitatem, aperta est nobis urbs confugii; sinus Matris expansus est, parata sunt foramina petræ, patent viscera misericordiæ Dei nostri. S. Bern. serm. 7. Qui habit.

S. GUNTRAMUS C. 28. *Martii.*

QUi Reges salvam majestatem, & regna sua volunt, rectè arces ædificant, & propugnacula; sed rectiùs iidem aras struunt templaque, & ad stipendia optimos præsidiarios, egentes evocant. Inter hos meritò Regem GVNTRAMVM numeramus, pulcherrimum Galliæ lilium, & meritò in Marianum hortum transplantandum. Regias hic gazas omnes, vel in sinum pauperum, vel templorum adyta prodigus sparsit. Certavit verò cum GVNTRAMO DEVS, nunquam non victor, si de liberalitate cum homine certamen sit. Et forte fortunâ somno, ad quem à venatione fessum perstrepentis rivuli susurrus invitaverat, aliquantum indulgebat. Hîc, qui pro dormiente vigilabat, armiger, videt Dominum cum somno nescio quod animalculum proflare; ei cùm pontem ense regio struxisset, aquas superavit, & proximo spelæo successit, paulò pòst viam eandem relegens ore denuò Regis se abdidit. Subinde hic evigilat, & somnium de reperto thesauro narrat. Sed & armiger subjicit, quæ vigilans somniaverat. Ergo in specum itur, & ingens auri vis eruitur, sed omnis iterum cælo, hoc est templis, & egenis transcribenda. Quo factum, ut sicam eorum, qui parricidas

cidas manus afferre regi vel epulo sacro accumbenti, vel ad matutinas preces eunti parabant, semper Numē excussérit prodideritque. Tam firma, ô Reges, munimenta templa sunt, tam fidi, si admittitis, corporum vestrorum custodes pauperum sunt cohors! *Ex Paul. Diac. & Greg. Turon.*

Vsura mundi centum ad unum: Deus unum accipit ad centum: & tamen homines cum Deo nolunt habere contractum. Sunt forsan de cautione soliciti? Quare? homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur? Deus tot & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur? S. Pet. Chrys. serm. 25.

SS. ARMOGASTUS ET SATYRUS.
29. Martii.

AMbos Geiserici Arriani Regis furor afflixit, etsi SATYRVS regiæ domûs Procurator, ARMOGASTVS Comes esset. Et SATYRO quidem, ni ad perfidiam regis mores suos etiam ipse componeret, ob oculos ponebantur officii, bonorum, & liberorum spoliationes, magna semper apud aulicos momenta: ipsa adeò conjunx ultimæ sortis homini, & qui camelos agebat, ad ludibrium jam fuerat destinata. Sed facilè despicere hæc omnia poterat SATYRVS, qui oculos cælo defixerat. Illa expugnare ferreum poterant animum: supplex marito conjunx & juncta matri liberorū cohors, firmissima acies; structæ deinde ante pedes insidiæ, infans, inquam, abjectus, minimus ille, sed maximus apud patrem orator; confusæ denique omnium in unum lacrimæ gemitusque, potentissima apud domesticos tela. Perstitit tamen inconcussus SATYRVS, & objurgavit etiam intempestivam suorum pietatem, & quæ impium in DEVM esse

esse juberet. Ita ab officio dejectus omnibusque exutus in exilium nihil præter innocentiam extulit fidemque DEO servatam. Jam ARMOGASTVS cùm nervis tibiæ & frons torquerentur, nervo altero hos & fortiori (cruce) non semel rupit. E pedibus suspensus dormire poterat videri. Ad fabulum eruendum damnatus virum in arenâ se præstitit. Bubus pascendis præfectus dignum hunc Martyre magistratum censuit esse. Mortuus quoque tumulari, tamen non nisi sub arbore voluit. Sed egesta sub hâc humus sarcophagum è marmore ostendit tam splendidum magnificumque, ut invidere tumulum pastori Reges potuerint. *Ex Vict. Vticen.*

Si paupertatem vix ferre possumus temporalem, in æternum fieri mendicus quis durabit? Cur ergo Christianus, cui militare est id quod vivit seculo, non cogitat, ut pericula terrena otiis cælestibus consoletur? S. Pet. Chrys. serm. 54.

S. EUSTASIUS ABB. 29. *Martii.*

COlumbani discipulus fuit EVSTASIVS, ejusq; in Luxovienſis Cœnobii præfecturâ successor. Pœnitentium dolori ita semper condoluit, ut prior ipse lacrimas daret, imò suis illorum proliceret lacrimas, optimam semper peccantibus medicinam. Etsi igitur lacrimis oculos suos corrumpere videretur, geminis tamen virginibus restituit amissos. Has inter Burgundophora fuit Chagnerici viri nobilis filia, & Deo jam olim desponsa; quæ cùm posteà, parente auctore, hominis thalamum cogitaret, vindicavit febris cogitatum adulterium, &, ut patri dolerent oculi, filiæ suos eripuit. At EVSTASIVS primò patrem facinus suum videre,

videre, tum filiam etiam diem fecit. Jam inter eos, qui principes facem Christianæ legis in Boicam intulerunt, numeres EVSTASIVM licet. Et tulit ille operæ pretium suæ, non item Agrestinus, homo temerarius ac vafer, nihilque monachi præter nomen vestemque præseferens. Hic malus in eum diem discipulus, religionis tamen magisterium affectavit, & cùm minus ex sententiâ cederet, instituit magistrum EVSTASIVM totumque Columbani gregem calumniis petere, eamque in rem socios cogere. Sed ex his aliis lupus, aliis fulmen, morbus aliis, ipsi Agrestino silentium securis imposuit a servulo impacta; cùm eum non multò antè accusatorem expertus EVSTASIVS, ad divinum tribunal vocasset. Secutus hic paulò pòst, prævisâ (quò minùs timeret) morte, rectiùs accusaturus Magister discipulum ingratum. *Ex Surio.*

O si velimus omnem mentis nostræ paralysin pervidere, animam nostram virtutibus destitutam jacere in vitiorum stratis videremus: luceret nobis, quemadmodum Christus & nostras quotidie noxias respicit voluntates, & ad salutaria nos remedia pertrahit & perurget invitos. S. Pet. Chrys. serm. 50.

S. MECHTILDIS V. 29. *Martii.*

CEras alii avitas in MECHTILDE easque Principum & Imperatorum numerant; at nos virtutes, quas si non omnes enumerare poterimus, aliquas certè advocabimus. Et primò quidẽ, quod ferè amat in illustribus puellis fieri, in cunis desponsa videtur, sed nimirum Christo. Certè quinto ætatis anno è parentis in DEI abiit Parthenonem, qui Diessæ tunc fuit. Ab hominis thalamo quàm abhorruerit, inde æstimes, quòd omni lecto abstinuerit,

nuerit, carnem quàm oderit carnisque illecebras, inde, quòd ab hâc semper, dum vixit, abstinuerit; sed nec vinum admiserit unquam, nisi Ratisponæ ex aquâ factum; si tamen id vinum fuit & non nectar potiùs, quod cælum invitæ tertiò tunc miscuit. Jam virginē adultam illam, sed elinguem, & ab orco obsessam unâ operâ & linguæ vinculis, & obsidione tam gravi liberavit. Plura alia mira, quæ vel cùm Antistita esset Edelstettæ in Sueviâ, vel Diessæ (nam huc sub vitæ finem rediit) à morte ipsius sunt prodita, quòd morbos reduces non silentibus minaretur. Capilli demortuæ fulmina exarmarunt. Pagum Diengensem cùm dotem monasterio impetrasset, partem redituum devovit sanctioribus panibus pinsendis, qui sacrificantium usui cederent. Atque hoc est credo, cur ultimùm ægrotanti solatia è cælo tulit VIRGO MAGNA, & cibum divinum Angeli ministrarunt, quando nec epulum, nec epuli spectacula, nec structores, nec conviva nobiliores potuerunt esse. *Ex tom. 4. ant. lect. Canisii.*

Confitere peccatum, ut Christi possis venire ad mensam; ut sit tibi panis Christus, & panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum: ut fiat tibi poculum Christus, qui in tuorum delictorum remissionem funditur. Agnosce te peccatorem, ut tecum prandeat Christus. S. Pet. Chrys. serm. 30.

S. REGULUS EPISC. 30. *Martii.*

ITer in Gallias D. Dionysio cum gemino comite instituenti tertius comes REGVLVS accessit, non infelicibus auspiciis. Etenim cùm illi sanguine suo sterile etiamnum solum rigassent, inter divina REGVLVS ejus rei nuntias ternas columbas habuit,

habuit, quæ singulæ singulorum Martyrum nomina in schedâ ferebant descripta. His ille auspiciis fretus bellum omni superstitioni indixit, templa passim Deorum evertit, DEO posuit. Cùm ex humano hospitio Stygis incolam exigeret, voluit hic in mulum REGVLI migrare. At quò virtutem crucis vel ab hoc magistro docerentur nostri hæretici, mulus pede priore in pulvere crucem scripsit, itaque longè hostem proscripsit. Divus verò, qui aditum hunc orco negavit, exitum è carceribus Christianis facilè indulsit. Nàm cùm permulti inter vincula agerent, REGVLVS scipione clavis vicem usus, ostium pulsavit, aperuit, vinctos omnes dimisit; cumque urbi Præfectus unam pro omnibus vicariam victimam REGVLVM morti destinasset, in somnis Dionysius adfuit, mortemque, quam REGVLO parabat, ipsi judici intentavit. Illud simul lepidum, simul mirandum. Ad concionem dicebat; sed dicentem garrula animalia ranæ sæpè sæpius interpellabant. Imperavit REGVLVS silentium; immorigeris, & ecce continuò tacitæ audiverunt declamantem. Dixisses tunc illas in homines iterum, hodie verò homines in ranas iterum abiisse. *Ex Petro de Nat.*

Si amor Dei tenere te non potest, saltem teneat & terreat timor Iudicii, metus gehennæ, laquei mortis, dolores Inferni, ignis urens, vermis corrodens, sulphur fœtens, Tartarea & omnia mala. S. Ber. de Int. dom. c. 63.

S. BALBINA V. 31. *Martii.*

PUellis aliis sponsum forma, BALBINÆ deformitas conciliavit. Id in hunc modum accidit. Ad miraculum primò formosa fuit, obque id parenti Quirino Tribuno unicè chara. Sed quia hîc

Alexan-

Alexandrum Pont. itemque Hermetem Præfectum ob fidem in vinculis habebat, Numen vindicare impietatem patris in filiâ (oculo parentis) statuit, colloque virginis ingens onus, & quod omnem pulchritudinem extingueret, strumam appendit. Cum hâc dote cùm nulli jam placeret BALBINAM ducere, & parens desperandum sibi de nuptiis filiæ videret, Alexandrum in vinculis accessit, promisitque, si strumam filiæ collo pelleret, superstitionem se cum hâc animo pulsurum. Facilè utrinque convenit. Vix admovit Alexander filiæ vincula sua, quæ Quirinus injecerat, cùm illa strumam, uterque superstitionem posuit. Itaque jam nuptiæ splendidè parabantur. Sed puer elegantissimus adstitit virgini, face armatus. Is sive Amor sive Hymenæus sanctior facilè melioris Sponsi amore accendit, JESVque ut nuberet, induxit. Intereà creberrima oscula salutis auctoribus vinculis Alexandri fixit. Idem præstitit monita ab Alexandro D. Petri vinculis. Mortui deinde pro Christo & Alexander & pater; virgo longiùs supervixit, utriusque heres virtutis. *Ex Ferrario.*

Sit suavis & dulcis affectui tuo Dominus JESVS *contra malè utiq; dulces vitæ carnalis illecebras, & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clavus clavum expellit. Sit etiam fortis & constans amor tuus, nec cedens terroribus, nec succumbens laboribus.* S. Bern. serm. 20. in Cant.

APRILIS.

S. WALERICUS AB. 1. *Aprilis.*

IMaginem Davidis in WALERICO agnos
nam & hic puer pastoritiam exercuit, &
testudine totum Psalterium canere nullo
cit magistro, dignus & ipse, qui è caulâ in au
vel aulâ dignius Cœnobium assumeretur, ubi
lam Saulis lanceam timeret. Tantum apud D
potuit, ut plantaria colenti nulla unquam
sata & brassicas læderet; neque vermiculos se
sed aves etiam ita obsequentes habuit, ut ex
ejus pranderent cœnarentque. Rigente hi
ædes Sacerdotis foco fovendus subierat, q
aliis, quàm vellet, calere ignibus sensit. Sace
enim & loci Præfectus una tum fortè prande
Venerem prætextatis verbis nominare ausi,
WALERICI dolore exussere. Abeunte Divo,
Dei vindicta subiit: Sacerdos oculis captu
Præfectus lentâ fœdâque morte contabuit, lo
ambo linguæ lascivæ pœnas daturi. Eâ sub a
tumulari denique WALERICVS voluit, sub
Deo supplicare vivus consuêsset, ratus be
corpus quiescere, ubi benè vixisset. Et verò c
se molliter manifestè ostendit; ne in Aram
dem à sancto Bernardo invitatus migrare
nuit. *Ex Surio.*

*Facessat ab ore Militis Christi omnis vani ru
ineptia, & lingua, quæ immaculati Agni imò
Verbi rubet sanguine, dedignetur otiosi sermonis s
cibus inquinare.* S.P.Damian.l.6.Ep.26.

S. FRANCISCUS DE PAULA.

2. Aprilis.

FRANCISCVS DE PAVLA decimo tertio ætatis anno, à parentibus ex voto sancto Francisco consecratus, monente Deo, novam Religionis familiam Minimorum nuncupandam condidit. Piorum ope ædiculâ sacram molientem sanctus Franciscus monuit, ut angustiis illis prolatis, ampliorem faceret: impensas causantem fidere Deo jussit; muris ergo dejectis, mox ab homine copioso magnam vim auri in opus accepit. Cùm virtutibus omnibus abundaret, ardebat tamen charitate maximè, quæ ad illum cælo defluxit globo igneo inscripta, ejus tessera futura & Ordinis insigne. Ea flamma cùm totum hominem corripuisset, nihil mirum est, ardentes deinde titiones impunè tractasse, subiisse caminos, cibos quin adeò absque foco solâ Charitatis flammâ percoxisse: sed animos hominum eodem incendio ambussit, & extremis odiis dissidentes non alio ferrumine colligavit, artificiosus in miracula sancti Amoris. Ut cum fratribus duobus pomiferæ arboris causâ inimicitias inter se alentibus, arborem dissilire mediam jussit, neuter ut uno pomo esset ditior; vel cùm pauperum causssam apud Regem acturus numum aureum inter digitos diffregit, ex quo cùm sanguis copiosè manaret, inopum eum esse dixit, qui acerbis exactionibus exugerentur. Hâc denique virtute ad cælum subvectus est anno M.D.VII. eâdem fiduciâ aërem transvolans, quâ olim mare pallio suo instratum enavigavit. *Ex vitâ.*

Quàm pulchrum est, quàm decorum, vulnus à Charitate accipere. Alius jaculum carnei amoris accepit,

alius terreno cupidine vulneratus est ; tu nuda pe tuum, & præbe te jaculo formoso ; siquidem DEVS *gittarius est.* Orig.hom.2.in Cant.

S. GENOVEFA PALATINA 2.Apr

GENOVEFA Brabantiæ Ducis F.Sifridi Co tis Palatini conjux, post votum DEIPARÆ ctum filium enixa est,id temporis Sifrido in S age nte. Intereà Golo, qui pro Duce Rempub miniſtrabat , cùm pudicitiam sæpè sæpiùs GE VEFÆ necquicquam tentasset , ut scelus scelere geret, apud reducem Principem in suspicion eam adduxit, ac si alieno ex toro filium susti set.Maritus continuò crimen cum matre & pu aquis jubet margi. Sed mitiores domino fam cùm in silvas utrumque exposuissent, domi se perata peregisse adsimularunt. Nec defuit et inter silvas afflictis miserorum MATER , sed vam misit, quæ statâ horâ quotidie infanti ub præberet. Annus agebatur orbis restaurati no exilii GENOVEFÆ V.cùm Sifridus,dum feras q rit , in homines offendit , in iis conjugem & tum, in utroque crimen suum agnoscit, VIR verò SOSPITATRICI id loci templum struit: ejus beneficia urbes taceant , vel silvæ loquan *Ex Molano.*

In quacunque hominum versetis frequentiâ, aliena conversationis esse aut curiosus explorator, temerarius judex : & si actum quid deprehendes, sic judices proximum , magis autem excusa. Ber duod.grad.Hum.

S.M

S. MUSA VIRGO. 2. Aprilis.

ERat MVSA virgo Romana, rarum, at breve teneræ ætatis miraculum, cujus lecto nomine, cave citharam choróſve cogites; nullæ occurrant Pierides; vitæ ſeveritatem, verborum moderationem, animi receſſum diſce. Quieſcenti olim Deipara, denſo virginum ſacrarum agmine cincta, ſe obtulit; omnibus in vultu nitor ſolis, in veſte candor nivis. Et Regina quidem eam affata: Comites, inquit, meas dote virginitatis filii mei connubium promeritas vides? augebis tu numerum, ſi moribus matronam potiùs quàm puellam præſtiteris, & infantiæ ſenilem miſcueris temperationem. Nihil, quo pares leviter exultant, amabis. Religioni riſum, jocum ſceleri duces. Ad honeſta oculis, ad interrogata verbis uteris. Ad neceſſaria manum, ad juſſa gradum movebis. Sic efficiam ut trigeſimo die voti compos fias. Sub hæc ita mutata eſt MVSA, ut ſolicito parentum oculo non indigeret, ex quâ tot gravitatis peti argumenta poterant. Itaque interrogare ſubiit novi moris cauſam: quam filia nocturni viſi commemoratione attonitis indicavit. Quinto inde ac viceſimo die febri corripitur: trigeſimo Deiparâ MVSAM evocante, illa geſtiens iterat, *Ecce Domina venio*, & cum voce hinc abiit; vobis quoque, qui MVSAS colitis, Ducem præbitura ſe, monituraque cælum ambientibus morũ levitatem oneri eſſe. *Ex l. 4. Dial. S. Greg.*

Vt Deum contempleris factus es; non ut humi irrepat vita tua; non ut pecudum ritu voluptate perfruaris: veriùs ut ad normam & inſtitutum cæleſtis vitæ tuam ipſius componas. S. Baſil. hom. 11. in Hexem.

S. RICHARDVS EP. 3. Aprilis.

RICHARDVS natione Anglus fratris inopiam servilibus ministeriis voluntate susceptis, levavit, eidemque paternâ hæreditate, pactoque nobilis & opulentæ virginis matrimonio cessit. Dum litteris navaret operam, nullo certo vivendi præsidio, communi cum Sodalibus duobus pallio, vicissim scholas aditurus utebatur. In Episcopatûs fastigium evectus, cum honore, ut assolet, non mutavit morem, paupertatem à se fugientem velut elapsam bonam fortunam insecutus: aureis quippe argenteisque vasis in pauperum annonam expensis, præstare dictitabat, fictilibus, more parentis, cœnare, quàm Christum egenorum turbâ repræsentatum esurire. Uno pane mille homines saturavit, Deo voluntati benefaciendi facultatem suggerente. Aliquot suarum domorum incendium restrictæ ad largiendum manus vindictam est interpretatus; & quos multi convicio à se manuque rejiciunt inopes, tanquam accepturus, non daturus beneficium, ad petendum blando affatu excitabat: cujus facti rationem postulatus, illud ex divinis literis protulit: *Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* Sub mortem notum Deiparæ cultoribus carmen à Sacerdotibus lectulo adstantibus iterari voluit:

Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, Et horâ mortis suscipe.

Immortuus est sacræ crucis complexibus ad annum M. CC. XLV. *Ex Surio.*

Dic mihi, ubi nunc amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? quid ex eis remansit, nisi cineres & vermes? Attende quid sunt, quid fuerunt? homi-

homines fuerunt, sicut tu, comederunt, biberunt, riserunt & in puncto ad inferna descenderunt. Bern. l. Med. c. 2.

S. JOSEPHUS POETA C.

3. April.

IOSEPHVS ævi sui Poëta clarissimus Thessalonicæ & Byzantii vitam egit, qualem agere Musæ amant, à mundi turbis semotam. Parnassus ei cella, lectus terra, cibus panis, potus aqua fuit: nam hâc, & non mero fluere Hippocrenen noverat. Hìc ille sacrorum vatum monumenta lectitare, in vota non vana Poëtarum nomina, sed Numen vocare, atque ita demum pleno ore Cælites canere. Porrò in D. Bartholomæi laudes iturus, cùm evocare omnes ex Helicone Musas gestiret, meditabundo ipse Divus adesse, & libro pectori admoto benè precari visus est. Non è Parnasso, sed cælo hoc fuit somnium. Nam deinceps versus JOSEPHVS non fecit, sed fudit, ut qui exciperent, jam olim ad omnes ungues examinatos, nunc è memoriâ tantùm promi autumarent. Itaque Imperatoribus etiam gratus, non potuit tamen, quin in exilium secundò pelleretur. Sed quia caussam habebat cum DEO communem, etiam hìc Poëtarum ingeniosissimum vicit, locoque ac muneri suo semper restitutus, demum immortali laureâ donandus ad Mecænates suos abivit Superos. Hos omnes, quos quidem versu laudavit, ad exequias Poëtæ sui confluxisse, S. Theodorus ab iis ipsis rediens cuidam ad tumbam suam supplici narravit. Tantum refert, scire quos laudes. Nunc dum non laudanda in mundo laudant Poëtæ, quod pretium ferunt, nisi ut splendidè diu mentientibus mundus splendidiùs mentiatur, & post multas fa-

bulas ultima & longissima fabula ipsimet fiant? E
Menæis.

Sicut ignis in lignis viridibus suffocatur, ita sapientia in adolescentiâ tentationibus & libidine impedita non explicat suum fulgorem, nisi labore, & studio, & oratione incentiva juventutis repellantur. S. Hier. ad Nep.

S. JOSEPHUS-HERMANNUS C.
4. Aprilis

HERMANNVS septem annorum puerulus cœpit inter ultimam rerum omnium inopiam Musas, sed præ Musis impensè MARIAM colere. Eam cùm in templi odeo ludentem cum FILIOLO & D. Joanne vidisset, dextrâ VIRGINIS in societatem accitus, homo Superis collusit: puto ut cælum ostenderet, quis maximè ludus studiosum adolescentem deceret. A ludo saxum monstravit PATRONA, unde quoties egeret, nummos promeret. Ita Mecænate cælo usus, simul annum XIII fuit ingressus, mundo est egressus, & candidum Præmonstrati Ordinis habitum Steinfeldiæ suscepit; ratus longum cæli iter adolescentiæ maturè ineundum esse. Inter religiosæ vitæ studia tam amor in HERMANNO MARIÆ, quàm HERMANNI in MARIA crevit, ut eum primum amantissimo JOSEPHI nomine donaret, tum deinde in Sponsum deligeret, dotemque in manus omnes cæli devitias FILIVM daret. Ægritudines illius complures suâ manu absterfit. Tristiorem, quòd muniis aliis distractus precibus vacare non posset, monuit, plus apud Superos solicita in alios studia, quàm quieta inter preces suspiria mereri. Quoties genii supplex MARIÆ nomen venerabatur, toties omnibus perfundi sibi odoribus visus est. Cælo hic-

hiemante litantis manus, ne à frigore offenderentur, JESVS & MARIA fovebant, duo utique calidissima sidera. Corpusculum mortui ut supra terram semper, ita etiam sub terrâ diu integrum mansit; an quia odoribus, quos memoravimus, illud condivit? *Ex Surio.*

Ecce parvulus in medio statuitur: studeamus effici, sicut parvulus iste: discamus ab eo, quia mitis est & humilis corde; ne magnus videlicet Deus sine caussa sit factus homo parvus, ne gratis mortuus, ne in vacuum crucifixus. Bern. serm. 3. sup. Missus.

S. THEODULUS & AGATHOPUS MM. 4. *Aprilis.*

NEmo vel citò vel serò nimis cæli viam ingreditur, si quidem ingreditur. Juvenis ætate THEODVLVS, senex AGATHOPVS, parili tamen cursu per Martyrum stadium cucurrerunt, anno à Christi ortu quarto supra trecentesimum. Et THEODVLVS quidem ante cursum, bravium (certè arrham bravii) scribitur è cælo annulum accepisse, qui artificis cæli manum crebris miraculis, quibus omnes passim morbos pellebat, laudavit. Porrò cùm intra carceres ambo adhuc consisterent, in somnis ab ipso Numine sunt animati, ipsi verò ad fidem exemplo suo adductos alios animarunt. Postridie ad virtutis theatrum (tribunal tyranni) tracti in ruborem hunc, in lassitudinem tortores dederunt. Eâ, quæ secuta est, nocte, iterum carceribus clausi, idem uterque in somnis somnium viderunt. Naufragium sibi facere videbantur, sed auspicatum illud, & nimiùm fortunatum: quòd cæteris quidem, quorum longè plurimi

erant, fluctu hauſtis, ipſi neſcio in quem montem cælo contiguum evaſiſſent, candidis ibi veſtibus ornati. Somnium hoc dies explicuit. In mare cum ſaxis appendicibus abjecti ipſiſſimum Olympum ſubierunt. THEODVLVS deinde multâ luce candidus, inde ad ſuos reviſit, quòd teſtamentum facere eſſet oblitus. Dixit ergo heredes omnium pauperes, & te quoque inter hujus teſtamenti executores hodie cupit habere. *Ex Metaphr. apud Surium.*

Navicula Chriſti nunc tollitur ad cælum, nunc in trepidationum ima deſcendit: nunc Chriſti regitur viribus, nunc formidine jactatur: nunc operitur fluctibus paſſionum, nunc confeſſionum remigiis enatat. Sed nos iterum atque iterum clamemus, Domine ſalva nos; Perimus. S. Chryſol. ſerm. 20.

S. VINCENTIUS C. 5. *Aprilis.*

SAnctus VINCENTIVS antiquâ Ferreriorum familiâ in Hiſpaniâ natus, primis ſtatim annis documenta edidit Magiſterii pietatis, quod vir exercuit, jam puer inter pueros Magnus Orator. Ea initia egregiâ indole ac literarum eximio profectu fecit auctiora, omnem libertatem pertæſus, quæ levitatem oleret. Ingreſſus S. Dominici familiam, & Chriſti aſpectu, morbo levatus, ejus imperio populos ad pœnitentiam evocare inſtitit, tam ſtrenuè quidem, ut ſatis conſtet Judæorum viginti quinq; millia, totidem ferè Saracenorum, Chriſto ejus operâ conciliata; Chriſtianorum centum viginti millia eidem reconciliata: publicis flagitiis infamium quadraginta millia ad innocentiam reducta. Ardorem dicentis inde intelligas, quòd capitalia auſos cùm ad furcam comitaretur, ora-

oratione primùm efferveſcere, mox colliqueſcere, denique in cinerem exareſcere coëgerit feliciſſimo ſupplicio amoris extinctos. Tot ſpoliis Orco abactis triumphantem mirum non eſt, ſi Styx odit, & ſpoliare caſtitatis gemmâ contendit, quantumvis irrito conatu, quòd in Magnæ Matris tutelâ eſſet, quæ ſuo pugili adſtitit, & victorem rude donavit, in nos quoque exemplum repetitura, ſi cum VINCENTIO vincere vellemus. Acta olim furiis mater, ac proli ſuæ iniqua infantem in multas partes ſecuerat: has collectas vir ſanctus integritati vitæque reſtituit, poſt dæmonem etiam de morte triumphans, quæ proinde obſtruere viam huic ſideri non potuit, quo minùs ad cælum anno M. CD. XVIII. ferretur *Ex Sur.*

Ad evitandas diabolicæ pugnæ moleſtias valenter aſſurgimus, ſi neceſſitatis ultimæ periculum providè pertractemus: nam ſi repentinus ille atque terribilis adventus Chriſti perpenditur, quid erit in mundo, ubi mens humana delectetur? S.P.Dam.l.1.epiſt.19.

S. IRENE V. M. 5. *Aprilis.*

IRENE S. Anaſtaſiæ famulabatur, conditione, non item virtutibus Heræ impar. Unà cum duabus ſororibus ad tribunal rapta eſt immitis Dulcitii, quodque magis timendum fuit, etiam laſcivi. Profuit innocentibus, quòd amor in furorem abiit, qui Dulcitium ad diſſuaviandas ollas impulit, quarum fuligine deformatus cæcus amator, bacchatuſque per urbem populo ludos præbuit. Sed neque cùm denudari virgines mandaſſet, veſtes corporibus eripi ullâ vi potuere; pugnante pro iis, & togas retinente mordicus pudore. Fornace deinde (Babylonicam dixiſſes) concluſæ IRENES

NES sorores, inter flammarum blanditias verius quam tormenta, mortem somni similem, illæsis corporibus, oppetierunt. IRENE verò ardentiores etiam ignes evasit; in lupanar quippe Veneris fornacem per vim intrusa, ab Angelis sub militari habitu latentibus, illibatâ virginitate, inde educta est, & in montem ablata, extra teli quidem Cupidinis jactum, non æquè tamen furentis adhuc Dulcitii posita; ab hoc enim celeriter insequente, eminus sagittâ transfixa est volens lubensque, & amorem suum Numini saucio pectore testatura, mox in ejus complexum à cælestibus Paranymphis domum, id est Cælum, deducta; anno salutis CCC.IV. *Ex Actis S. Anastasiæ.*

Mox ut germinare inceperint fœdæ cogitationes, compunctionis gladio interimat ipsas, qui cordis sui JESVM *cupit habere possessorem; virilem super se adhibeat custodiam, quâ nec seducatur nec alliciatur.* S. Laur. Just. de Cast. Conn. c. 33.

S. GUILIELMUS C. *6. Aprilis.*

GVILIELMVS domi nobilis, Hugoni Abbati, apud Parisienses, à parentibus ad omnem pietatem informandus traditus est. Nec abhorrebat à disciplinâ pius animus, quâ comite feliciter in literis progressus, facilè superabat æmulos, quibus ob morum integritatem fastidio fuerat. Patebat multorum invidiæ, quam ille æquo animo perferens, nihil alienum à virtute patrabat, quæ sedem firmam in pectore ipsius jam fixisset. Dubius quo vitæ genere virtutis studia decurreret, monente tandem severiùs Odone Abbate, & objectâ Christi crucifixi in vitreâ fenestrâ depicti spe-

ſpecie, pectori ejus faces ſubdente, in religioſam ſe familiam recepit, in quâ cæleſtibus promiſſis accenſus, ita ſe probavit aliis, ut Roſchildenſibus præficeretur Abbas. Et quia pii omnes adverſis exercentur, nequaquam ab iis vir ſanctus eximius fuit, cæli nihilominùs deliciis ſuſtentatus. Graviùs decumbenti S. Genovefa virgo ſolamen & morbo medicinam attulit. Morituro denique Reparator noſter, Sanctis comitatus, conſpicuum ſe fecit, ſcilicet ne mortis larvâ terreretur. Cælum Anno M.CC.II. ſubituro paratum ſolium ejus diſcipulus vidit, coronamque, rarum opus & Angelorum manibus elaboratū; ſed gemmas GVILIELMVS ſuppeditavit, virtutes ſuas, quarum nos nomina fortaſſe ſcimus, & ſubinde de pretio diſputamus, ſed ſubterfugimus patientiæ ſcalpellum, ſine quo nulla gemma cælatur. *Ex Surio.*

Chriſtus ſit confabulator tuus: Chriſtus ſit contubernalis tuus & conviva; imò Chriſtus ipſe ſit tuæ deliciæ, ipſe quotidianæ refectionis epulum, ipſe tibi ſit intimæ dulcedinis alimentum. S.Pet.Dam.l.7.Ep.6.

S. CALLIOPIUS MART. 7. *Aprilis.*

CALLIOPIVS eximiâ ſanctitate juvenis ad agenda Liberalia ab impiis invitatus, liberè abnuit, nefas eſſe Chriſtianis dictitans, inſanire cum ratione. Præfectus urbis Maximus extrema primùm comminatus, cùm nihil objectis terroribus profeciſſet, verſus ad blanditias, velut in dotem invitamentumq; ſceleris filiæ matrimonium promiſit. Eam conditionem generoſiùs etiam reſpuentem plumbatis contundi, nerviſque crudis fœdè laceratum, in rotam jubet innecti, curvaturâ cultris obarmatâ, rogoq; juxtà validè flammante.

Utriusque tamen metum discussit Angelus, qui & ignem oppressit, & rotæ volubilitatem conversionesque stitit. Theoclia mater, audito filii casu, in carcerem ad filium penetrat, vulnera obligat, gratisque vocibus prædicat; quòd Martyrē peperisset. Noctu inter precandum cælesti voce confirmantur. Damnato denique ad crucem CALLIOPIO, mater pretio lictores obstrinxit, ut situ inverso statuerent crucem. Mira feminæ virtus in comparationē Machabææ vocanda. Ad supplicium velut triumphantem prosequitur, in cruce tanquam solio filium spectatura. Pendentem cælestis nuncius ad æternitatis gloriam evocavit, mater amplexu stringens exanimum, pignus præmissum ad Superos filium è vestigio est insecuta. *Ex Metaphr. & Baron. in Not.*

Perpende & invicem confer tribulationem & gloriam; momentaneum & æternum; leve & pondus; gaude & exulta, quia quod tribulationis sustines, momentaneum est, quod gloriæ præstolaris, æternum est; leve est, quod toleras, pondus, quod exspectas. S. Petr. Dam. l. 8. ep. 6.

S. AIBERTUS C. 7. Aprilis.

AIBERTVS statis à puero precationibus somnum distinguebat. Terram, originis memor, frequenter osculabatur: finemque respiciens, modico alimento moriturus utebatur. Cùm vitam S. Theobaldi Poëticis vinctam numeris à vano homine demisisset altiùs in pectus, in loca primùm sola recessit: Aquilæ deinde specie cucullum sibi offerentis excitatus, ad Monasticen se vocari intellexit; demum in solitudinem rediit, finemque arctioris vitæ initiis æquavit. Ibi cùm,

aditu

aditu aquarum eluvionibus obsessio, vitæ necessariis arceretur, Deipara virginũ choro cincta buccam panis in os AIBERTI indidit, quâ exinde cibi inopiam annis duobus & viginti, duobus minùs bibendi desiderium sustentavit. Cilicio corpus, imò innocentiam tegebat ; neque enim castitas tutiùs habet involucrum. Centies quotidie procumbens, verba divinæ ad Deiparam legationis iterabat. Scamno solóve somnum excipiebat, ingratum naturæ exactorem & pretiosi temporis furem mulctandum, non mulcendum existimans. Multos à devio in semitam virtutis, histrionem adeò, cujus quondam odæ mutandi statûs occasionem præbuerant, revocavit ; facilis audiendis pœnitentium criminibus, plusque patris quàm judicis adferens ad tribunal. Vitâ ad hunc modum in annum quinquagesimum prolatâ, rebus humanis eximitur anno M.C.XXIV. & nunc quoque non nisi uno cibo pascitur, ASPECTV DEI. *Ex Sur. & Lippel.*

Inter pressuras & ærumnas ad illum semper oculos erige, qui te paratus est, post flagella, dulcedinis suæ gremio confovere; qui te post turbines & procellas in supernæ quietis amœnitate constituet, & ab oculis tuis lacrymas linteo consolationis absterget. S. Dam. l. 8. ep. 6.

S. WICTERPUS EPISC. 8. *Aprilis.*

DE WICTERPO Gallia contendit & Bojaria. Sed cælum pridem litem diremit, cùm sibi illum vindicavit verior patria. Pontifex Augustæ, fundum, quem ad Julias fauces habebat, Eptaticum, DD. VIRGINI & Laurentio donavit, locumque eum velut ad sanctiores ferias Tusculum habuit, frustra Henrico Antistite etiam mortuum

inde

inde auferre adnitente, cùm vel MARIA WICTERPVM suum nollet dimittere, vel WICTERPVS a MARIA suâ nollet recedere. Templum quoque D. Afræ, quæ inter Hungarorum populationes alteras penè flammas passa est, è cineribus in pristinum splendorem erexit. Vos qui sacra manibus tractatis, unum audite & exhorrescite. D. Herluca virgini à morte tam fuit familiaris, ut quoties fere ad epulum sacrum iret, comes iret aut dux WICTERPVS. Fortè solam Herluca se credidit inter preces. Sed sola non fuit. Adfuit cum WICTERPO CHRISTVS, triste oculo amantis spectaculum & verbo ipsissima Pilati scena. Nihil hic, tantùm lacrimæ & gemitus loquebantur, & nimirum tot ora quot vulnera clamabant. Illud etiam VVICTERPVS ad Herlucã addidit: *Ad hanc formam Sponsi expalleſcis ſoror?* illa; *emorior.* Ille iterum: *Cupis ab oculis theatrum crudelitatis hoc amotum?* illa iterum: *ah! percupio.* Ergo, subjicit VVICTERPVS, oculos nega Richardo sacrificanti, cujus impuritas carnifex est Sponsi tui. Audiit, abstinuit ab impuri sacris, idemque ut vulgus faceret, auctor fuit. O ætas nostra! ô sacra! ô Sacerdotes! eja dicite; oculos hominum à vobis si abducunt Superi, quibus ipsi vos aspicient, nisi iratis? *Ex Bav. S.*

Si non solùm anima, sed & corpus nostrum templum est Spiritûs S. quomodo is, cui prohibetur carnale commercium, non violat templum Dei, dum semetipsum petulanti luxuriæ prostibulum constituit, Spiritum S. in quo signatus fuerat abjicit, spiritum libidinis in se introducit? S. P. Damian. l. 4. Ep. 3.

S. MA-

S. MARIA ÆGYPTIACA. 9. Aprilis.

AUdite omnes apud divinum tribunal rei. Patronam si MATREM Judicis habetis, causſam peractam habetis. Certè causſâ laboravit illa MARIA, cui nomen Ægyptus dedit, & tamen hâc non cecidit, ubi melior MARIA peroravit. Quid enim? nominis illa ſui oblita, ut voluptati litaret, pudorem non venalem, ſed gratis omnium libidini expoſuit: quin feſto Exaltatæ Crucis die, cùm Hieroſolymam Orbis conflueret, auſa eſt velle ibi infanda Veneris ſacra publicare. Sed molientem ter pedem impurum templo inferre, ter repulit vis arcana. Quid MARIA? ad MARIAM abit. quid agis miſera? Veneri patrocinari vis Virginem? O quid apud MATREM non poſſunt lacrimæ? quid non lac MATRIS apud ſanguinem poteſt FILII? orat illa; exorat iſte: abſolvit Judex admiſſam, quam abſentem damnaverat. Sed audite pœnitentem, qui peccantẽ inſpicitis, VI. annis ſupra XL. eluit lacrimis feras inter, quidquid inter homines peccaverat, ſemper oppugnata ab Orco, ſemper victrix, VIRGINIS auxilio, nulli hominum niſi Zoſimo viſa. Is divino ductu ad eam venit, & vitæ ſeriem, quam dedimus, audivit; cum ſacro dein epulo reviſit, quod ut caperet MARIA, per Jordanem ſicco veſtigio advolavit. Ità puram cùm undæ jam probaſſent, ſecundò redux defunctam in arenâ offendit: anxio verò de ſepulturâ leo ſupervenit, & foſſam unguibus dedit, æternum non tam pœnitentis, quàm miſerantis MARIÆ monumentum. *Ex vit. PP.*

Si criminum immanitate turbatus, ſi conſcientiæ fœditate confuſus, ſi judicii horrore perterritus, ſi barathro

rathro desperationis absorptus es, Mariam cogita, Mariam invoca: non recedat à corde, non recedat ab ore. S. Bern. serm. sup. Missus.

S. MACARIUS PATRIARCHA.

10. *Aprilis.*

MACARIVS Armenus Patriarcha Antiochenam sedem beavit, sed multò magis paupere, quos unos ille domi Palatinos, foris anteambulones habuit. Ob id, & quæ jam tunc patrabat mira, ne in ore omnium esset, omnium oculos fugit, &, sub quo lateret ignobilis, sepulchrũ Christi petiit. Sed Saracenorum scelere ad ipsa ossa usque lacera virtus, & tribus clavis pavimento affixa, pressaque pectus ignito saxo, ut ferè solet, se ipsa prodidit: prodidere Angeli in auxilium missi, ipsique jam hostes MACARIVM, &, quod caput est, in MACARIO DEVM agnoverunt. Intereà parentes suum esse dedecus arbitrati, orbam filii insulam filiumque exulem videre, mittunt, qui aut verbis, aut vi adducant. Et jam parabant hanc illi. Sed cælo pugnante capti oculis manibusque, quas ad facinus extenderant, MACARIO se dediderunt. Hic cruce, quæ illi scipionis loco serviebat, oculos & manus reddidit, itaque expeditus exul orbem deinde pererravit, Bojariæ quoque hospes, demum Gandavum in Flandriam pervenit, relictis ubique symbolæ loco ingentibus miraculis, quæ unico suo scipione dedit cruce insignito. Flandriam cùm dirissima lues popularetur, sese cum gemino socio vicariam urbis victimam morti objecit. A morte geminum circulũ cæli ostenderunt & crucem in altero, ut sciremus, quò crux scipio illum abduxisset. Sed númne MARIAM amavit?

amavit? Non nisi in cryptâ eidem dicatâ sepeliri voluit. Et verò ubi molliùs ossa nostra jacerent, quàm in sinu MARIÆ? *Ex Sur. & Bav. S.*

Bonum mihi Domine tribulari, dummodo ipse sis mecum, quàm regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te vel in cælo. S. Bern. serm. 17. Qui habit.

S. STANISLAUS EP. M. 11. *Aprilis.*

IUstitia præsides multos habet, Patronos paucos. STANISLAVS adeò Cracovienſis Antistes mortuum citare testem coactus est, ne optimâ causâ caderet. Prædium à Petro viro nobili emptum, fraude amicorum ejusdem propè perdiderat, nisi illum ipsum Petrum, triennio antè defunctum, ad Judices redivivum adduxisset, quem nemo vel intestabilem ausus est dicere, vel refutare. Vitiorum severus vindex semper audiit, ignarus regulam flectere, seu pauperum tabernas, seu regum palatia metiretur. In omnem peccandi licentiam Boleslaus Rex prorùerat, quem nequicquam admonitum STANISLAVS piorum tribu movit. Non erat Rex huic probro concoquendo; sed vindictam spirans, satellitibus ad aram stantem, victimam objicit, iisque tertiùm divinâ virtute vim afferre prohibitis, ipse carnificis munus occupat, & laniati à se Antistitis membra dispergit. Damnarunt crudelitatem quatuor Aquilæ perpetuis excubiis reliquias tutatæ; donec miraculo cælestique luce exciti mortales eas in urnam componendas legerunt. Juvit pietatem divina manus, lacerosque inter se artus ita colligavit, ut nullum crudelitatis vestigium supereſſet. Non sustinuit impius

impius Rex tam luculentam insaniæ suæ exprobrationem; sed regnum exilio mutavit, omnium hominum odium; cùm STANISLAI triumphum etiam Aquilæ augerent. *Ex Surio.*

Nunc dum mundus arridet, dum carnis sanitas fervet, dum prosperitas terrena demulcet, quæ post ista sequantur, excogita, & quæcunque transitoria sunt, altiori consilio jam transisse decerne, & velut ludificatoriæ illusionis somnium deputa. S. Dam. l. 8. ep. 8.

S. GUTHLACUS C. 11. *Aprilis.*

GVTHLACVS regio satu nobilis, circa salutis annum DCC. VI. castra solitudine, sagumque sacco mutavit. Sedem sibi legerat expertem humani cultûs Insulam, quam perpetuis turbis ita infestam dæmones reddidere, ut consilium fuerit, statione decedere, nisi opportunis auxiliis D. Bartholomæus patronus ac tutor confirmasset. Correptum aliquando ad inferos abstraxerant iidem turbatores, ubi oculis objectâ æternorum ignium atrocitate, minati sunt, nisi Insulâ facessere vellet, continuò præcipitandum. Gnarus GVTHLACVS nihil ultra minas posse, ausus est vel in hostico abnuere. Ex eo tempore quot diebus ab Angelo tutelari sub diei noctisque crepusculum visebatur, novasque contra increbescentem hostium impetum vires accipiebat. Discipulo, qui ei necem moliebatur, mentis arcanum aperuit: pro quo preces ad Deum fundere non destitit, quoad certam ei salutem impetravit. Eidemque triumphum suum ostendit mortuus, cujus pompæ pars fuit ignea turris à terrâ in cælum pertinens. Ethelbado Regi exuli per speciem objectus regni restituendi nuncius fuit. Qui receptis potestatis insignibus

signibus, cœnobium sui vatis monumento superstruxit, in quo corpus ejus quiescenti quàm mortuo similius inventum est. *Ex Sur. & Lipp.*

Necesse est, ut illic dentibus strideant, qui hîc edacitate gaudebant: illic ab iis irremediabiliter plangitur, à quibus hîc voluptuosè ridetur; quique hîc olfaciunt nidores aromatum, illic eos sulphureus fœtor excruciat, & tetra picei fumi caligo circumdat. S. Dam. l. 8. ep. 6.

S. ALFERUS ABB. 12. *Aprilis.*

PAtria ALFERO Salernum, schola Principis illic aula fuit. Ex hâc ad regem Germanorum Legatus feliciter è viâ aberravit, & ad Regem Regum in cœnobium Cluniacense deflexit. Inde melior jam ad patriam Legatus monachis illîc præfuit, & Cavense Asceterium condidit. Ibi mali dæmonis invidiâ ex altissimo monte præceps dejectus, risit incolumis veteratorẽ, altius olim nec tam impunè cadentem. Incolam saxo obtritum à sociis in oratorio suo id noctis voluit deponi; mane deinde vespillonibus funus quærentibus hominem restituit. Quina ova cùm essent, sed septem hospites, sine fraude, sed non sine miraculo, & fortè cum risu singula singulis attribuit. Vates plurimis aliis fuit, ipse mortis suæ vatem longè nobilissimum Christum habuit, qui sexto die prius quàm obiret, ALFERVM ad cœnam invitavit: condixit lubens, & quò famem opsonaret, jejunus venit. Miracula mortuus continuavit, ex multis unum illis narrabimus, qui ex Veneris harâ ad Numinis aram accedunt, &, heu! impurati epulo divino inter virgines mentes Angelos accumbunt. Fuit qui quoties sacram mensam frequentare parabat, somniorũ intemperie absterreretur.

Eam

Eam maculam etsi nullâ suâ culpâ contractam, cùm precibus, jejuniis, confessione semper elueret, redibat tamen ad invitum illa, & etsi sceleris non esset, videbatur tamen esse. Tandē dormienti adsistere ALFERVS visus est, & fonti admotum sanctioribus undis lustrare, jamque contra Stygis ejuscemodi vulnera eximium facere. O similis, inquis, fons mihi curreret! At si oculos habes, binos domi habes.

Altaria Domini non alienum sed divini duntaxat Amoris ignem accipiunt. Quisquis igitur carnalis illecebræ ignibus æstuat, & sacris assistere mysteriis non formidat, sicut nunc æstuantis luxuriæ flammâ decoquitur, ita postmodum gehennæ incendiis consumetur. S. Pet. Dam. l. 1. ep. 6.

S. JUSTINUS M. 13. *Aprilis.*

IVSTINVS Philosophus Palæstinâ oriundus, literarum amator, varias in Philosophiâ sectas amplexus, Platoni tandem auscultare cœpit. Declinaverat fortè populi turbam, cùm nescio quid ad mare secum meditatus, in hominem incidit, a quo immortalitatem & supplicia animorum edoctus, Christianam veritatem aspexit, eandemque adversùs hostes acerrimè tutatus est, sanguinis & vitæ prodigus. Multa Judæi Gentesque adversùm Christi cultores machinabantur, quorum causam apud Cæsarum subsellia magnâ dicendi libertate tutatus, illud impetravit, ut Christiani deinceps, nisi maleficii convicti essent, innoxii viverent. Nobilis ingenii monimentum hodieque legitur; gloriæque est bonis literis hanc piam operam Christo Romæ impendisse, ubi melior nunquam causa acta est, etsi optimo ejus Patrono

sanguine

sanguine stetit. Nam cùm crescentem vitâ & disciplinâ Cynicum, ignorantiâ hominis multoque magis caninâ impudentiâ offensus, publicis congressibus vicisset, ea res scilicet canem illum ad vindictam inflammavit. Nulla ratio perdendi JVSTINI aptior visa, quàm si ut Christianum allatrasset. Exosum id nomen iterum esse cœperat & capitale. Ergo structæ D. JVSTINO insidiæ haud sanè nolenti; captus rogatusque Christianúsne esset; affirmavit. desererétne sua sacra; renuit. mortem subiret; voluit; id Christo mortalium severo judici gratum, sibi utilissimum fore affirmans; ac mox cervice securi subjectâ, vitam perdidit, perditurus, nisi perdidisset. *Ex Surio & Baron.*

Si unus omnium ad vitam introitus & similis exitus diligenter attenditur, varietas illa, quæ versatur in medio, necesse est, ut tanquam volax fugacis somnii vanitas contemnatur. B. Dam. l. 7. Ep. 5.

S. HERMENEGILDUS M.

13. *Aprilis.*

OStendit HERMENEGILDVS, quando tandem negare obedientiam parentibus, etiam cælo arridente, liceat. Cùm enim patrem haberet Leovigildum VVisigothorum Regem, & hæresi Arrianæ oppidò addictum, ipse saniorem fidem à Præsule Leandro didicit. Sed veritas etiam apud parentem odium peperit. Hic enim cùm laudibus debuisset, ferro filium oneravit, & anno libertatis Christianæ D. LXXXIV. in carcerem dedit. HERMENEGILDVS, ut monstraret, quàm non pensi regnum haberet, humanis rebus omnibus se abdicavit, purpuram cum cilicio mutavit, tempus omne inter vota ac supplicia transegit, demum è carcere

carcere templum fecit. Subinde ipsâ sacri Paschatis nocte captivum à parente subornatus Pseudo-episcopus adit, & ad sacerrimam scilicet mensam invitat : sed HERMENEGILDVS fidenter negat se in potestate futurum, etiam in vinculis Catholicæ libertatis memor. Eapropter irâ succensus Leovigildus, cum religione patrem etiam exuit, ejusque imperio cadit filius securi caput diminutus, pulcherrima Paschæ victima, sed non à parente danda. Cæterùm Martyrem continuò è cælo voces laudârunt,& delapsæ indidem lampades exornârunt. Mox etiam piis manibus parens impius morte suâ parentavit, adductis pòst ad Catholicam Fidem omnibus VVisigothis. Ita pietatem decollasse in HERMENEGILDO impia hæresis putavit, toto regno caput extulit. *Ex S. Greg. M. l. 3. Dial.*

Melius est contristare parentes, quàm contristare Dominum JESVM. *Hic enim nos creavit & salvavit, illi sæpe suos amando perdiderunt. Ne te moveant tuorum lacrymæ, ne tu tibi ipsi æternas lacrimas pariat.* S. Clim. Grad. 3.

S. THOMAIS M. 14. *Aprilis.*

NAta est THOMAIS Alexandriæ, à parentibus benè ac pudicè educata, & demum nuptui tradita, ut antè Virginibus, sic Matronis postea præluxit. Sed rarò castitas inter multos habita tuta. Ausus est socer, cujus in domo cum marito degebat, omnis juris atque adeò pietatis in filium oblitus, conjugalem in nuru fidem tentare. Cohorruit illa ad tam infanda, & monitis preces precibus lacrimas addidit. At ille, cui pudorem non potest, vitam extorquet, medíamque, non audita

auditâ crudelitate, secat. Enimverò non tulit vindex Numen, sed parricidium extemplò cæcitate multavit. Interea adsunt, qui maritum castissimæ volunt conventum; vident sanguini suo innatare pudicitiam; vident cæco vestigio muris oberrantem Susanneum senem; quis tragœdiam hanc dederit? rogant. Non ausus est diffiteri auctorem se esse amens Oedipus; sed cùm atrocitatem criminis, quam videns non viderat, nunc cæcus vel sole clariorem aspiceret, non dubitavit ultrò mortem orare, & capitis in se sententiam ipse pronuntiare. Et verò hunc facilè judices audiverunt, cæcumque duci scilicet jusserunt: THOMAIDIS verò tumulus ceu Martyris cultus a Cœnobitis Scetanis, Asylon deinceps fuit eorum, qui hostem Cupidinem fugerent. Nimirum jam antè cæcutiens puer oculis suis timet. *Ex Meneis.*

Quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus crucifixus est pro te. Redemptor tuus moritur pro te, & tu nescis cujusmodi sordidâ cogitatione sordidaris in mente. Hug. l. 3. de Ani.

S. LYDVVINA V. 14. *Aprilis.*

LYDWINA formam obesse castitati videns, dignum virgine rata est votum, deformitatem à cælo petere. Audiit hoc, & omnia morborum examina misit: iis ita omnis gratia defluxit, ut nemini jam placeret cadaver domum ducere. Sed sic illa demum formosa CHRISTO visa est. Hic ex amantibus solus jam ægræ cum MATRE assidere; solus amoris sui & patientiæ symbola per Angelos lectulum ambientes ostentare: quorum certè unâ recordatione LYDWINA cruciatus suprà

quàm dici aut credi potest, graves, facilè tame
omnes redimebat. Genium tutelarem ducem a
ea loca, quæ CHRISTVS olim præsentiâ suâ nobi
litavit, ad purgantes item flammas & beatas sedes
habuit. Ab eodem donum è primi parentis hono
lignum tulit odore nobile: ut inde una jam vi
virginitas vel patientia sperare quid posse videa
tur. In subsidium pauperum ipsa pauperrima pe
culium tamẽ corrogabat, & JESV *crumenam* dicta
tabat; cui profectò omnes, cùm audient, avari in
videbunt, quippe quæ exhauriri nunquã potui
Homini facinoroso suasit, plumis in unum latu
noctem incumberet. Risit ille, sed cùm hoc in plu
mis non posset, ne in flammis olim posse cogere
tur, flevit deinceps. At LYDWINA anno Christi
M.CCCC.XXX. ægritudinis assiduæ ac multiplici
cis XXXVIII. cùm id dolorum incrementum im
petrasset, ut ignibus nihil superesset piandum
mortua tandem est, vel, ut rectiùs loquar, tandem
desiit mori. *Ex Io. Bruggmano.*

*Corporea omnia, & quidquid fluxum est & cadu
cum aspernans, totum te cælesti Patri addicas, nec pre
senti tempori, sed futuro ævo vivas, mortisque medita
tionem, ut Plato ait, hanc vitam existimes.* S. Greg.
Naz. ad Philagr.

S. FRONTO ABBAS. 14. *Aprilis.*

RIdiculi homines, morituri ne moriamur ti
me, extimescimus. Commeatum in annos
comportamus, diem victuri: horrea struimus, se
pulchrum subituri, formicæ dicam an homines!
Nimirum qui vitam dedit, victum vitæ extra urbi
fora non poterit dare? Quasi verò si ille velit
etiam inter medias epulas non Midæ, inter aqua
non

non Tantali simus? contrà, ubi ille velit, non aëre seges exurgat, in fonte vinea? Certè rupē aquam dedisse memini, cumque terra negaret, panes cælo pluisse etiam in deserto. Ite Reges, castra culinarum struite, aciem coquorum ducite, famem oppugnaturi. Vincam ego vestram superbiam. aut nemo, aut cælum mihi opsonabit. Hæc aut similia his cum animo suo FRONTO; hæc ad pulcherrimi proposiți socios LXX. quos omnes secum ex urbe in loca deserta ab hominibus sed non DEO etiam eduxit. Nec fefellit ingens animus, & spes tam generosa. Providit Numen, & alienam avaritiam paupertati jussit FRONTONIS servire. Ergo Angelus ad dormientem nescio quem divitem: tu equidem in rerum omnium affluentiâ jam copiam etiam fastidis, at Christus interim in servis suis cum inopiâ & adeò fame conflictatur. Non audiit hæc Euclio, sed iterum in utramque aurem dormivit. Ergo aures aliter vellicavit, plagasque, ut somno crederet, addidit. Tum demum quid sibi cælum vellet, penitus visus intelligere, & cibariis LXX. mulos onustos, cùm nesciret ubi FRONTO ageret, sine ductore in incertum dimisit. At illi rectà inde ad FRONTONEM, inde exonerati ad divitem iterum, qui miraculo motus anniversariam deinde eam liberalitatem esse voluit. *Ex vit. PP.*

Avare fac tibi sacculos, & fac jubente Deo; sed fac erogando; quia quidquid pauper acceperit, Pater cælestis suscipit: & ubi recondit? In cælo, & ne fortè perdidisse te doleas vel usuram, centuplum percipies, quidquid in cælum paupere præmiseris perferente. S. Chrysol. s. 25.

S. EUTYCHIUS M. 15. *Aprilis.*

HOc die Ferentinates EVTYCHIVM Martyrem colunt, etsi ubi, aut quando animam posuerit, nesciant Annales. Sed hæc Fasti olim cælestes loquentur; nam istis sua commendare, hoc demum ego æternum famæ monumentum credo. Et nos quidem etiam olim facta nescimus, at EVTYCHIVS etiam post mortem vates futura scivit, & ut scirent alii, è tumulo monuit. Etenim Redemptus Pont. fortè templa sua obibat, sacra & sacrorum curatores non (quod hodie fit) alienis, sed suis oculis inspecturus. Ventum est Ferentinum. Hìc fessus lectulum sibi adornari propter tumulum Martyris imperat, rectè humana æstimans, tantumque censens à sepulchro lectum distare, quantum mors & mortis germanus frater somnus distant. Tunc quoque inter curas insomnem ferè noctem agenti EVTYCHIVS visus adstare, & quærere num vigilaret? affirmanti deinde illa verba tertiùm inclamare: *finis venit universæ carnis.* simul vaticinium ipse quoque finire. Atque hæc noctis prodigia diei portenta exceperunt. Visa & audita cælo arma quassari, & vento Aquilone duce castra ignea & ignea acies imminere. Hæc verò omnia explicarunt non multò pòst Langobardi, cùm è Septentrione Italiæ se infuderunt, sacra humanis, humana sacris miscuerunt, clademque patriæ intulerunt. Inter hos ipsos tamen armorum strepitus suaviter Redemptus obdormivit. Obdormivit inquam, nam parum differre mortem à somno ostendit vivus cum mortuis dormiens. *Ex Ferrar. & Greg. Magn. Dial.*

Petendum nobis est, ut Deus nos à Diabolo liberet,

qui

qui Christũ terris, ut Diabolum vinceret, commodavit. Clamet homo, clamet ad Deum, clamet, Libera nos à malo; *ut à tanto malo, solo Christo vincente, liberemur.* S. Pet. Chrys. serm. 70.

S. JOACHIMUS CONF. 16. *Aprilis.*

FElices Senæ! vel ideò, quòd inter tot mundi hodie libertos, ipsæ *servos* tot VIRGINIS numerant. Ex his JOACHIMO nostro pileum hodie in cælo *Domina* dedit. Vir fuit obsequendi studio, sui contemptu, sed præcipuè charitatis æstu in ægros mirandus. Exemplo fidem habe in paucis memorando. Iter illi Arretium; ex itinere obvius fuit, qui epilepsi, sed multò magis impatientiâ laborabat. Noster verbis, consilio, operâ suâ solatur: sed necquicquam gravius jam animo quàm corpore periclitante. Hic JOACHIMVS post preces DEO fusas, in se novus medicus morbum omnem transfert. Igitur Arretii ipso DOMINÆ ASSVMPTÆ die, dum sacrificanti servit, cereumque elatæ in sublime Eucharistiæ manu prælucet, cadit morbo impellente: cereus tamen stationẽ in medio aëre servat, gaudente utique Angelo in hominis officium involare. Sub hæc Senis vi morbi iterum cadit, mensamque secum instructam trahit. Nihil tamen fractum, nihil confusum. Sed & alia prodigia clarum fecerunt, ut apertâ ad preces portâ, radii precantis in odeo (quò sæpius assuevit concedere) caput visi cingere. Cæterum morbo omni superior illud etiam velut vitæ rectè actæ præmium à cælo emendicavit, ut viventis carnes vermium agmen popularetur. Fatum obiit, quale expetiit ac prævidit, ipso Christi morientis die, cùm illa verba socii legerent: *& inclinato capite emisit spiritum.*

spiritum. Sed apud mortuum quoque medicinam morbidi quæsiverunt, & verò repererunt, Epileptici præcipuè, non ignari expertum mali hujus medicum se accedere. *Ex Ferrar.*

Quid infirmius homine, quem sensus fallit, ignorantia decipit, circumvenit judicium, pompa lædit, tempus deserit, mutat ætas, hebetat infantia, juventus precipitat, senectus frangit? S. Pet. Chrys. serm. 45.

S. HELENUS C. 17. *Aprilis.*

FUgiendum est citò, quod nocet citò: Saptus isto maturè HELENVS consilio, & è mundo priùs quàm pueritiâ exiit, tutiùs inter feras, quàm homines victurus. Jejunia producenti cacodæmoni escas obtrusit; sed HELENVS & cocum & dapiferum aspernatus cum Cælo quàm Orco prandere maluit; mox enim Angeli, ut Christo quondam dapes esurienti ministrarunt. Tanto deinde promptiùs ipse quoque per longa itinerum spatia alienum prandia ferre, &, si oneri succubuisset, onagris et imponere, nil repugnantibus pigerrimis alioquin animantium. Neque jam solùm onera illius asini, sed ipsum etiam HELENVM, cùm Mystam sacrificii caussâ accerseret, per amnẽ crocodilus transveheret adeò sanctitati obtemperant omnia. Discipulus ejus cùm Orci minister libidinis faces admoveret, incendiarium HELENVS ad tantas redegit angustias, ut extra circulum, quem in arenâ scipione descripserat, ne latum quidem unguem aut ungulam ponere sit ausus, donec turpe incendium extingueret. Illud etiam memorabile, quòd illæsus ignem calcârit, ut Zaream Hæreticum falsitatis argueret, qui perfidiam suam per flammas probare non ausus, Catholicæ Religionis, ut veri auri, pretium

tium auxit. His facinoribus HELENVS Heliopolitanam primùm mitram, deinde æternitatis coronam meruit. *Ex vitis PP.*

Si vis animam tuam in suæ virginitatis integritate perſiſtere, aures & oculos à negotiorum ſecularium vanitate firmiter obſtrue, carnalium hominum colloquia deſtructioni magis quàm ædificationi profutura contemne; nam qui tangit picem, inquinabitur ab câ. S Pet. Dam. Op. XII.

S. URSMARUS C. 18. *Aprilis.*

QUo tempore mater gravem URSMARO ferebat uterum, venerandâ fortè canitie ſenex per viſum aſtitit, puerulumque, manu geſtatum ejus curæ commendavit. Excuſanti annonæ difficultatem panem candidum porrexit, novo mox inter manus auctu grandeſcentem; prodigiique rationem ad naſcituræ prolis doctrinam retulit, cum annis ad multorum mortalium emolumenta amplificandam. Simul monſtravit enitentem in ſublime filiolum per ſcalam cælo inſertam. Præſagio fidem adſtruxit vita cælitibus quàm hominibus propior: nam Epiſcopus tempore ſuccedente creatus, novem annis à pane humano temperavit, reliqui cibi tam modicus, ut validæ membrorum vociſque vires haud immeritò miraculi inſtar obtinerent. Dæmones frequenter injuſtâ corporum humanorum poſſeſſione dejecit: metu lemurum infeſtas ædes aquâ luſtrali ſolvit: morbos curationum fines egreſſos divinâ ſanatione depulit. Porrò charitas ſervandorumque mortalium ſtudium in eminentiſſimum virtutis faſtigium aſſurrexit, cùm eſſet quotidie cujuſvis hominis ſalutem ſanguine vitâque recuperare paratus.

ratus. Rerum adversarum patientia in Jobi comparationẽ evexit. Obiit anno Christi D.CC.XIII. de cælo obtinendo solicitus imprimis, ut qui jam scalas admoverat, antequam nasceretur. *Ex Rather. Veronense.*

Multi simplices & humiles cælos penetrant. Nullus verò arrogans, quamvis omnium liberalium polleat scientiâ, ad cæleste admittetur convivium, tantoq; gravioribus cruciabitur pœnis, quantò nequiùs donum Dei tractaverit. S. Laur. Just. de Casto Connub. c. 14.

S. THEODORUS M. 19. *Aprilis.*

THEODORVS cùm sacramentum, quod CHRISTO dederat, Marti negasset, post fustuarium craticulæ injectus, pice ac sulphure perfunditur. Sed cùm crudelitate hâc tellus commota è sinu aquas, quæ rogũ extinguerent, effudisset, THEODORVS incolumis ad Marti devotos provocavit: iret ex omnibus unus aliquis in rogum, Deumq; suum etiam ipse probaret. Illi causæ dimissi rem ad sacrificulos rejecerunt. Ex his etiam DIOSCORVS adductus, palam Jovis patrocinium respuit, suasitque ipse è flammis causam Jupiter dicere jubceretur; se diem ei dicturum, se ex fano obtorto collo ad judices ignes rapturum, cæloque, pulcherrimo, quod unquam feciisset, sacrificio ipsum Jovem immolaturum: probaret ille fulmine se Deum, pictosque suos ignes, & unà hos in caput sacrificantis, si posset, congereret. Indoluit Jovem, ludos fieri Proconsul, & DIOSCORVM jam Christianum flammis, THEODORVM verò quadrigis raptandum dedit. Hic verò abeuntibus in præcipitium equis, alio è cælo curru triumphans in Prætorium venit. In succensam exinde

exinde cum militibus, quibus hæc miracula fidem fecerant, fornacem conjectus, altero mane loqui reperitur PHILIPPÆ matri, quæ triennio antè captiva abducta, ad preces filii per Angelum tum erat reducta. Advolat igitur tyrannus, milites hastâ transfigit, matrem capite multat, THEODORVM ipsum in crucem agit. Sed ille post tot victorias, non petiisset aliud trophæum. *Ex Menæis.*

Non est patiendum, ut assidua de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur; agendumque assiduè, ut ex perpetuâ recordatione impressam cordibus nostris piam de Deo cogitationem, velut indelebile signum circumferamus. S. Bas. in Reg. fus. disput.

S. VVERNHERUS M. 19. *Aprilis.*

WERNHERVS rustica, ex Trevirensi agro, progenies, egenis comparcebat paratum diurno labore obsonium: vitrici asperitatem, ipse tam miti ingenio, fugere coactus, in opiliones haud paullò mansuetiores incidit; nam & mapalibus fugientem, & esurientem cœnulâ exceperunt, quibus ne oneri foret hospes asymbolus, defixo humi bacillo, novum è terrâ fontem salire jussit: à Pastoribus digressus in feras incidit; annum enim agentem XIV. Judæi adhuc Christi in Christianis sanguinem sitientes, capite prono columnæ alligarunt, S. Hostiam ab ore repetituri: loris deinde ac ferro per omnia membra crudelissimè grassati, satis docuerunt quàm longè Apellæ omnem humanitatis sensum abjecerint: nam etsi triduo inter tormenta exacto, omnium opem ac commiserationem exposceret, eam tamen neque apud judicem argento corruptum reperit, inter acerbissi-

mos cruciatus id unum habiturus solatii, quòd pendens demum ad exemplum Christi animam efflavit. Cadaver ejus in speluncam abjectum est, ne à Judæis, sed feris laniatum credi posset; justa nihilominus ei Cælum persolvit, multâ face circum cadaver accensâ, quæ VVERNHERI innocentiam & Judæorum crudelitatem detexit. *Ex Surio.*

Ad cælum respice, brevissimæ hujus vitæ terminum tibi ante oculos pone; & cum quo de villicatione tuâ rationem ponere debeas, solicitus meditare. Quid enim proderit hodie auro & gemmis contegi, si cras contingat nudum & reum ad inferni supplicia pertrahi. S. Petr. Damian. l. 7. Ep. 15.

SS. SULPITIUS ET SERVILIANUS MM.
20. *Aprilis.*

RUrsum te ad nuptias invitamus, sed (quemadmodùm semper factum est) Agni; quin imò, si lubet, ad choreas etiam, non quidem ut ducas, sed ut spectes, simulq; illud etiam fatearis, verum dixisse, qui ferè ebrios & insanos saltare dixit. Ecce SVLPITIO Euphrosyna, SERVILIANO Theodora despondetur, & Aureliano Consulis filio Domitilla promittitur. Jam quatit Hymenæus faces, jam locus, jam amor ridet, mox lacrimas daturi. Nam intereà Domitilla Euphrosynam & Theodoram familiares suas Christo conciliat; hæ verò eidem sponsos etiam suos, adnitente iterum Domitillâ, dum ejus operâ Christum videt cæcus, & mutus loquitur. At nimirũ interea solus Aurelianus cæcutit, solus hic non sana loquitur. Quin adeò tibicines jam solus conducit, & pede frequenti terram pulsans in exitium suum jam pridem Orcum laborat evocare. Jamque duos omnino

omnino dies totidemque noctes assiduas saltando se exercuerat, cùm quiescit tandē morte subitâ prostratus, nec jam ille domum Domitillam, sed illum domum Proserpina ducit. Porrò SERVILIANVS & SVLPITIVS, firmati his miraculis, non dubitarunt posteà pro Deo & castitate cervices præbere securi secandas, rectiùs capite, quàm Aurelianus pede saltaturi. *Ex gestis SS. Nerei & Achillei apud Sur.*

Debet bene conscię mentis esse lætitia non inconditis comessationibus, non nuptialibus excitata symphoniis; Ibi enim intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi comes deliciarum extrema est saltatio. Nemo enim, ut dixit quidam secularium Doctor, saltat sobrius, nisi qui insanit. S.Amb.l.3.de Virg.

S. AGNES POLITIANA V. 20. *Aprilis.*

NAtale solum AGNETI mons Politianus est. Quo die in lucem prodiit, multis vicinus æther facibus stellans illustris vitæ primordia celebravit. Nono ætatis anno, quo virgines aliæ totę pendent à matribus, D.Dominici institutum in sacro Parthenone complectitur. Quindecim annis pane & aquâ victitavit; sæpeque cælesti pluviâ, qualis Hebræis per desertos Arabiæ campos moventibus annona fuit, inter precandum est operta. Tres aliquando gemmulas ei Deipara dono dederat, vaticinata, suo honori aliquot ab AGNETE templa constituenda. Jesulum alias in sinum ejus infuderat: cujus è collo crucem eam abstraxit, quæ in hæc usque tempora ad facti memoriam piorumque venerationem conservatur. Sæpè ab Angelo divinam hostiam accepit. Balneum, quo valetudinis causâ utebatur, cælesti manna in-

ſtratum, eoque loco fons medicâ ſalubritate præditus erupit. Et quemadmodum ſæpè divinos genios vivens habebat hoſpites, ita moriens eoſdem adepta comites, in cælum evolavit, anno ſalutis M.CCC.XVII. mortem multi infantes è ſuis cunis, quà ſermone, quà cantu celebrarunt. Corpus putredine taboque intactum virtutum ac præcipuè caſtimoniæ luculentam præbuit teſtificationem. *Ex Bullâ Canonizat.*

Vt ſancta anima Chriſti charactere utrobique ſignatur, eum in corde ſuo ſignaculum ponat, ut amoris ejus facibus medullitus inardeſcat; ponat etiam in brachio, ut piis operibus valenter inſiſtat. S. Pet. Damian. l. 7. ep. 9.

S. ANSELMUS EP. 21. *Aprilis.*

FAcilè mundum deſpicit, quiſquis æquis oculis aſpicit. Teſtis luculentus ANSELMVS eſt. Vidit hic (nebulam ab oculis Deo removente) quem nos mundum dicimus, immundam, quâ patet, paludem eſſe, cœni omnis ac ſordium colluviem: in hâc volutari miſeros homunculos; hinc delitias ſuas haurire delicatulos, hîc gemmas quærere avaros, hîc triumphare ambitioſos. Miratus ANSELMVS poſſe tam ſordidâ lacunâ piſces gaudere tam nobiles, oculum ad religioſorũ ſepta tranſtulit, & ædes ſibi videre viſus eſt regio opere ſtructas, & omnibus delitiis affluentes. Has itaque ingreſſus, ex Monacho Cœnobiarcha, ex Cœnobiarcha Pontifex Cantuariæ mortuus memoratur, anno M.C.IX. vir qui è minimis quibuſque rebus maxima dare documenta ſcivit. Nam, ut alia ſilentio prætermittam, cùm lepuſculum ſub equum ſuum fugientem à canibus undique

cingi

cingi conſpexiſſet, eam morientis conditionem eſſe exclamavit ab atris geniis obſeſſi. Jam puerum conſpicatus cum aviculâ luſitantem filo alligatâ, peccantis hominis typum eſſe dixit, qui libertate ſuâ ſpoliatus, ad arbitrium Stygii aucupis viveret. Itaque qui jam nos circumſpicimus, ſi ANSELMO credimus, mali dæmonis ludus, lepuſculi, & aviculæ captivæ ſumus. Nec tamen ſtulti lepores fugimus, nec aviculæ filum rumpimus: quin quod omnem ſtultitiam exſuperat, cantitare etiam in tantis miſeriis juvat. *Ex Edinero.*

Cùm ſemel anima adhæſerit cupiditatibus demerſa terrenis, difficilè in altum poteſt, unde deſcendit, ſine Dei favore, evolare. Actuum enim ſuorum vincta laqueis, & ſecularium deliciarum illecebris obnoxia tenetur. Ambroſ. in c. 4. Lucæ.

S. THEODORUS C. 22. *Aprilis.*

THEODORVM ſexeunem mater ad omnem licentiam informabat, cùm S. Georgius, ne filium Cæli Imperatori autoratum vitæ corruptelis effeminaret, præſens admonuit, pueri deinceps in ſanctitate magiſter. Eunti ad Ædem ſacram dux adfuit viam præſtigiis Orci præceptam & impeditam aperiens; matri quoque, ſi à pietate filium avocaret, ſtricto mucrone exitium minatus. Prope interitum THEODORVS erat, quando decantatus ille Proteus, aſſumptâ contubernalis formâ, incautum in præcipitium intulit præſultor ipſius factus, eumque exemplo tracturus, niſi cuſtodis cura prævaluiſſet. In templo Chriſtum cum Virgine matre præſentem aſpexit, à quo ad ſanctiorem militiam invitatus, illico ſtipendia facere cœpit. Gigantem credidiſſes vim cælo illaturum, ſi

labores spectasses. Miraculis morborumque medelâ clarus, quos aliis absterſit, sibi gratulatus est dolores, eos divinæ in se voluntatis argumenta dictitans. Venenum impiorum invidiâ mistum Reginæ cælorum benevolentiâ superavit, quæ piorum mensis securitatem affert, certiorem utique quàm ii, qui periculosas Principum epulas gustu explorant. Huic Reginæ Cælitibusque tam charum quid mirum est, si Reges nostri orbis suspexerunt, neque passi sunt THEODORVM voto suo potiri, qui cùm probra sitiret, vel invitus honoribus mactatus est? *Ex Surio.*

O quàm suave commercium, imò quàm inenarrabilis dulcedo in humanis visceribus oritur, cùm Creator & Creatura alternis in se invicem affectibus delectantur! sicut per prophetam dicitur, Suavis sit ei laudatio mea, ego verò delectabor in Domino. *S. P. Dam. l. 7. Ep. 19.*

B. ÆGIDIUS C. 23. *Aprilis.*

ÆGIDIVS tertius Assisiatis Franciſci assecla, ingenuo sanctoque mentis candore ad insigne virtutis culmen pervenit. Virum, è S. Dominici familiâ, eximiâ doctrinâ, de perpetuâ Deiparæ virginitate dubium sibique difficilè consentientem, tali prodigio contra ancipitem cogitationem confirmavit. Ter scipione terram impulit, dicto singulos ictus prosecutus, hoc ordine: *Maria Virgo ante partum: Maria Virgo in partu: Maria Virgo post partum:* & mox lilia totidem ad scipionis impulsum Ægidiique vocem solo emerserunt. Tertio ante suum natalem die, Christus ei spectabilis adfuit, reditu per consequentes quindecim dies instaurato. Ex quo tempore tam concita-

citatis in cælum desideriis rapiebatur, ut audito vel à pueris per plateas Paradisi nomine, rerum omnium sensu destitueretur. Septem in eo eminebant virtutes, credendi constantia, pietas erga Deum, reverentia, commiseratio, cura officii, obedientia, grata beneficii memoria. Quinquaginta duobus annis in sacrâ militiâ meruit. Post mortem magnum luentium agmen è lustralibus flammis in cælum evexit. Obiit Perusii anno M. C C. L X X X I I I. *Ex Surio.*

Si invenis aliquid melius, quàm videre faciem Dei, illuc te præpara: Va tali amori tuo, si vel suspicaris aliquid pulchrius quàm est ille, à quo est omne pulchrum, quod te teneat, ne illum cogitare merearis. S. August. in psal. 43.

S. GEORGIUS M. 23. *Aprilis.*

ANno post natum Servatorem XC. supra C C. GEORGIVS fortissimus CHRISTI miles, & ob virtutem inter Tribunos adlectus, tum Comitis etiam titulo à Diocletiano ornatus, cùm hujus nihilominus efferam in Christianos tyrannidem propalam damnasset, in vincula & ipse tractus, saxum primò ingens pectori injectum supinus fortiùs, quàm cælum Hercules tulit; ad machinam deinde mucronibus omni ex parte armatam, ut antè ad gladios in acie, risit. Hinc calce tres dies sepultus, cùm illustrior surrexisset, ferreos & ab igne candentes calceos indutus, nempe ad Olympicam coronam cucurrit. Cæsus iterum immaniter, ac alapis contusus, in ruborem languoremque ipsos carnifices dedit, & testem fidei suæ mortuum è tumulo produxit. Tandem post tot egregiè pugnatas pugnas coronatum pridie in carcere ab ipso-

ipsomet Imperatore CHRISTO, caput iterum coronandum securi subdidit; cùm priùs ad ejus imperium corruissent omnia Numinum simulachra, & cacodæmones se esse, non Deos, ultrò edixissent, verissimo omnium, quod unquam dederunt, oraculo. *Ex Metaphr.*

Deus ipse omnium rector ac Dominus cum omni Angelorum militiâ certamen tuum expectat, tibiq; contra Diabolum dimicanti parat æternitatis coronam. S. Amb. in Epist.

S. BONA VIRGO. 24. *Aprilis.*

AGe virgo anime. hæ tibi leges feruntur. Lecto pudico cubato. Vestis cilicium esto. Ut latrones domesticos effugias, pudorem peregrè ad Divûm templa circumferto. Nempe duras, ais, & verè æreas leges fixisti. Quid vis dicam? Tu non potes quod isti & istæ? addo quod virguncula BONA potuit, cui vix septenni has leges ipse summus Legislator Christus tulit, annuente & probante virgine animo. quid? quòd ultro non lecto sed stramine involvit pudorem, si non tam molliter certè securiùs dormiturum? quòd non semel sed decies ex Italiâ ad S. Jacobi sepulchrum in Galæciam abiit? quòd tres omnibus septimanis dies non nisi pane & aquâ traduxit, & reliquis, quibus opiparè vixit leguminibus vixit, etiam tunc, cùm ab Hierosolymitano itinere & longâ Saracenorum captivitate redux continuâ febri laboravit? Superi! quis nostrûm ægro corpusculo facit tam ægrè? Nimirum Virgo facit, ut periclitanti pudicitiæ medicinam faciat. Et arrisit his studiis Christus ipse, qui Jerosolymæ ad sepulchrum suum orantis BONÆ capiti ter manum suam imposuit, & pos

post quadragintadiale jejunium traductum, in eâdem eremo à Virgine, in quâ ipse traduxerat olim, annulo sibi visendus desponsavit, multisque aliis miraculis ornavit. Ultimò è vitâ BONA inter risum cantusque abiit. Quid miraris lector? dum vixit, flevit. *Ex Bzovio 13. tom. ann. Eccl.*

Fidelis & religiosus animus ea, quæ sunt cælestia, concupiscat, & divinarum promissionum avidus in amorem se incorruptibilis boni & in spem veræ lucis attollat. S. Leo Papa in Ann. Assump. suæ serm. 2.

S. MARCUS EV. 25. *Aprilis.*

MARCVS ut primùm res Christi gestas litteris consignavit, à Petro Alexandriam legatus est: cum ipso etiam Evangelium in urbem penetravit. Cùm enim sub portâ Anianus cerdo detritas Apostoli soleas reficeret, subulâque in lævam exerrante, Deum, ut fit in adversis, inclamaret, MARCVS vulneri remedium fecit, & Anianum magno operæ pretio ad Christi Religionem traduxit. Sed cùm ob quotidiana fidei incrementa MARCVS insidiis appeteretur, Anianum pro se urbi Episcopum dedit, ipse Pentapolim abiit. Indidem biennio pòst Alexandriam rediit, ubi ad aram ipse Dominicæ Resurrectionis festo die captus raptatusque per urbem, Paschalis pro Christo factus est victima. Eâ nocte Angelus nomen suum Marco albo Cæli inscriptum monstravit, & Christus ipse magno præsens fuit solatio: posterâ luce cum laqueo gula implicaretur, tam citò constringi non potuit, quin celerior anima ad Superos evolaret. Cadaver ne tortores exurerent, coorta repentè tempestas rogum omnem cum bustuariis disjecit. Nunc de illius tumulo Italia Germaniaque

niaque certant, ut de Homeri cunis Græciæ urbes, lite tantò sanctiore, quantò dignior est, qui Christi, quàm qui Achillis prælia scripsit. *Ex Brev. Rom. & S. Hieron.*

Sic est vita nostra, quasi homo in domo alienâ, nesciens quâ horâ vel die dominus domûs dicat, vade foras, quia non est domus tua, in qua es. O sæculum vanum! quid nobis tanta promittis, dum decipis? Auctor serm. ad Fr. in Eremo.

S. BASILEUS EP. MART. 26. Aprilis.

Scelus heu! ingens, juventus. Tuis manibus tuam occidis, eheu! toties castitatem, cùm olim viri sancti occidere pro alienâ non dubitarint. Prodeat BASILEVS, & dum pro alienâ pudicitiâ pugnat, pugnare pro nostrâ nos doceat. Erat Licinio Imperatori in Parthenone virgo, virgini nomen Glaphyra, addictissima Christo & castitati. Huic insidias tyrannus Cupido per alterum tyrannum Licinium moliebatur. Glaphyra ab amore docta fugere, ipsa quoque alas assumit, & ad Episcopum BASILEVM abit. Sed nihil latet cæcum licet Amorem. Proditur virgo apud Imperatorem, & unà virginis custos Pontifex, & jubet utrumque vinctum adduci Licinius. Commodùm Glaphyra morte beatâ vincula effugit, sed subit BASILEVS vas pretiosi pudoris. mox jubetur aut fidem aut caput ponere. Nec multùm ille apud animum suum deliberat, abjicit caput, ut fidem servet. Utrumque & caput & truncum corpus seorsim in mare proturbant carnifices. Sed quid aut corpus aut caput Martyris periret, si neque unus ex hoc capillus est periturus? Angelus Elpidophoro viro Christiano in cælis animum BASILEI,

in

in undis corpus monstrat. Ergo illi cum piscatoribus ita convenit, ut quidquid demum prehensum id loci verriculo esset, suum esset. Mox BASILEVS extrahitur, non jam minutus capite, sed planè integer. Una tantùm & illa rubea linea ornabat, non inficiebat cervicem, ut Glaphyra è Servatoris sui collo præmium, monile hoc videatur suspendisse. *Ex Surio.*

Habet acies Christiana potentes munitiones & arma victricia; Deo scilicet instruente milites suos, ut spiritu veritatis mansuetudo iram, largitas avaritiam, benignitas extinguat invidiã. S. Leo s. 7. de Jejun. 10. Mens.

S. SITA VIRGO. 27. *Aprilis.*

PRope Lucam in Hetruriâ nata SITA servitutem Fatinellorum familiæ, imò veriùs egenis servivit. Nam his ferè suum victum cessit, & quod unum in servâ supererat opis, pro mendicis quotidie apud dominos mendicavit, præclaram mercaturam dictitans (& mercatores erant) ingens cælum tantillo emere. Et verò liberali dextræ, cùm nihil aliunde suppeteret, Numen suggessit. Ita sitienti rogatori cùm aquam se porrexisse crederet, vinum propinavit. Alteri cùm fabas vendendas gratis dedisset, nihil tamen dominus supervenies abesse comperit, mensuram cælo, ut promiserat, remetiente. Vestem quoque pellibus subductam, & commodatam ab hero, nudo ipsa commodavit. Nec fefellit. Retulit hic cùm irasceretur Herus SITÆ, & ex oculis disparens docuit, nulli securiùs rem credi, quàm cælo. Alias deprehensa panis reliquias miseris ferre, quò oculos dominorum falleret, tantisper in flores vertit, gratissimos deinde esurientibus odores. Suum verò, hoc est, vir-

virginitatis florem, quem à teneris intactum in tumulum etiam salvum intulit, precibus & jejuniis fovit, lacrimis rigavit, nec lecto, sed quæ floribus amica est, terrâ deposuit, nec dubitavit quandoque procacem servuli petulantiam unguibus notare, itaque vel invitum verecundum facere. Nudis pedibus ad sacrata loca euntem multa miracula comitata. Quid? quòd domum redeunti sub noctem comes è cælo delapsa MARIA ivit, & pontis urbisque portas reclusit. An dubitabimus ergo *Cœli januam* viventi SITÆ tam propitiam morienti patuisse? *Ex Bzovio, 13. tom. Ann. Eccl.*

Succincti lumbos mentis castam & sobriam vitam in Dei timore ducamus, nec concupiscentiis carnis meæ principatûs sui ollita consentiat. Brevia & caduca sunt terrenarum gaudia voluptatum, quæ ad æternitatem vocatos à semitis vitæ conantur avertere. S. Leo ser. 2. de Ann. Ass. suæ.

SS. THEODORA ET DIDYMUS MM. 28. *Aprilis.*

FAbulam damus, dum vivimus, alius alio pulchriorem: pulcherrimam DIDYMVS & THEODORA dederunt. Hęc dum parvulum tyrannum Amorem fugit, in majorẽ alterum Maximinum Imp. incidit. Jubetur aut fidem, aut virginem ponere. Quid ageret? Martyr moreretur, non virgo? Virgo viveret, non Martyr? placuit virgini Martyrem sociare. Abripitur in cellam infamem: sed primus DIDYMVS irruit in militis personâ vultum amantis præferens: instruitur elegantissima scena: mutantur vestes: sub milite evadit virgo: sub virgine miles deprehenditur. Sed nunquam magis illa virgo, quàm cùm sic miles, nunquam magis iste

vir,

vir, quàm cùm sic femina fuit. Dum enim hic ad supplicium ducitur, adest illa, & litem ecce de morte movet. Vadem ait se pudoris, non mortis legisse; hanc vel fugâ meruisse; esse certè in virgine ferro locum, si injuriæ non fuerit; sed nec animos deesse, quos cum armis sumpsisset; demum si THEODORA addicta sit morti, THEODORAM se esse; si DIDYMVS, etiam hunc induisse. Contrà querebatur ille, ingratam benefactori præmium invidere; arma se exuisse non militem, stolam induisse, non feminam; turpe fore viro tergum vertere, si sic mulier pugnaret; illi plus lactis, sibi plus sanguinis naturam dedisse; se denique (sive DIDYMVS jam esset, sive THEODORA) se ad mortem damnatum clamabat. Quid multis? duo pugnarunt, & cernentibus causam lictoribus, ambo vicerunt. *Ex D. Ambr. l. 2. de Virg.*

Virginitas fastigium est omniumque consummatio virtutum: ad quam si quis eniti potuerit, hunc servum Dominus, hunc discipulum Magister agnoscet, hic terram triumphabit, hic erit consimilis Deo, quia virtutem Dei cepit. Lactant. l. 6. de vero cult.

S. PAPHNUTIUS M. 28. *Aprilis.*

PAPHNVTIVS Eremita, detectis à tutelari genio gentilium insidiis, facto divino sacrificio, ultro in jus atque judicis conspectum ambulavit. Quem sanguinarius canis tam fœdâ verberum laniená concerpsit, ut patefactis lateribus exta in terram effunderentur, quæ sacer custos suis denuò receptaculis abdidit, vulnerumque hiatus obsepsit. Cùm in vinculis mirâ luce micaret, XL. senatores veritatis claritate præstricti, unum ac verum Numen sunt professi, eamque ob causam flam-

flammis absumpti. Non multò pòst sedecim pueros senatorum filios ad tribunal adduxit, hæsitque alienato à sensibus in Deum animo: pueri in proposito constantes extincti. Piscatores octo supra quadraginta sic amore Christianorum sacrorum accendit, ut unà ad supplicium contenderint, jugulumque ferro subjecerint. PAPHNVTIVS quadrifariàm distractus, membraque in templi tectum jactata hominibus ludibrium, pabulumque fœdis avibus futura. At disjectas corporis partes Angelus conflavit, Christusque vitalem spiritum restituit. Cujus prodigii magnitudine multi ad Ecclesiam adjuncti, fidem sanguine consignarunt. Ad extremum, molâ ad collum deligatâ, in undas præcipitatur PAPHNVTIVS. Sed pondere lapidis divinâ manu sustentato, cùm mergi volens non posset, in crucem actus eximiorum certaminum in eâ arbore, quæ fortes omnes coronat, palmam tulit. *Ex Metaphr.*

Si sapis, in viâ, quâ nunquam ambulasti, non ipse tibi doctor aut ductor eris, sed aurem Magistris inclinabis & increpationibus eorum acquiesces & consiliis; & operam scientiæ & lectioni dabis, ne serò pœnitens dicas, cur detestatus sum disciplinā? Guerr. s. de Advent.

S. PETRUS M. 29. *Aprit.*

PETRVS Veronæ parentibus hæreticis ortus, septimo ætatis anno duodena credendi capita in scholis perdidicerat, itaque fixa animo retinebat, ut nullis unquam imperiis ad eorum veritatem improbandam compelli posset. Institutionem deinceps D. Dominici per vitam sectatus, speciosum Prædicatoris nomen rebus æquavit: quippe tanto populi studio frequentiaque concionabatur, ut

ægrè per confertam multitudinem sellâ gestatus evaderet in suggestum. Dicta factis & prodigiis affirmavit, ut validissimâ persuadendi ratione. Valuit præcipuè adversùs devios ab Ecclesiæ fide, vim contrariam paternæ perfidiæ sortitus. Fuit, cùm à Deiparâ, quod olim à Servatore cognominis Apostolus audivit: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Quo patrocinio constantiam tenuit usque ad sanguinis vitæque jacturam: etenim lethalibus aliquot illatis ab hæretico vulneribus, repetens Catholicæ veritatis à magistro instillatæ confessionem, unam mortem plurimis de sacrilegâ sectâ palmis repensavit, ad annum Christi M. CC. LII. Subinde conspectus est in cælo, Mariæ, cujus ope illuc evectus erat, lateri adjunctus: quodque viventi jam concesserat Deus, post fata insigni miraculorum famâ illuxit. Tantum interest à teneris cum recto verum combibisse, quibus semel imbuta mens, ut vasa recentia, odorem primum servabit. *Ex Surio.*

Nullæ sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quàm est fides Catholica, quæ peccatores homines salvat, cæcos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, pœnitentes reparat, justos augmentat, Martyres coronat. S. Aug. serm. 1. de Verb. Apost.

S. HUGO ABB. 29. *April.*

HVGONEM Ecclesiæ Burgundia, principe natum familiâ, protulit. Hic, adversis parentibus, eò perfugit, ubi splendorem à majoribus tractum humilis familiæ consortio celaret. Capiti divinus spiritus, columbæ specie conspicuus imminere visus: unde vim ad mira perpetranda singula-

gularem hausisse persuasum. Nam & in secreto humanorum pectorum mentis obtutum figebat, & morbis cujuscunque generis medicinam de cælo parabat. Habebat Sanctius in vinculis Alphonsum fratrem Hispaniæ regem, cujus libertatem cum HVGO supplex à fratre postulasset, D. Petrus cœnobitæ cuipiam indicavit, HVGONIS apud Deum preces momentum habuisse, Sanctioque deinde conspicuus Alphonsi dimittendi mandatum dedit. Episcopo linguæ ad petulantiam sermonis expeditæ vaticinatus est, post mortem tumente ac obsito pustulis ore Manes ejus levitatis confessionem edituros. Spectro deinde effatum probante indicto in dies septenos monachis silentio, constitutâ ex contrario medicinâ, flammis purgantibus reum exemit. Sub exitum Deipara cum D. Petro HVGONI adfuit. Eodemque tempore Fulgentius Abbas duos Angelos vidit in astra geminum lectulum molientes, quorum alterum HVGONI, alterum Anselmo Cantuariensi Pontifici dicerent stratum. Et nunc ambo quàm molliter cubant! ridenque nos, qui, ut S. Augustinus loquitur, volutari malumus in carne & sanguine. *Ex Hug. Clun.*

Si de omni vel otioso verbo, quodcunque locuti fuerint homines, Deo sunt reddituri rationem in die judicii, quantò districtius de verbo mendaci, mordaci, injurioso, de elato vel lascivo, de adulatorio vel detractorio judicabuntur? S. Bern. l. de tripl. Cust.

S. CATHARINA SENENSIS V.
29. Aprilis.

CATHARINA ut primùm fari potuit, scalas perreptans ad singulos gradus Angeli verbis MARIAM salutavit. Quid jam mirum, si his gradibus

bus ipsum sanctitatis culmen conscendit ? Anno ætatis septimo, CHRISTO, quem supra D. Dominici ædem conspicuum habuit, se sponsam, ille, conciliante Matre aliisque Cælitibus, Sponsum se obtulit CATHARINÆ. Itaque sæpiusculè jam ad eam invisere, non rarò personatus mendicus amorem probare, & stipem deinde datam è cælo multis laudare. Addixerat se feminæ fœdo carcinomate laboranti, nec jam stipendium aliud præter calumnias ferebat. Subtristi eam ob causam nonnihil ecce CHRISTVS adest, geminam manu coronam prætendens, hanc auro, illam spinis rigentem, jubetque optionem facere. Illa non nescia, quâ Sponsus corollâ ornatus esset, spinas invadit, jamque melius animata impensius pergit servitutem ingratæ servire; quin, ut Sponso se probaret, ex ipso ulcere pus exugit. Meruit hæc sitis alterum haustum, quem ex latere suo dilectæ CHRISTVS propinavit. Illa ab hâc ambrosiâ jam ebria porrò ausa est petere, cor amans sibi haberet. Superi, quis fidem daret ! nisi amori hominum tam obnoxios vos sciremus ? Aufert CATHARINÆ cor CHRISTVS, & suum reponit. Tunc profectò expleto amantium voto, CHRISTVM CATHARINA cor suum : suum CHRISTVS CATHARINAM vocare potuit. *Ex Surio.*

Difficile imò impossibile est, ut & præsentibus quis & futuris fruatur bonis; ut & hîc ventrem & ibi mentem impleat; ut de deliciis transeat ad delicias; ut in utroque seculo primus sit : ut & in cælo & in terrâ appareat gloriosus. S. Hieron. Epist. 14.

S. ROBERTUS ABB. 29. Aprilis.

ROBERTVS gente Campanus, natalium decus virtute ad immortalem memoriam illustravit. Nondum erat editus in lucem, cùm Ermgardi matri per quietem objecta Deipara annulum obtulit, eoque sibi clausum utero infantem despondit. Quem natum sic Ermgardis eduxit, ut sacro pactæ virginis connubio dignus redderetur. In Cellensi Asceterio Monachum indutus, diversis cum supremâ potestate cœnobiis præsedit, religiosæ potiùs disciplinæ, quàm cumulandis opibus intentus. Accidit, ut ad portas duo sacris initiati, sed egentes, ab ROBERTO stipem præstolarentur. Negabat penoris præfectus vel unum panem reliquum esse. Ad prandium signo excitis domesticis, Abbas, conspectis in mensâ panibus, unde illati essent, rogavit. Oeconomo respondente, se Fratrum numero æquatos panes reservasse, omnes tolli jussit, ad fiduciam & obedientiam anxias suorum cogitationes revocaturus. Ex humanis abiit octogenario major, die jam prospecto atque indicato. Curam suorum ne à morte quidem posuit, increpare somnolentos solitus, excitareque ad divinas laudes, mirâ benevolentiâ, quâ tamen ergo nos Angeli quotidie utuntur, exiguo operæ pretio. Quid vis? Deus ipse ad ostium stat & pulsat; neque tamen expergisceris. *Ex Lippeloo.*

Christus per Mysterium suum tibi videatur in ore, & Christus per sui amoris incendium tibi vivat semper in corde, ut congruat etiam tibi, quòd sponsa dicit in Canticis, Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi. *S. P. Dam. l. 7. Ep. 19.*

SS. MA-

SS. MARIANUS & JACOBUS MM.

30. Aprilis.

ANnus ducentesimus sexagesimus secundus, par nobile Martyrum habuit: MARIANVS alter, alter JACOBVS fuit. Et illum quidem pollice suspensum pondera talis annexa tentissimis nervis ad ima retrahebant; sed ad carceres reducti, animus in Cælum abiit, æterni convivii promulside recreandus, quam in pulcherrimum inducto triclinium, S. Cyprianus propinavit, haud gravatè pro unâ illius guttulâ omnem sanguinem daturo. JACOBVM interèa proprio Martyrum baltheo Angelus cinxit. Ita hic robur suum induit, alter bibit. Nec multò pòst novus cælo nuntius mittitur de venustioribus ephebis, qui serto vice torquis indutus, & palmam ventilans (nam & ipse nuper unà cum matre & gemello trucidatus fuerat) MARIANVM & JACOBVM ad martyrum condicere convivium jubet. Nec illi tam lautas epulas aspernari, aut morari diutiùs ausi, posterâ die dederunt symbolum ambo capite plexi. Nihilominùs equites toto diffusi cælo malum minari carnificibus visi, qui tam candida innocentiæ lilia demessuissent. *Ex Surio.*

Dies noster ultimus certissimum est, nobis quòd veniat; incertissimum est, quando, vel ubi, vel unde nobis adveniat: nisi quòd senibus est in januis, qui juvenibus est in insidiis. Guerr. ser. 3. de Advent.

B. FRANCISCUS SENENSIS. 30. April.

ETiam FRANCISCVM viderunt Senæ libertatem mundi repudiare, & servis VIRGINIS accedere. Quanquam non tunc primùm transiit in

servitutem VIRGINIS ; natus in hanc est. Siquidem mater FRANCISCO plena lilium sibi parere est visa, ex quo alia atque alia pullularent, quibus MATREM VIRGINEM coronaret. Videbatur deinde, nescio quis, Pontificiâ majestate insignis sceptro uterum tangere, spondereque, lilii, quod ferret, candori nihil obfuturas mundi spinas. FRANCISCVS deniq; lustrico fonti admotus plus quàm pueriliter exultare est visus, oculosque suos in jam tunc suum ocellum, MARIÆ iconem defigere. Jam pueritiam ingressus, quotidie quingenties Ave DOMINÆ suæ dixit, orationi extra tempora Musis dicata tam deditus, ut non in domo paternâ, sed templis habitaret. Asellum (ita quam nos ad instar catelli Melitensis habemus, carnem appellitabat) saxo & flagris exercebat. Pro concione omnium animos incendebat, ut fidem habeam virginibus, quæ volantem supra dicentis caput igneum globum se vidisse affirmarunt. Adversus obtrectatores opem flagitanti PATRONA VIRGO auditum abstulit, ut surdis auribus præteriret calumniantes. Sub mortem ante dicentis vultum Angeli librum explicarunt. Librum vitæ credidero fuisse, & in illo FRANCISCVM nomen suum legisse ; tam hilaris pòst obiit, & quidem die, quo Christo cælum patuit. Ex demortui ore lilium ajunt natum esse, scilicet ut vobis, Sodales, pietatis in VIRGINEM semen esset. *Ex Bzovio to. 13. Ann. Eccl.*

Imitare minutissimas aves, mane & vesperi Creatori gratias referendo. Et si es devotior, imitare Lusciniam, cui quoniam ad dicendum laudes dies sola non sufficit, nocturna spatia pervigili cantilenâ decurrit. S. Max. serm. de Carn. host. non timend.

MA-

MAIVS.

SS. PHILIPPUS ET JACOBUS APOST. 1.*Maii.*

GEmino dies hic sole nitet. PHILIPPVS alter, alter JACOBVS est. Ille vix inter hominum piscatores adlectus, captum illico ad CHRISTVM Nathanaelem adduxit, laudatam ab ipso Servatore prædam. Sed & ii, qui à veri Numinis cultu alieni erant, ad JESVM aditum sibi per PHILIPPVM quærebant. Illum in consilio Magister habuit, cùm ingenti multitudini commeatum pararet: illo rogante discipulis in filio patrem ostendit. Hinc cùm in sortem paucorum totus orbis veniret, provinciam ipse nactus Scythiam, eam facilè CHRISTO subegit, victorque sub annum IV. & L. Hierapoli urbe Phrygiæ in cruce triumphavit; cùm lapides viles jactantibus, sed pretiosi PHILIPPO triumphalem coronam multò pulcherrimè exornarent. Et hujus quidem triumphus de Barbaris; de Judæis JACOBI fuit. Hic carne & vino à teneris sibi interdixit: longâ precandi consuetudine genibus callum obduxit, qui vel Camelo certaret: eâ famâ sanctitatis fuit, ut ingredi in sanctiora templi adyta uni illi liceret; & vel oram vestis ejus prehendere, partem felicitatis ducerent. Ita rem Hierosolymæ Christianam cùm XXX. annos administrasset, anno partæ salutis LXIII. vitæ XCVI. è templi fastigio dejectus, & inter preces, quas pro hostibus suis faciebat, fuste fullonis cæsus est: ut jam me dubium uterque hic Sol faciat, orbíne luxerit,

xerit, an Cælo occiderit pulchrior. *Ex Brev.Rom.*

Nos quoque timore Domini Crucifixos oportet hic omnibus non solùm carnalibus vitiis, verùm etiam ipsis elementis mortuos esse; illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quò nos speramus momentis singulis migraturos. Cassian.l.4.de Inst.Renunc.c.35.

S. SIGISMUNDUS REX. 1.Maii.

QVoties noverca ex patre vitricum fecit! Sanè SIGISMVNDVM Burgundionum Regem eò artibus suis impulit, ut filium Sigericum, quasi patrem regno exuere cogitasset, vitâ ipse exueret. Verùm aspersas filii cruore manus tam multo lavit lacrimis, ut quem sic pœniteret, pænè innocens dici posset. Monitus tamen ab ignoto nescio quo sene, & suam potiùs vitam, quàm filii (qui cælo frueretur) mortem deflere jussus, ad D.Mauritii tumulum abiit, causamque illi commendavit; ageret hanc, ut suam olim apud DEVM: adesse fatentem reum: supplicia precari, non deprecari: fæviret nunc etiam pater Deus; modò olim judex parceret: quam pœnam tam nocens filius meruisset, tum se monstrasse, cùm innocentem occideret. Lacrimis non posse satis elui manus; sanguine posse, sed suo; huic fundendo jam se initium dedisse, cùm filii funderet: quem malè libasset, rectiùs libaturum sese. Et verò damnatus voti est: bello enim in annum D.XXVI. à Clodomiro Gallorum Rege petitus, captusque, & capite plexus, in puteum est abjectus. Sed tam ignobile sepulchrum pœnitentis illustrius cantu suo luminibusque cælum fecit; quin ægri magno numero morti jam proximi sanitatem inde suam hausserunt, itaque quam uni eripuit vitam, longè plu-

ra

mis SIGISMVNDVS restituit. *Ex Gregor. Turon.*

Ascendat homo adversùm se tribunal mentis suæ: & constituto in corde judicio, adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor, & sanguis animæ confitentis per lacrimas profluat. S.Aug. in libro 50.Hom.

S. ATHANASIUS EP. 2.*Maii.*

NOn rarò pueritia toti vitæ præludit. Ita ATHANASIVS Alexandriæ inter lusus adolescentiæ puer à pueris in Episcopum lectus, natu deinde grandior ab ipsomet cælo est confirmatus. Difficile est dictu, quæ bella jam Pontifex cum Arianis gesserit. Producta in medium concilium muliercula, vim pudori suo illatam mentiebatur ab ATHANASIO, quem ne noverat quidem. Hîc alius non nemo suppetias laturus innocentiæ, ideoque ATHANASIVM sese assimulans; heus, inquit, ego ne vitium tibi feci? mox illa: tu verò ipsissimus. Ita cùm & se & impietatem omnium risui exposuisset, exclamant Ariani occisum ab ATHANASIO Arsenium (quem eam ob rem longè illi amandaverant) proferuntque manum velut incantationibus ab eodem devotam. Sed in tempore amici innocentis reduxerant Arsenium. Is itaque in templum progressus, vitæque suæ luculentus ipse testis ostendit, se quidem utramque manum, ceterùm accusationem nec caput, nec pedes habere. Exul nihilominùs sæpè ATHANASIVS totum pænè orbem pererravit. Annos in cisternâ quâdam latitavit quinque, indeque in impios calamo egregiè pugnavit. Fugienti cùm hostis instaret, navim vertit, jamque obvius quærenti num ATHANASIVM vidisset, respondit, non longè illum abesse. Ita rectà Alexandriam reversus,

sus, in patrio conditorio inter mortuos quatuor menses vixit, inter vivos deinde mortuus anno CCC. LXXII. nunc inter mortuos iterum vivit. *Ex Baron.*

Sicut fructus non invenitur in arbore, in qua flos prius non apparuerit; sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit, qui in adolescentia disciplinâ alicujus exercitatione non laboravit. S. Cypr. de 12. Abus.

S. ANTONINUS EP. 2. Maii.

ANTONINVS Florentinorum Præsul, ad CHRISTI in cruce imaginem sublimis raptus, mellitissimis vulnerum osculis aliquandiu inhæsit. Atque ex his illum uberibus hausisse amorem crede, quem in omnes posteà pauperes dispensavit, tum ratus præclarè se rem administrasse domesticam, si domi nec supellex, nec penus esset. Viderat ædibus Cælites insidere; ingressus cùm duas ingenuas, sed pauperes virgines operi cum matre intentas reperisset, liberali manu paupertatem sublevavit. Verùm cùm illæ se luxui deinceps dedissent, pulsisque è tecto bonis geniis mali successissent, ut meliores iterum hospites in ædes immigrarent, emigrare otium jussit. Illud jucundum dictu. Rusticellus canistrum pomis onustum Divo donarat. Hic gratias habuit. At cùm ille referri sibi maluisset, ANTONINVS pomis in unam lancem, solennibus verò illis & in chartâ descriptis verbis, *Deo gratias*, in alteram injectis, rem examini permisit; & ecce duo verba pondere suo omnia poma superarunt: ut planè decipi egenos à divitibus videamus, dum hi pro tam exiguâ stipe tam multũ recipiunt. Obiit porrò an. M. CCCC. LIX. Ægrotantis verba illa feruntur: *Servire* DEO *regnare*

re est. & illa morientis: *Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio.* Imò verò ANTONINE, egregiè sciviſti: Virgo moriens eam in cælum usque extuliſti. *Ex Vinc. Mainard.*

Ne simus hîc negligentes, ut non per infinita secula postmodum pœnitentiam agere cogamur, ubi nihil proderunt lacrimæ. In studiis atque laboribus gaudent Angeli atque Archangeli, sicut contrà in torpore ac negligentiâ gaudet inimicus. S.Ephrem.tom.1.

INVENTIO S. CRUCIS. 3.*Maii.*

GAudent alii crucem, quam cælum mittit, miſſam amittere; at amiſſam olim Chriſti crucem inveniſſe hodie ſe gaudet Helena, triumphat. Rei geſtæ ordinem hîc habes. Latebat crux terrâ, plus odiis Judæorum ſepulta. At Helena, cùm primùm filius Conſtantinus Maxentium debellavit crucis ſanctiſſimæ auſpiciis, quò grata foret, omni ingenio viribuſque eruere defoſſam, orbiſque adorandam proponere contendit; tunc demum credens theſaurum ſe reperturam, ſi crucem. Ita locus à ſuperſtitione primùm purgatur; & infame Veneris ſtabulum ſtatuaque dejicitur: mox humus altè egeritur; tandem tergeminæ cruces parent, & ponè titulus crucis refixus. In ipſiſſimas auri venas offendiſſe Helenam credidiſſes. Minuebat tamen lætitiam publicam illud, quòd quænam ex tribus Servatoris crux foret, ſic nondum conſtaret. Sed opportunum conſilium Macarius urbis Epiſcopus ſuggeſſit, juſſitque ordine ſingulas morienti fortè tunc mulieri imponi. Pergebat illa ad primæ contactum mori, itemque ad ſecundæ, ad tertiæ denique incolumis revixit. Huic Helena templum ſtruere dignum magnificentiâ ſuâ, cru-

cemque, hoc est aurum, argento includere, partem quoque unà cum auctario (clavis ejusdem) ad filium Imp. transmittere, regium utique donum. Agnovit ille signa victoriarum suarum, & summè veneratus toto imperio edixit, ne, quæ tessera salutis foret omnibus, posthac improborum foret supplicium. Clavorum altero diadematis frontem, altero frenos Imperatorios ornavit, certus majores nobilioresque uniones neque Indiam posse submittere. *Ex Brev.*

Quisquis desiderat ab omni vinculo maledictionis absolvi, & plenam novæ gratiæ benedictionem consequi, Crucem diligat, ex qua omnis plenitudo benedictionis emanat; per Crucem se Dei mandatis astringat; per Crucem effrenis Carnis incentiva cohibeat. S.P.Dam. serm.de Invent.Cruc.

S. FLORIANUS M. 4.*Maii.*

FLORIANVM, quem adversùs ignium injurias patronum invocamus, aquæ ad Superos transmiserunt. Diocletiano Cæsare, in Norico Ripario Tribunus militaris agebat, cùm institutâ de Christianis quæstione, nomen suum ultrò detulit. Aquilinus loci præfectus fustuario primùm ejus constantiam tentavit; deinde ubi Christi nomen extundi ei posse desperavit, in Anassum flumen præcipitem egit. Impii mandati obedientiam carnifex repentinâ cæcitate luit. Corpus exanime appulsum in scopulos aquila tutata est, Jovis olim, nunc FLORIANI satelles. Ipse Valeriam religiosam feminam ad justa persolvenda corpori suo excitavit, & pietati mercedem persolvit, salubrium aquarum scaturigine, quas ægris bibisse profuit. Igne periclitantibus propitium esse primus

mus omnium carbonarius experimento didicit; ſuis, quas ipſe ſufflaverat, involutus flammis FLORIANVM appellavit, & integro corpore è rogo emerſit. Beneficium luculentius fuit, quàm ut illud obſcurare invidia vel oblivio poſſet. Inde poſteris quoque mos traditus eſt, FLORIANI imaginem cum urnâ aquariâ in fronte ædium dedicandi. Vos illam, ô juvenes, etiam animis tutelam adſciſcite, adversùs multò triſtiora incendia, quibus libido faces ſubdit, & perenne pabulum omnes corporis ſenſus ſubvehunt. Lingua, manus, aures, oculi, fatendum eſt, incendiarii ſunt animæ. *Ex Surio.*

O Ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma ſuperbia, cujus ſcintillæ prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna. S. Hieron. in Ep.

S. PELAGIA V. & M. 4. *Maii.*

PELAGIAM Tharſenſem Diocletiani Deique filius ſponſam ambierunt, ille corporis, hic animi pulchritudine captus. Reſpuit mortalem procum Virgo, & cæleſte conjugium præoptavit. Paranymphus Clino fuit Epiſcopus, quem divinitus ſibi oſtenſum inter montium latebras reperit, ubi edocta eſt, qualis dos afferenda ad ſponſum eſſet. Ea uno verbo innocentia appellatur, quam beati Genii donum PELAGIÆ tulere, cùm luſtrico fonte, qui ad Clinonis preces è ripe profluxit, tingeretur. Auguſta præterea Virgo duplici diademate cincta, ut vel hinc terrarum Cælique Dominam intelligas, palàm viſendam ſe dedit, velut ſanctorum ſponſalium Antiſtes. Non fuit deinde difficile PELAGIÆ hoc virginali mundo excultæ,

bombycum fila contemnere. Nimirum non Cæsaris sed Numinis oculis se compsit, cui in sponsâ cilicium præ purpurâ placet. Sed neque rivalem diu sustinuit Christus; hunc enim antelatum sibi indignatus Cæsaris filius, versusque ex amore in furorem, gladio pectus transfixit. Diocletianus tamen filium ulturus non fuerat, si Pelagia amorem à Christo ad se transtulisset. Abhorrentem ab eâ conditione novus Phalaris bovi æreo candenti inclusit, in quo illa, amore veriùs, quàm igne liquefacta est. Exuvias corporis in Linatum montem projectas quatuor leones tutati sunt; Clino in urnam composuit, & monti congregationis nomen indidit. Vos Sodales, qui tituli jure reliquiarum hæredes estis, quod in Pelagiâ pulcherrimum fuit, innocentiæ vestem, primo loco votoque poscite. *Ex Metaphrast.*

Si luxuriæ flamma in ossibus æstuat, protinus illam memoria æterni ignis extinguat: si callidus insidiator lubricam carnis speciem objicit, illico mens ad mortuorum sepulchra oculum dirigat, & quid illic suave tactu, quid delectabile visu reperiatur, solerter attendat. S. Pet. Dam. op. 7. cap. 23.

S. MONICA VIDUA. 4. *Maii.*

HÆc est illa MONICA, quæ Augustinum bis genuit, orbi primùm, deinde cælo, secundo quàm primo partu felicior, dum filio pietatem, alteram hominis animam, quam cum lacte instillare non potuit, plorando infudit. Hæresi Manichæâ mortalissimâ humani generis peste perierat Augustinus; mater sic mortuo affundere lacrimas non antè destitit, quàm Episcopi oraculo recreata est spondentis: *Fieri non posse, ut filius istarum lacrima-*

crimarum periret. Vim nimirum faciebat Deo (uti Augustinus posteà jam renatus loquebatur) *cor contritum & humiliatum viduæ castæ ac sobriæ, petentisq; ab eo non aurum & argentum, sed salutem animæ filii sui.* Cujus illud primum indicium fuit, quòd Ambrosio acquiesceret, & destillante ab illius viri ore ambrosiâ pasceretur, quem proinde non immeritò ut Angelum Dei Monica diligebat; quando verè idem est boni præceptoris, quod Angeli officium, etsi non eadem utrique dignatio impenditur. Compos tandem facta voti sui, & Augustino in tantas succrescente spes, negavit longiore sibi vitâ opus esse, desiderium cæli ad Ostia Tiberina filio professa, cùm diceret: *Fili quantum ad me attinet, nullâ re jam delector in hâc vitâ: immorari cupiebam, ut te Catholicum viderem, &c.* Neque multò pòst terris excessit, hoc unum precata à filiis, ut ad Domini altare sui meminissent. Nos illam suspiriis repetimus normam & exemplar matrum omnium; nam hodie pleræque non pereuntibus filiis, sed ad Deum abeuntibus lacrimantur, eosque diligendo occidunt. *Ex operib. S. August.*

Primus gradus pietatis est iste, ut quos auctores tibi voluit esse Deus, honores obsequiis, abstineas contumeliis: sed nec vultu lædenda est pietas parentum; meretur cæcitatis subire supplicium, qui parentum vultus torvo vultu despexerit. S. Hieronym.

CONVERSIO S. AUGUSTINI. 5. *Maii.*

HOc die Monicæ lacrimæ AVGVSTINVM orbi secundùm pepererunt; nam hoc Manichæorum erroribus se demum expedivit. Ad id plurimùm, ut dixeramus, momenti mater attulit, quæ

filium pessum euntem ex Africâ in Italiam usque secuta lacrimis, pro ejus salute tantùm non exoculavit sese. Monstravit certè parentibus, quàm parum sit filium mundo peperisse, nisi in spem cæli educetur. Jam duo illi ex Imperatoris aulâ, qui lectâ Magni Antonii vitâ, nuntium mundo remiserant, tantum apud AVGVSTINVM potuerunt, ut exclamaret: *Quid hoc? quid audisti? surgunt indocti & cælum rapiunt: & nos cum doctrinis nostris volutamur in carne & sanguine?* Sub hæc luctanti cum animo suo in conspectum se castitas dedit, ingenti omnium ordinum ac ætatum coronâ cincta, digitoque nunc senes aut viros, nunc pueros aut puellas signans, & tu, ajebat, *non poteris quod isti aut istæ?* mox è cælo etiam vox istiusmodi allapsa: *tolle, lege,* Sustulit ille, legitque: *non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & amulatione: sed induimini* JESVM CHRISTVM. Legit inquam hæc, & ex Manichæo Catholicus, ex Rhetore Ecclesiæ Doctor, ex mundi amatore summo summus contemptor evasit. At nos qui eadem & audimus & legimus, moras moris nectimus, dicitque è cælo nobis ipse Divus, quæ sibi olim dicebat: *An quia præcesserunt, pudet sequi? & non pudet nec saltem sequi? Ex ipsius D. August. Confess.*

Si aurum tibi offeram, non mihi dicis, Cras veniam; sed jam exigis; nemo differt, nemo excusat. Redemptio animæ promittitur, & nemo festinat. S. Amb. in serm. de Jejun. & Eleemos.

S. ANGELUS CARMELITA. 5. Maii.

ROsam è spinis habe, ANGELVM, inquam, è parente utroque Judæo Jerosolymis natum.

Sed

Sed quid dico? ipsæ hæ spinæ in rosas abierunt, cùm Cæli REGINA Magistram his in fide se præbuit, geminamque illis prolem Joannem Patriarcham, ANGELVMque nostrum Martyrem est vaticinata. Ergo cùm ad templum Christianorum se recepissent, ibique in sublimi hostiâ talem Christum, qualis olim à cruce pendebat, non dubiis jam oculis vidissent, Christo geniti Joannem primùm, tum ANGELVM genuerunt. Hic altioris vitæ rudimenta in monte posuit Carmelo, qui & nomen illi dedit. Abhinc in seipsum primò, deinde in eremum descendit, ubi cùm solum se crederet, adesse sibi vidit JESVM, multo maximo SS. agmine stipatum, & jubentem, victorias suas Alexandriam ferret, inde ad palmam in Siciliam contenderet. Huc priusquam Româ iret, DD. Franciscum & Dominicum felici pede offendit. Nam Franciscus repentè plenus Numine fatidico ad pedes ANGELI accidit, osculoque his fixo, martyrem voce gratulabundâ salutavit. Sed & hunc vati suo vatem fuisse ajunt, & jam tum cæli nomine promisisse Francisco illa vulnera honestissima, alterum haud dubiè nec minùs nobile martyrium. Cæterùm in Siciliam appulsus, cùm Berengarium Comitem incestâ cum sorore consuetudine multis jam annis infamem clam primò, tum palàm castigasset, immissâ hæreticorum manu, in ipso templo, plura vulnera pro concione interque hæc lethale accepit. Atque ex hoc paulò pòst mortuus, ad cognomines abiit ANGELVS. *Ex* BZOV. 13. *tom. Ann. Eccl. & Ferr.*

Quid ultra debuit facere Christus & non fecit? Cujus vel saxeum pectus tanta & talis, à tanto & tali collata multitudo beneficiorum non emolliat? quidquid

igitur

igitur es, quidquid potes, debes creanti, redimenti, vocanti. S.Bern.ſuper illud, Regnum Dei, &c.

S. JUTTA VIDUA. 5.*Maii.*

QUi JVTTAM legis, legentem lege. Nam & illa à teneris vitas legere Divorum gaudebat; ſed &, quod pauci facimus, facere gaudebat, quæ legerat. Nubilem jam & fugam è mundo meditantem, nuptiæ illuſtres implicarunt, neque tamen manus virtuti ligarunt. Mundum omnem muliebrem, quem à parentibus & ipſis illuſtribus nobiliſſimum acceperat, ad veſtienda ornandaque mendicabula omnē contulit, rectè non pulchrius micare gemmas & uniones rata, quàm in pauperis Chriſti centonibus. Jamque eò devenerat, ut decoctâ ingenti dote, neceſſaria ad vitam mendicare ipſa non ſine riſu improborum cogeretur. Sed laudavit Chriſtus hanc prodigalitatem conſpicuus, & iterum ditavit illis verbis: *Omnia mea tua ſunt, & tua mea.* Enimverò tam opulentam ſe ubi circumſpexit JVTTA, effuſior etiam dehinc vixit. Neque tamen redigi ad incitas potuit liberalis dextera. Iterum Chriſtus illi viſus poteſtatem fecit ex divite cordis ſui ærario quas luberet opes depromendi. Illa Sapientiæ ſanctioris theſauros deprompſit, ut jam ſine alio Doctore arcana fidei calleret, & in ipſa adyta ſanctiſſimæ Triadis mulier ſe penetraret. Nimirum neque jam ſupremum ægram à Chriſto ad notas delitias invitatā miror, neque dubito animum membris ſolutum rectà in cælos abiiſſe, cùm verſus hos in aërem abiiſſe inter preces, etiam cum corporis pondere legam. Ex *Bzov. tom. 13. Ann. Eccl.*

Suſcipiat fidelis anima Auctoris ſui atque Rectoris

immarcessibilem charitatem, totamque se ejus subjiciat voluntati, in cujus operibus atque judiciis nihil vacat à veritate Iustitiæ, nihil à miseratione Clementiæ. S.Leo serm.de Jejun.

S. JOANNES DAMASCENUS. *6.Maii.*

ETiam hic JOANNES, cui à patriâ DAMASCENO nomen fecit, inter VIRGINIS cultores in paucis est numerandus. Cùm enim Saracenorum Duci à consiliis esset, calamum interim in Leonem sacrarum imaginum hostem strinxit, pulchrum existimans, pro MATRIS capite manum suam objicere. Nam cùm literas commentus impius esset Imperator velut ab ipso JOANNE scriptas, quibus Damascum prodere cogitaret, easque Saraceno transmisisset, dextram hic scilicet detruncavit innocenti. Sed precanti & ante icona DEIPARÆ familiariùs querenti, quòd ad pugnandū pro ipsius & Filii honore inermis jam esset, ecce tibi auxiliatricem manum VIRGO porrigens, dextram integerrimam restituit, relictâ solùm in miraculi vestigium lineâ rubente, quam rectiùs armillam nos dicemus. Hinc JOANNES sapientiæ sanctioris rudimenta inter Anachoretas discere aggressus, magnos brevi progressus fecit. Fiscellas enim in patriâ jussus vendere, risui scilicet fuit, qui nuper omnium admirationi erat. Jam sordes omnes in cœnobio illâ, illâ non tam suâ quàm VIRGINIS manu jussus purgare, non dubitavit imperio obsequi. Quare manum tam nobili victoriâ splendidam calamo denuò ipsa cæli Imperatrix MARIA armavit, scripsitque illa quæ hodieque orbis omnis miratur. Sed nimirum quæ reddidit, etiam rexit dexteram. *Ex Io.Patri.Hier.*

Nostram

Noſtram memoriam repoſitorium Deipara faciamus. Hoc verò quomodo erit? Ea fuit Virgo, & amatrix Virginum; Si ergo cum corpore mentem quoque caſtam habuerimus, inhabitantem ejus gratiam poſſidebimus. S. Jo. Damaſc. ſerm. de Aſſ. B. M. V.

S. FLAVIA DOMITILLA V. & M.
7. Maii.

ADornabat in centeſimum CHRISTI annum FLAVIA Aurelio deſponſa nuptias, & ad nuptias ſeſe imprimis: cùm Nereus & Achilleus, qui à cubiculis illi erant, ſollicitam moverunt, ut eam in comendo curam cælo impenderet, ita fore, uti ſponſum CHRISTVM nanciſceretur. Audiit illa tam ſalubria monentes, repudiatoque mortali ſponſo, immortali nubentem Clemens Pont. Max. ex more Chriſtiano, flammeo involvit. Conſilium hoc optimum etiam ipſis auctoribus fuit. Nam duo egregii illi Paranymphi mox Martyres coronam primi nuptialem abſtulerunt; at FLAVIA in exilium miſſa, dura atque aſpera multa perpeſſa eſt. Poſt cùm Theodoram atque Euphroſynam, quæ ad Aurelii amores iterum illam abſtrahere nitebantur, in ſuam etiam ſententiam pertraxiſſet, & ipſe Aurelius dum choreas ductaret, ſubito fato corruens, mortuales feciſſet, quas nuptiales putaverat; irâ ardens hujus germanus Luxurius, ædibus in quibus DOMITILLA cum geminis, quas memoravimus, virginibus agebat, ignem ſubjecit. Sed nempè tam ſanctis nuptiis ille ſic tædas præluxit; ſponſarum verò poſtridie corpora, ut à Cupidinis, ſic à tyranni etiam ignibus integra fuerunt, & à tam ſanctis flammarum ſpoliis hodie Eluacum Germaniæ civitas ſplendet. *Ex Surio.*

Deſpicien-

Despiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiamsi rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quàm, ne diligatur, clamat? S.Greg. l.3.Dial.

S. AMATUS CONF. 8.*Maii*.

AMATO Saludecium patria fuit. Parentibus in tenerâ ætate amissis, multa tulit, fecitque puer & adolescens, etiam viris imitanda. Amor castitatis prima illi bella excitavit, feminâ classicum cantante, proprio sexûs sui genio. Ea fratri AMATI nupta, filiam, quam priore conjugio tulerat, cùm AMATO sponsam obtruderet, repulsam ultimis odiis ulta est, quibus etiam fratres collisi sunt, exiguo tamen AMATI incommodo, deputantis in lucro, si virtutis causâ nomẽ suum amitteret, fieretque exosus: Numinis tamen benevolentiam omnibus officiis captavit, in pauperes tam prodigus, nihil ut sibi relinqueret, sed locatâ promiscuè operâ, famem sustentaret: in emaciato nihilominùs corpore flagro ferreo non modò memoriam sed imaginem Christi patientis renovabat; hoc quoque illius assecutus, ut pro malesano habitus publica civium suorum fabula fieret. Sed despectum orbi cælum ad se rapuit, tam familiariter quidem, ut inter castas preces evolantem ad Superos animum etiam corpus sequeretur. Crescentem eo miraculo AMATI famam frater fœdo crimine fugillavit, stupri commercium ei cum Clarâ sorore Deo sacratâ affingere ausus. Sed ambulantem in jus sol absolvit abollam ejus intercipiens, suisque radiis sustentans. Iisdem illustrata AMATI est sanctitas; sed ille proditorem

suum

ſuum fugiens, inter ſacras peregrinationes conſenuit, in hoſpitali denique pauperũ domo, quam ſuis impenſis erexerat, mortuus. Corpus nondum extabuit, ſuaque integritate fratris calumniam etiam in tumulo refutat. *Ex Phil. Ferrar.*

Qui orationi vacare deſiderat, ſuaſque poſtulationes offerre altiſſimo, ſic ſe componat intus coram oculis Domini, ut non minùs ipſe, quàm ejus acceptabilis ſint deprecatio. Non placet Deo orationis ſacrificium, niſi placeat priùs ipſe, qui offert. B. Laurent. Juſtinian. Faſcic. Amoris cap. 15.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS.

9. *Maii.*

GREGORIVS à patriâ NAZIANZENVS, ab eruditione poſteà THEOLOGVS dictus, cùm ſtudiorum cauſsâ Athenas peteret, gravi tempeſtate jactatus, proximè ultimum vitæ diſcrimen fuit. Quis credat? quò felicitatis venti ſecundi nunquam tuliſſent, adverſi tulerunt. Cùm enim voviſſet, ſi ex his undis emergeret, ſanctioribus Baptiſmi aquis caput merſurum, & vitam inter Religioſos acturum, illico cælum arriſit, & damnatus voti GREGORIVS navim non tam ad terram, quàm ad cælum appulit. Porrò Athenis commoranti uno eodemq; tempore & caſtitas & ſapientia viſendam ſe dederunt, & amanti ambæ lubentes nupſerunt, puto ut arguerent juventutem noſtram, quæ ſine animi puritate ſapientiam ducere necquicquam allaborat. Exinde ut in ſtudiis, & legibus monachorum condendis, ita etiam in bello contra Arianos Magno Baſilio ſocius fuit; auſus in ipſum Julianum, in quo adoleſcente etiamnum Athenis tyrannum latere edixerat, palàm & ſcribere,

scribere, & dicere, sævientis vulgi & saxa in se conjicientis clamores velut plausum accipiens. Sed & Pontifex jam Byzantinus sicario, ab hæreticis in necem suam subornato, facilis veniam dedit: pòst tamen gravibus iterum seditionum fluctibus agitatus, missâ urbe ac insulâ, in villulâ patriâ malaciam, in morte denique anno CCC. LXXXIX. portum reperit. *Ex Greg. Presb. apud Sur.*

Cordis contritio optimum est ad percipiendam munditiam medicamentum. Mox ut germinare inchoaverint fœdæ cogitationes, compunctionis gladio interimat ipsas, qui cordis sui Christum cupit habere possessorem. S. Laur. l. de cast. Connub. c. 13.

SS. GLYCERIA & LAODICIUS MM.

10.*Maii.*

GLYCERIA Macarii III. Consulis F. sexûs sui miraculum, utriusque exemplum, Antonini imperio Trajanopoli & Heracleæ triumphavit. Lampodophoria celebrantibus impiis, ipsa frontem cruce insignita in publicum prodiit, negavitque aliâ lampade sibi opus esse, cùm crucis radios nec ipse quidem Jupiter marmoreis oculis laturus sit. Fecit dictis fidem comminuta extemplò statua, neque ad vindicandam injuriam satis potens, cùm frustillatim in GLYCERIAM jactaretur, trepidantibus fragmentis munitam cruce Heroidem contingere. Ferocior tamen Jove suo Sabinus præses fuit, & è comâ pendulam lancerari ungulis jussit, temperante cruciatus Angelo, & sua in carnifices tormenta regerente: qui deinde etiam in carcerem abreptæ compedes dempsit, mensam epulis instruxit, fornacis incendium extinxit, detractam capiti cutē restituit; quam cùm

LAODI-

LAODICIVS carceris custos iterũ tribunali sistendam non agnosceret, ejusque fugam luere ferro pararet, revocatum à scelere GLYCERIA Christo asseruit, sponte deinde manus pedesque iis vinculis astringentem, quæ virgo tulerat. Et ille quidem securi addictus ad cælum per compendium abiit. GLYCERIA Diis hominibusque victis, etiam belluas triumphavit. Stetit inter leones agna, neque exhorruit contubernium. Ipsis adeò feris tradidit mores suos, & genuinam rabiem cicuravit; vix cùm voce de cælo lapsâ excedere circo victrix juberetur, morsiunculam à leænâ impetravit, quæ animæ viam faceret. E corpore oleum fluxit, ne athletis pro innocentiâ pugnaturis ceroma deesset. *Ex Surio.*

Spiritus subjectam carnem disciplinæ freno coërceat, & ad supernam Hierusalem quotidie ferventis desiderii gradibus festinet. Promissa castitati præmia incessanter aspiciat, quorum dulcedine provocatus, quidquid versutiâ callidi insidiatoris opponitur, libero fidei pede transcendat. S.Pet.Dam.ep.7.c.24.

S. GANGULPHUS C. 11.*Maii.*

GANGVLPHO Dynastæ Burgundo corporis, animi, quæque fortunæ propriè imputamus, bonis felicissimo, nihilominùs cum malorum omnium extremo malâ uxore conflictandum fuit. Ea præter cæteram morum perversitatem etiam fœdis amoribus indulsit, quos denique fons prodidit, & hoc & aliis prodigiis illustris. GANGVLPHO in Campaniâ prandenti simpliciſſima ad speciem quæstio excidit, quanti fontanam, cui assidebat, hospes æstimaret; sibi enim opidò allubescere. hospes delirium interpretatus, pretium tamen

statuit.

statuit. GANGVLPHVS aquam, quanti indicata erat, emit, & se dat in viam; fons, inaudito miraculo, eum sequitur, & Varennis, ubi domicilium habebat, novo ortu erumpit, seriò jam damnante mercimonium suum Campano. Ex hoc ergo fonte calculum levare GANGVLPHVS uxorem jussit, absoluturus eam, si id impunè feciſſet. Accipit conditionem cum risu adultera; sed brachium velut ex Vulcani ollâ fœdè ustulatum retulit; nullo tamen, præter divortium, incommodo affecta, ad ingenium rediit, & denique adulterio parricidium conjunxit. Id ubi amator illius (prô pudor! Clericus erat) perpetratum ad prostibulum retulit, infelicem animam cum alvo dejecit. GANGVLPHVM miracula Divis exæquarunt; quæ cùm adultera traduceret, infami per omnem vitam supplicio est exercita, quod prodere verecundiores, quàm illa fuit, literæ erubescunt. *Ex Surio.*

Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret, tantusque in te sit veri amor, ut quidquid dixeris, juratum putes. De quo Salvator ad discipulos ait, Non jurate omnino: Sit autem sermo vester Est Est, Non Non; quod autẽ his abundantius est, à malo est. S.Hieron.ep.14.

S. PANCRATIUS M. 12.*Maii.*

NOn omnes serò sapere Phryges, PANCRATIVS ipse quoque Phryx ostendet. Quatuordecim non amplius natus annos vitã quàm Christum maluit perdere, quæ quidem summa est sapientia. Principe familiâ, Cledonio patre ortus, eoque mortuo, Dionysio patruo in tutelam commendatus Romam cum eo commigravit, quo tempore Diocletianus, Christiani sanguinis gurges,

ges, totius Imperii viribus ad exscindendam innocentiam abutebatur, commodùm accidit, ut in eâdem regione urbis Romanus Pontifex latitaret, in quâ PANCRATIVS domicilium collocarat, nimirum ut dignissimâ manu hoc lilium Numini consecraretur; cujus impulsu PANCRATIVS ultro cum patruo illis ab eo tingi aquis petiit, quibus omnes cæli flores rigantur. Voto potitus tam suavem pietatis halare odorem cœpit, ut venaticos Diocletiani canes, omnia Sanctorum vestigia odorantes, non potuerit latere. Raptus ad tribunal quantumvis sanguinarios Cæsaris oculos rapuit, qui tamen præter oris formam nihil intuebatur. Ergo blanditias primùm admovit, infantulum appellitans, & filii nomen offerens, si se patrem, & Jovem habere Deum voluisset. Utrumque contempsit, & Jovem quidem generosissimè, negans tam puerum esse se, ut adulterum, & sororis suæ maritum sibi putet adorandum. Diocletianus ne plura audiret æquè erubescenda, jussit hunc omnis elegantiæ florem demeti, cujus sanguine utinam Mariani rigentur horti; ô quales nascentur Narcissi! *Ex Surio & Brev. Rom.*

Qui differt in futuram & forsitan non futuram ætatem suam vitam corrigere, certum bonum dimittit procul dubio; & contemnendo, quod perdit, probat se non amare, quod expectat, & meretur non accipere. S. Anselm. ep. 1.

S. EPIPHANIUS EP. 12. Maii.

IUvat suavitatem divinæ circa teneram ætatem providentiæ in EPIPHANIO agnoscere. Is Phœnix gente, sectâ Judæus, patrem decennis amisit. Accedente ad orbitatem egestate, equum indomitum

mitum à matre jussus vendere, vitium ejus clam non habuit; donatus ob candorẽ liberaliter etiam in Christianum incidit Cleobium nomine, cujus aspectu efferatus equus EPIPHANIVM excussit, felici casu; Cleobius enim, invocato Christi nomine, afflictum erexit, calcitronem occidit: ea prima scintilla pectori incidit JESV olim amore arsuro; sed nimirum eam facilè Tryphon suffocasset Hebræorum antesignanus, qui EPIPHANIO adoptato, eundem sibi generum desponderat, ægrè ex his pedicis extricandum, nisi eas Tryphonis & filiæ mors incidisset. Commodùm deinde equitanti Lucianus Monachus se obtulit, qui ad pauperis preces, veste se exspolians, extemplò togam puram è cælo accepit. Et causa EPIPHANIO fuit, ut se homini imbuendum permitteret, Numine tam propitio, ut Episcopus ad lustricum fontem properantis vultum radiare, coronamque imminere capiti cerneret. Lætis initiis vita omnis consentanea fuit. Famem, sitim, morbos, dæmones, mortem, cæteraque orbis mala nemo eo potentius coërcuit. Hæreses pestem his omnibus capitaliorem stilo confixit. Miretur viventis miracula juventus, unum modò, quod jam exanimis edidit, imitetur. Improbum hominem, nudum corpus inspicere tentantem, calce à se repulit, verecundiæ etiam post mortem retinens, quæ hodie ferè omnium virtutum prima moritur. *Ex Metaphr.*

Aversum ab omni voluptate mundi oportet esse animum, nunquam desinente corpus titillare noxiis illecebris, quas experimento constat appropinquantis dæmonis esse anteambulones, quos tamen, si mens sobria Dei memoriam nunquam deposuerit, nullo negotio prosternemus. Ex Testamento S. Epiphan.

S. ALEXANDER M. 13.Maii.

NOs, quâ te voce possumus, Christiane miles, excitamus; ALEXANDRVM enim ad certamen pro fide subeundum Angelus animavit, & adversus Maximiani tormenta invictum præstitit. Sed & Pæmenia mater, raro in feminâ exemplo, cælesti hortatori succinuit, ex Italiâ in Thraciam abducti, & iter omne suo sanguine nobilitantis filii comes. Præconio illius ad illustriora passim tribunalia Christum prædicantis, quidquid inter Italiam Asiamque intercst, revixit, & relangueſcentes Christianorum animos fortissimi juvenis sanguis ad pares ausus accendit. Diu pulchriùs hominibus Angelisque spectaculum præbitum non fuerat, neque contineri vel hi vel illi potuere, quin identidem applauderent certanti. Omnia passum, quæ Tiberiano Præsidi furoris ingenium dictavit, caput à Cælestino carnifice abscissum est, sed ferrum stringere non antè auso, quàm Angeli beati Martyris satellites, ipsomet deprecante, paulò longiùs ab ejus latere secederent. Corpus in flumen projectum canes extraxere; bini ex iis matri obviam progressi nobilis thesauri indicium fecerunt. Functam ultimo pietatis officio de cælo filius est allocutus paratæ mercedis sponsor. Dolendum ALEXANDRI hujus verè magni virtutibus parem scriptorem non obtigisse, sed illud ampliùs, tam paucos habere imitatores. *Ex Metaphr.*

Cùm fallax hujus Mundi felicitas tot calamitatibus sit obnoxia, cùm potentia temporalis tot casibus variada subjaceat, & rerum ordo sese velut scenica vertiginis alternitate confundat, quis sanæ mentis à rebus tam

frivolis

frivolis tamque fugacibus animum non avertat? S. Pet.Dam.lib.7.ep.5.

S. JOANNES SILENTIARIUS. 13.*Maii.*

DIceres idem jam esse Joannem & MARIÆ amatorem. Certè talis ille fuit JOANNES, qui à taciturnitate nomen habet. Etenim magnarum opum hæres earum hæredem esse MARIAM vivus voluit, nobilissimo in ejus honorem templo extructo; ipse vitam cum aliis DEO DEIque MATRI devotam egit, tantâ animi integritate, ut nudum, quoad vixit, nunquam se aspexerit, vel hâc unâ sanè verecundiâ VIRGINI charus. Ad insulam subinde omnium votis præterquam suis vocatus, Hierosolymam abiit: ibi cùm stellam cruce insignem vidisset, audissetque vocem, quâ præeuntem sequi jubebatur, memor quàm bona dux Stella jam olim fuisset, extemplò in viam se dedit. Nec aberravit profectò, nam rectà in cœnobium ampliſſimum venit, in eoque VII. annos; in spelæo deinde IX. alios silentio traduxit. Hinc egressus & viarum anfractibus implicitus, à Cælitibus eò iterum reportatus, & contra incursiones Saracenorum à leone est defensus. Tandē ad cœnobium reversus, & post multos annos ab Angelo proditus, Caryotam in petram abjecit. Et ecce continuò hæc simul radices simul germen agere, tum frondes totâ ædiculâ explicare, & post tertium denique diem fructum ferre. Abiit deinde JOANNES ex humanis anno M. LVIII. ætatis C.IX. vir qui vel tacendo meruit, ut omnis de illo ætas loquatur. *Ex Metaphr.*

Loquere sanè, si quid silentio melius & excellentius habes; at ubi silere præstat, quàm loqui, silentio ac-

quiesce. Nosti enim laudatum illud, ordinem labiis constituere, atque alia dicere, alia audire. S.Greg.Naz. S.Moder.in disp.servan.

S. PACHOMIUS ABB. 14.*Maii.*

DAbit Christianus adolescens victas Stygi manus? cùm PACHOMIVS nondum Christianus dæmonibus fuerit formidini, ut præsente eo vocem mittere non sint ausi, obstupefacti indole ad nutum Numinis apertâ: cujus notitiam simul atque hausit, continuò carni bellum indixit, quam ut generosiùs sperneret, cælesti ambrosiâ, quâ Christo nomen dedit nocte, est pastus. Monasticæs Tyrocinio posito, jussus est divinitus cœtus cogere ex formulâ, quam exaratam ab Angelo accepit, erudiendos. Quos inter celeberrima Theodori est memoria, qui clarâ stirpe genitus, totâ in epulas effusâ domo, hâc cogitatione ictus est, mundi fabularum quàm tristis sit catastrophe, & cùm personatis gaudiis larva detrahitur, quàm non juverit ad tempus insanîsse. Secutæ sunt lacrimæ, quas mater conata abstergere, ne fugæ quidem consilium filio eripere potuit. Quin adeò cùm diu perquisitum delitescere apud PACHOMIVM inaudisset, armata Episcoporum Epistolis irrupit in dicata sancto illius otio nemora, & ad suas admitti delitias propè cum convitio postulavit. PACHOMIVS, Theodoro copiâ facit salutandæ matris, quâ se ille usurum negavit, nî spopondisset PACHOMIVS, eum sibi congressum olim fraudi non fore, quam in rem cautus senex fidē dare non sustinuit. Priusquam quieti se daret, fessa diurno labore membra sigillatim solabatur; quantillum enim superesse jamjam in beatitatis rosa collocandis?

dis? Quid ad hæc suaviludii nostri, qui nunquam in Dei causâ se meminere fatigatos? *Ex Metaphr.*

Si æterna bona sub aspectum caderent, itemq; supplicia veritatis agnitæ desertoribus parata, nullius alterius rei desiderium teneret jam terrâ sublimiores, & præteriti temporis acta recolentes cum lacrimis, donec Dei gratia cæleſti nos sponso jungeret. Ex dictis S. Pachomii.

S. BONIFACIUS EP. 14. *Maii.*

PUlchrè BONIFACIVS omnes nominis sui numeros implevit, puer jam multorum pater, nunc sine prætextâ, nunc etiam sine interulâ ad matris sinum redux, & verò jactabundus etiam, quòd tam exiguis panniculis totum CHRISTVM potuisset tegere. Furtum tamen jam tum vel maximè damnavit, eoque vulpes, quæ subducere matri gallinas amabat, ad precantis pedes redire coacta, & rapta reddidit, & facinus morte spontè luit. Jam domi sive messem sive vindemiam habere illi cùm libuit, licuit. Inde cùm ditiores annonam flagellarent, matris omne frumentum in pauperes sparsit. Sed sementem hoc erat facere. Nam cùm mater irascereturtam prodigo, ad ejus preces subita seges totum horreum complevit. Sub hæc cùm spem vindemiæ ditioris grando dejecisset, Antistes jam Ferentinus pauxillum vini, quod legerat, in omnes testas, ac dolia divisit, precando deinde tantùm non exundare fecit. Certè vasculum mero plenum Gothi duo ex itinere accepisse se putaverant cœnæ fortè unius illecebram. Sed nimirum cellam illi promptuariam circumferebant, non minùs etiam, cùm viam relegissent, divitem. Fuit cùm bene egenis facturus ipse egeret, & duodecim aureos, nepotis peculium, prodigeret. Verùm

cùm ei nepos vehementiùs succenseret, ab imagine DEIPARÆ, totidem alios tulit. Recepit itaque suum nepos, plus utique accepturus, si fœnoris moram dedisset. *Ex Dial.S.Greg.*

Magna res homo, & pretiosa vir misericors. Hæc major gratia, quàm mortuos resuscitare: multò namque majus est esurientem pascere Christum, quàm in nomine JESV *mortuos suscitare; nam illic tu de Christo bene mereris; hic autē ipse de te.* S.Chrys.hom.36.ad Pop.

S. PONTIUS M. 14.*Maii.*

PONTIVM vides, cujus operâ factum est, ne millesimus Romanæ urbis annus dæmonibus consecraretur; quod futurum iidem, PONTIO adhuc matris ventre abdito, permissu Numinis, agnoverunt. Julia, id mulieri nomen fuit, Marci senatoris Rom.uxor, eo gravida, delubrū subierat, cùm repentè Flamen furiis incitatus, concepta mitrâ, hostem Deorum adesse exclamavit, uterum detestans in perniciem Jovis fœcundum. Julia vaticinatione perculsa, fœtum necquidquam depellere abortu institit, nato etiam vim allatura, nisi pater vetuisset, utiq; enim Diis ad unum puerum perdendum satis fore virium. Contigit deinde, PONTIVM, audito Christianorum carmine, quo Deorum vanitas irridebatur, Religionis amore capi; hausta etiam patri instillavit, purgataque à Deorum larvis domo, primum id formidatæ a dæmonibus indolis specimen dedit. Patris mortui dignitate aditâ, Philippis Imp. familiari usu conjunctus est, qui cùm in millesimum urbis annum sacrificium Diis pararent, ab eâ mente PONTII oratione deducti, Christo nomina dederunt, ejusque Numini Romanum Imp. dedicarunt. Valen-

no & Gallieno imperantibus, accusatus impietatis PONTIVS, & equuleo impositus, machinam precibus rupit. Ursos in se incitatos cicuravit, rogum extinxit, gladio denique cervices subjecit, usitatâ Sanctorum modestiâ, quorum plerique capite imminuti sunt, superbis puto instituendis hâc potissimùm parte indomitis. *Ex Surio.*

Cùm homines quotidie immaturo præventi rapiantur interitu, quid restat, nisi ut hoc brevi puncto, quo vivimus, lapsura quæque velut jam lapsa despicere, & ad ea, quæ permanent, pleno fervidæ mentis studeamus desiderio festinare? S.Petr.Dam.op.12.cap.13.

SS. VICTOR & CORONA MM.
14.*Maii.*

AUspicatissima nomina suosque triumphos loquentia, VICTOREM & CORONAM damus. Qui tamen sortitò hæc accipis, laboriosæ felicitatis omen accipere te memento; nam cum Victore quis Hercules se componat? Age numeremus Magni Herois labores. I. Digitos articulatim elidendos sine gemitu præbuit. II. In Fornace accensâ triduum desedit. III. Carnes veneno adipatas concoxit. IV. Nervos distendi, solvique compagem corporis ridens tulit. V. Oleum ferve factum eodẽ quo gelidam vultu hausit. VI. Suspensus facibus ardentibus ustulatus est. VII. Venenum aceto temperatũ pro melle bibit. VIII. Configendam utriusq; oculi pupillam obtulit. IX. Pedibus attractus prono capite triduum pependit. X. cùm degluberetur, tyranno tamen insultavit. Hæc invictâ patientiâ perpesso quid mirum est bissenos Angelos cælo coronam attulisse, & minorem insuper alteram pro CORONA militari femi-

mina, quæ sic excarnificatum felicem tamen beatumque ausa dicere digna Deo visa est, quæ non agones tantùm illius, sed præmia etiam aspiceret. Annum conjugii alterum, vitæ decimum sextum agebat, quo propius miraculo fuit non trepidasse, cum bina palmarum cacumina ad terram ingenti depressa nisu cerneret, quæ à se invicem iterũ discessura mediam distraherent. Alligari tamen se sustinuit, & lacerato corpore, integrũ animũ cælo intulit. VICTOR gladio cæsus eam secutus est: sic olim ad astra itum. Nunc coronæ viliùs veneunt. Nullę nos palmę distrahunt; animũ à mũdo avelle, Coronam spondeo, & Victorẽ appellabo. *Ex Sur.*

Mundo se extraneum homo reddat, ut Deo propensioris gratiæ largitate familiaris adhæreat. Mundo mortuus vivat, à terrenis vexationibus se subtrahat, ac velut in sepulchro jam positus in solo Creatoris sui desiderio suaviter requiescat. S.Pet.Dam.op.12.c.32.

SS. PETR. PAUL. ANDREAS, DIONYSIA, MM. 15.*Maii.*

ITerum triumphantem adolescentiam damus, ne quis magnam virtutem annis metiatur. Imperante Decio, Lampsaci, in ipsâ turpitudinis patriâ, PETRVS adolescens adorare Venerem jussus; ego illam, inquit, cujus vita perpetuum probrum fuit? quæ ex lupâ facta Dea est, neque aliâ gratiâ templis à vobis recepta est, quàm quòd omnium mortalium inverecundissimè peccârit? Hujus dicti libertatem PETRVS in rotâ jussus luere, omnibus confractis ossibus, nec vultum nec animum mutavit; donec gladio ejus patientia finita est. Troadem deinde properanti Proconsuli Nicomachus, audacior quàm fortior, suam in Christum

fidem

fidem jactavit, sed sublimis abreptus torme̅ta non tulit, turpisq; transfuga, ejurato Christo, vix horulam supervixit, quâ in rabiem actus commansam dentibus linguam cum infelici animâ evomuit. Ejus casum miserata DIONYSIA, sedecim annos nata, illico ad quæstione̅, deinde ad lupanar abripitur: sed eam ANDREAS & PAVLVS adolescentes Christiani, & utroq; fortior cælestis genius multâ circumfusus luce, à vi tutati sunt; illis postridie lapidum jactu obrutis, invidit DIONYSIA tam suavem sub hâc grandine mortem, inque mediam se procellam inferens, suosque amplexa servatores, popularis insaniæ reliquias exhausit. Vixit tamen etiam cùm detonuisset, & ultimum gladio spiritum impendit. Sed nimirum saxa & sanguinem loquimur: Beatuli nostri ire ad cælum viâ lacteâ, & calcare rosas volunt. *Ex Surio.*

Noli vitæ hujus felicitatem pravis hominibus invidere, sed condole: Imò quia ipsi non dolent, potiùs ingemisce: Qui nimirum velut bruta animalia ad macellum edendo properant, & ad gladium lasciviendo festinant. S.Pet.Dam.lib.8.ep.6.

S. DYMPNA V.M. 15.*Maii.*

NIsi frontem unà cum oculis amisit improbus amor, erubescet ad infamiam facinoris, quod ipso auctore, sub annum sexcentesimum gestum est. Regebat eo tempore Hibernos rex barbarus, nullâ re nisi amore odioque filiæ nobilis. Viduatus conjuge filiam in thorum pellexit, eâ quidem formâ, cui comparari eo ævo nulla poterat, sed iis moribus, ut non modò incestos amores abominaretur; sed præter Deum nubere omnino nemini in animum induceret. Vim tamen verita ab insano

amatore, cum Gereberno sacerdote fugam ultra mare capessit, & in agro Antverpiensi sanctioribus se curis addicit. Pater eòdem paulò pòst appulsus, cùm illa ipsa imagine signatũ argentũ exponeret, quâ obsonator filiæ hospiti satisfecerat, ejusdem indicio filia prodita est. Fœda omnia sunt, quæ deinde procus dixit, vel carnifex fecit; malumus tamen spectare sanguinem, quàm audire verba improba & lenonia; quibus cùm nihil moveretur, Gerebernus primùm tutor pudicitiæ illius, ferro obtruncatus est; Virgo deinde parentis ense cecidit nobilissima castitatis victima. Funus cælum curavit, neque puduit Angelos vespillonum officium occupare, allatis è candido marmore urnis. Virginis honori hoc amplius datum, ut nomen ejus gemmæ Angelus inscriberet; eo argumento agnovit posteritas DYMPNAM vocatam fuisse. Ite nunc Alexandri, & manus quibus pingi fingique velitis quærite: Castitas cælatores Angelos habet, & tamen, heu, quàm pauci cupiunt hoc calculo notari! *Ex Surio.*

Eant nunc luxuriæ dediti, & ad propriæ carnis arbitrium vivant, ut animâ postmodum & carne simul intereant: nunc medullas mundanæ dulcedinis sorbeant, ut repleti tunc perpetui cruciatus absinthio totis visceribus amarescant. S.Pet.Dam.lib.7.ep.19.

S. UBALDUS EP. 16.Maii.

VBALDVS insulam unam alterámve fugâ declinavit, tertiam eamque Eugubii in patriâ non potuit effugere, Summi Pont. auctoritate captus. Geminis cæcis cùm oculos restituisset, tertium idem roganti, docuit libenter oculis carere, qui animum excæcaturi essent. Hostes innumeros,

patriam

patriam obsidentes omnes egit in fugam, cùm unicum ipse signũ crucis explicasset. Pacis ingeniosissimus artifex, contra injurias cautes inexpugnabilis fuit. Sed utriusque documentum cape. Scissa in factiones geminas urbs, pugnabat in viscera sua. Adest UBALDVS medius inter saxorum & telorum ictus, cadit deinde. Hic verò omnes arma abjicere, damnare discordiam, quæ parricidas cives fecisset. Tum deniq; à piè simulatâ morte surgere UBALDVS, & partam unius eaque ludicrâ morte pacem civibus gratulari. Ultimæ sortis homo, & unico suo cæmento memorandus, Pontificem in calcis scrobẽ dejecerat, non tam cœno quàm ignominiâ aspersum. Ilicet amici civesque scelus urbe exigere, & ipsas improbi domini ædes velle demoliri. At ajebat UBALDVS, graviori supplicio vindictæ litandum. Sese vindicem sui exemplum editurũ, quod urbs, quod orbis miraretur. Interea pro tribunali sedet: adest reus, vel se judice nullâ non morte dignus. Ergo sentẽtiam profert UBALDVS, & inaudito supplicio reum damnat AD OSCVLVM. Non multo sanguine, ais, se vindicavit, sed certè, ut non nemo inquit, rubore multo. *Ex Brev. Rom. Pet. de Nat. & Surio.*

Obediamus Christo, & furentium fratrum morsus, verbera, onera, pietatis Virtute portemus: ut & fratres nostros liberemus à pœna, & patientiæ præmium consequamur: nec dedignetur servus hoc accipere à conservis, quod Dominus à servis & pro servis dignanter accepit. S. Pet. Chrysol. serm. 28.

S. TORPES MART. 17. *Maii.*

RAram avem vides, & albo simillimam corvo, aulicũ, inquam, pium ex aulâ Neronis impii.

TOR-

TORPES est D.Paulo familiaris, & in fide, quemadmodum fertur, Angeli discipulus. Hic tyranni æmulam cælo machinam, & quâ ille mortalibus velut alter in terris Jupiter illudebat, solis precibus destruxit, flumineque cælos vanissimos & orco mersit. Ilicet Nero Jupiter hoc damno multatus graviter detonuit, omnibusque pœnis in TORPETEM fulminavit, sed ex pelvi. Nam alapam primò Sabellici judicis generosè devoravit. Columnæ deinde alligatus, tortusque crudeliter, Samsona ipsissimus fuit. Quid! quòd corruens columna exitium attulit Sabellico, salvo & incolumi nostro Samsone? Ergo Silvius Sabellici filius, hæresque idem crudelitatis, rotæ radiis lacerandũ illigavit, bestiis objecit, semper illæsum, quæ res Evellio consiliario Imperatoris persuasit, ut sibi consuleret, fidemque Christi amplecteretur tot miraculis probatam. Ambo itaque cæsi securi sunt. Porrò TORPETIS corpus fatiscenti naviculæ impositum, additusque gallus & canis, ut illud vel his, vel cum his piscibus foret esca. Sed Angelo remige in Hispaniam appulsum excepit Celerina honestissima matrona, non aliter quàm opes ex divite Indiâ appulsas, tumuloque augustissimo donavit. Addidit deinde pietas Christiana templum. Nam cælum nuper jam Superi dederant, ex quo ille hodie etiam ridet mimicum Neronis cælum. *Ex Bar. Pet. de Nat. & tom. 6. ant. lect. Can.*

Quatuor sunt, quorum in hâc vitâ obsequiis deservimus: Caro, Mundus, Diabolus, Deus. Caro largitur servitoribus suis momentaneam voluptatem: Mundus transitoriam sublimitatem; Diabolus perpetuam captivitatem; Deus interminabilem felicitatem. S.Bern. serm.3.Epiph.

S. ERI-

S. ERICUS M. 18.Maii.

SVeciæ Rex ERICVS Divorum Regum imagines ante oculos suos velut speculum posuit, ipse Regum oculis hodie proponendus. Patriæ & pauperum præcipuè pater, libidinis æstus glaciali aquâ suffocavit. Multæ pecuniariæ tertiam partem, quamvis ultro oblatam, noluit tamen ærario inferri, ne, quod amat fieri, sibi potiùs consulere, quàm justitiæ videretur. Bella gerebat non tam ut suum, quàm ut Christi regnum amplificaret. Itaque cùm Finlandiæ fidem victor intulisset, cæsis hostibus lacrimis fertur parentasse, quòd victis aliter via ad salutem non potuisset sterni, quàm per sociorum stragem. Sed vide obfirmatum ad divina animum. Sacrificanti aderat die Christo triumphanti sacro. Interea cum omnibus copiis imminet Henricus Suenonis filius Daniæ Regis. Arma conclamant alii, & sive pugnæ Ducem, sive fugæ Regem exposcunt. At hic, *sinite*, inquit, *me litare. reliquum obsequii alibi* DEO *persolvemus, Pœana in cælis cantaturi.* Itaque sacris ad finem pertinax immoratur. Tum demum cruce frontem armatus, aciem subit & pugnam, Numineque ita volente, cadit etiam. Cæterùm quo loco sanguinem fudit, fons continuò exortus aquas fudit passim ægris salutares. Illud penè excidit: Cilicinum ejus thoracem asservari regii sanguinis purpurâ etiam hodie rubentem, loricam, qualem hodie in Principum armamentariis rarò videas. *Ex Vite Aquiloniâ Ioannis Vastovii.*

Paratus est Deus & cadentem suscipere & eripere fugientem; ut videri possit relictis omnibus aliis ei soli operam dare: propterea expedit omni animæ Deum

semper attendere tamquã proprium nõ modò adjutorem sed etiam inspectorem. S. Bern. ser. 5. super Qui Hab.

S. IVO CONF. 19. *Maii.*

HIc ille inter Jurisconsultos Phœnix, Ivo est, pauperum Advocatus. His ille linguam suam non vendere, sed eorum causſam beneficiis sibi emere. Hinc quotidie hospitio eos suscipere, pedibus aquam affundere, mensæ suæ convivas adhibere; de victu ac vestitu, quò illis adderet, sibi demere, & ne deessent, qui patrem vocarent, binos conjuges unà cum IV. liberis domi suæ in IX. annum alere: ut planè penum IVONIS pauperum posses sinum appellare. Ipse interim tam in se durus, quàm in alios benignus, corpus cilicio affligere, somnum humi capere, inter preces septem ipsos dies fine cibo persistere, jejunia legibus Christianis impetrata pane & aquâ transigere. Talis igitur Advocatus quid mirum si orationi suæ semper Cælites habuit faventes? Hi certè panem, qui unus suppetebat, in pauperes dispensanti, tres alios submisere: hi excrescere sæpè stipem exiguam fecerunt, ut bene multis sufficeret. Ipse CHRISTVS, mendicum præseferens, mensæ illius (Superi, qualis hospes!) assidere, & abiturus bene precari voluit. Inde ille jam medicus etiam omnes passim morbos pellere, flammas precibus extinguere, crucis signo per aquas sibi viam facere, demum fati sui non ignarus, stramentis incubare, & morienti, quem manu tenebat, CHRISTO immori, ut ante hominum semper, ita etiam tunc ante DEI tribunal victor. Tam bona, ô Jurisconsulti, pauperum est causſa! *Ex Surio.*

Non memini me legisse malâ morte mortuum, qui libenter

benter opera charitatis exercuit: Habet enim multos intercessores, & impossibile est multorum preces non exaudiri. S. Hier. Ep. ad Nepot.

S. DUNSTANUS EP. 19. *Maii.*

INter Angelos, quos Anglia genuit, etiam DVNSTANVM numera, cui serum fuit, miracula in cunis inchoare; noſci priùs, quàm naſci voluit. Mater eo gravida Purificatæ Virginis die Numini ſupplicabat: cùm repentè extinctis occultâ vi templi facibus, tota urbs cohorruit. Paulò pòſt divinior ignis, rectà ad DVNSTANI parentem delapſus, ejus cereum accendit, unde reliqui lumen mutuati matrem novi ſideris conſalutarunt. Confirmavit poſteà omen Angelus, qui delatum in templum puellum ad omnes Aras circumduxit, futurum pollicitus, uti ejus operâ Religio reflorescerer. Eas ſpes paulò pòſt morbus labefactavit. Adſtabant amici animam agenti, cùm ille repentè lectulo exiliens, ad templum intempeſtâ nocte properavit. Eam pietatem cùm Stygii canes allatrarent, puer audaciam Cerberorum virgulâ compeſcuit. Templo excluſum Angeli ad aram ſubvexerunt, ubi poſtridie ſopitum familiares reperere. Hæc præludia fuere creſcentium cum ætate virtutum, quarum reliquas uſu, caſtitatem etiam voto firmavit, quæ illum Reginæ virginum ita conciliavit, ut eidem jam Epiſcopo cum choro virginum obviàm proceſſerit. Jam ipſe Dei Filius DVNSTANI acta probavit. Nam cùm ejus de Monachis in Canonicorum locum ſufficiendis ſanctioni intercederetur, Crucifixi imago palàm hanc vocem miſit: Non fiet: Judicaſtis bene, mutaretis non bene. Ad cælum vocatus negavit, ſe, niſi populum

allo-

allocutus esset, iturum. Idcirco rapi eum necesse fuit; tertium certè cum lectulo in altum subvolavit. Tanta est boni viri in cælo expectatio. *Ex Sur.*

Et nobis pro modulo nostro pennæ sunt insitæ, virtutes scilicet spirituales, quibus si viriliter utimur, ad cælestia sublevamur; sin autem ex desidiæ torpore deponimus, necesse est, ut in surripientium vitiorum profundâ mergamur. S. Pet. Dam. lib. 2. Ep. 18.

S. PETRUS CÆLESTINUS 19. Maii.

VNicum modestiæ miraculum PETRVM CÆLESTINVM vides, qui exemplo antehac inviso, posteà nunquam repetito, summo se Pontificatu sponte abdicavit, immortali memoriâ dignus, etsi eo facinore solo inclaruisset: sedidem tenor totius vitæ fuit, cujus quia partem longè maximam in locis solis exegit, non revocabimus ad illam normam mores delicatæ juventutis, conrenti si se cum puero patiantur componi. Simulac fari potuit, illud aureum matri promissum inculcabat, *Volo esse bonus servus Dei*; quod ipsum mater jam tum spe præceperat, cùm in recèns nato multa Religiosi insignia deprehendisset. Ergo quantumvis arctis domi rebus, in ludum eum literarium misit, patre nuper mortuo consilium de cælo probante, ut totius terrarum orbis bono susceptum. Incidere tamen remoræ permultæ, quibus omnibus perruptis, mater in filioli oraculo acquievit, tum quidem constantissimè, cùm pædagogum discenti se Christus offerret, visus nonnunquam de cruce ad eum descendere; ut mirandum non sit, Angelos eam operam non dedignatos; & hi quidem etiam morum ab eo rationem exigebant, nunquam impunè delinquere eum passi. Jam vir-

go

go Deipara curam valetudinis ejus egit, & altero oculo lippientem recreavit. In hoc contubernio educatus, homines penitus deseruit, uno ejusdem proposîti socio comitatus, cui tamen constantia defuit; Petri studiis Angeli applausêrunt, quos hodie rariùs audimus, quia aures nostræ Sirenum sibilis occupatæ Angelis non patent. *Ex Surio.*

Christum tanquam signaculum in corde nostro debemus imprimere, ut nulla hoc valeat hostilis irruptio violare: Christum etiam operibus nostris debemus insculpere, ut per omne, quod agimus, Crucifixi nos Præceptoris discipulos demonstremus. S. Pet. Dam. serm. 67.

S. BERNARDINUS SENENSIS.

20.*Maii.*

BERNARDINO puero aras extruere, quæ ad populum dici pro concione audierat, ad pueros dicere, ludus erant. Qualem nunc serium putas fuisse? Verecundiâ tantâ fuit, ut cùm inimicæ castis auribus voces baccharentur, ad quamcunque coronàm accederet, illud statim audiretur: *missa isthæc nunc facite; siquidem* BERNARDINVS *adest.* Tantum apud viros potest puer verecundus! Certè puer ejusmodi verba prætextata in viro alapâ castigavit, docuitque frontem effrontem vel invitam erubescere: in alium ejusdem culpæ reum totum puerorum globum coëgit, qui lapidibus scelus urbe proscriberent. Feminas verò ex animo omnes, præter MARIAM, deleverat. Hanc unam ille unicè amare, ad hujus effigiem pro portâ urbis vigilantem quotidie in genua accidere; irridente necquicquam proterviore pueritiâ, cùm VIRGO arrideret. Jam ubi inter discipulos magni Francisci annumeratus est, ea fuit dicentis pro virtuti-

tutibus contra vitia libertas, is ardor, ut ad eum aleas flammis ustulandas omnis urbs comporta-ret: adeò ut illi, qui his conficiendis vitam sustentarat, ultima paupertas immineret, nisi eidem autor BERNARDINVS fuisset nomen JESV deinceps tabellis insculpendi, quo factum brevi est, ut ditesceret etiam. Ipse Divus cùm de nomine JESV sæpè sæpiùs diceret, supra caput suum id ipsum quandoque conspicuum habuit sole splendidius. Superi! quis unquam clarior extitit concionator? Ex *Surio.*

Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra hæc gemma morum in vita & vultu illius? quàm vera & minimè dubia bonæ nuncia spei, bonæ indolis index? Quid ita turpiloquii & omnis turpitudinis fugitans? soror continentiæ est. S.Bern.serm.86.in Cant.

S. AUSTREGISILUS C. 20.Maii.

PUrpuratum è Regiâ Francicâ Magistrum dabimus stantibus in bivio, & de divinitatis erga se consilio incertis. AVSTREGISILVS is est, qui a parentibus ad curam posteritatis impulsus, post longam frustrationem, trium Dynastarum nomina totidem membranis inscripta aræ imposuit, ad quam trinoctio pervigilaturum se spopondit, eum deinde socerum optaturus, cujus sibi nomen sortitò obtigisset. Verùm alterâ ei nocte somnus obrepsit, sed qualis esse solet divina patientium: videre enim sibi visus est Cælites duos de suo cum Justi judicis filiâ conjugio colloquentes. Eum judicem dum vigil posteà inquirit, vocari ad sacerdotium se, curamque Ecclesiæ intelligit, quæ scilicet ipsissima Justi judicis filia est. Neque displicebat conditio à re uxoriâ abhorrenti: injecta ta-

men

men, mali dæmonis invidiâ, aliquantilla properanti mora est. Betellinus quidam repetundarum postulatus, AVSTREGISILI nomen apud Guntramum Regem detulit, calumnia tam speciosa, ut duello purganda fuerit. Ad id diversis se luctatores studiis præparabant. AVSTREGISILVS placare precibus Numen, argentum omne in pauperes effundere, suis se virtutibus magis, quàm armis involvere. Calumniator generosissimo confisus equo, dum divinâ vi obtorpescentem fodit calcaribus, ab eodem efferato effusus animam exhalavit. Nemo dubitavit AVSTREGISILO eum pœnas dedisse; qui eâ curâ liber, sponsæ suæ (Bituricensis Ecclesia fuit) ex voto Episcopus obtigit. Pro dote cælum accepit an. DC. XI. nobis quoque apertum, si exemplo ejus non tam diu, quàm cum Deo deliberaverimus, quod statuendum est semel. *Ex Surio.*

Si voci Dei tui præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito & vacante interno sensu dicas cum Samuele, Loquere Domine, quia audit servus tuus. *Vox hæc non sonat in foro, nec auditur in publico; secretum consilium secretum quærit auditum.* S. Bern. Ep. 107.

S. HOSPITIUS C. 21. *Maii.*

HOSPITIVM qui vidisset, omnibus cooperti sceleribus crederet; qui nôsset, simulachrum esse virtutis pronuntiaret. Tanti est, bonum virum ex cultu corporis, an animi æstimes. Apud Nicensem Gallorum urbem altâ abditus turri, onustus ferro omniqúe reorum squalore deformis, raro cum hominibus commercio, cum superis æterno agebat, quibus monentibus, iratum Gallis Numen,

men, & Langobardorum irruptione scelera vindicanda esse intellexit. Aliis autor fugæ factus, ipse ergastulo non excessit, & barbaris per urbem grassantibus in conspectum se dedit : Ii pro malefico habitum ad cædem deposcunt ; jamque ferrum supra caput erat, cùm repentè percussoris brachium obriguit, quod HOSPITIVS, signo crucis contrà edito correxit. Secuta inde viri æstimatio, hausta ab eo præcepta salutis, quæ qui in aures duntaxat admisere, diro omnes lethi genere periere. Ultimo ante mortem triduo demi sibi vincula passus est : quem cùm toto corpore à vermibus depastum non nemo miseraretur, negavit illos sibi convivas graves fuisse : eorum morsiunculis excitatum se ad amandum Deum, non debuisse suis monitoribus cibum invidere. Simul tamen atque beatum cælo spiritum reddidit, totum examen disparuit, mirâ erga mortuum reverentiâ, ut appareret, in vivum ex ejusdem imperio peccasse. Sed condonemus hoc morti jus, & tantâ nutritum curâ corpus cedat in vermium potestatem. Illum vermem time, qui in animo nidulatur, & inter æternas flammas, omni Salamandrâ vivacior, nunquam moritur. *Ex Greg. Turon.*

Perpende, quia caro, quæ nunc accuratis dapibus nutritur, paulò pòst vermibus scatere compellitur, ipsaque tunc fit esca rodentium, quæ nunc saginatur jucunditate ciborum, ac tantò graviorem exhalat putrefacta fœtorem, quantò suaviorem sibi procuravit educata molliciem. S. Pet. Dam. l. 7. ep. 19.

S. BASILISCUS M. 22. Maii.

LAtuit subinde etiam sub militari sago magna virtus, & castra theatrum præbuere Christia-

næ

næ sanctitati. Nunc BASILISCVM inde producimus plurium palmarum militem, quem afflictum mœrore ferunt, quòd acceptis pro Maximiano impio Cæsare vulneribus, guttam sanguinis pro Christo nullam fudisset; cùm tamen Theodorum martyrem proximâ necessitudine contingeret, cujus pro fide prælia convitium suæ ignaviæ facerent, utique, si virtuti suæ Christus confideret, ejus experimentum pridem capturum fuisse. Rarò ita cum Superis expostulatum est; neque sustinuit cæli Imperator tam pia militis sui desideria perire; ultro eum allocutione dignatus, memorem esse voti sui jussit, & dignos tantâ sponsione animos afferre in imminentem pugnam; cujus ei copiam Agrippa impius Prætor fecit, qui ferro soleatum, clavis plantam penetrantibus, cursu nihilominus æquare citatam quadrigam coëgit. Subindeà Trajanâ hospitio acceptus aridæ arbori, sub quâ recubuerat, vitam reddidit frondesque; credo ne capiti coronæ deessent: fons etiam ad pedes martyris scaturiit, hanc vicem reddente terrâ, cùm sanguinem ejus bibisset: eo prodigio non sitis tantùm comitum ejus, sed perfidia etiam extincta est. Paulò pòst etiam alteri elemento imperavit, devocatoque de cælo igne, Deorum delubrum exussit: ipse capite imminutus, & in proximum flumen sparsus, maximo & ultimo miraculo nihilominus ad beatitatis littus enatavit. *Ex Menæis.*

Quid faciemus sub æterni judicis majestate? quæ nobis subventura est pœnitentia, quam in hac carne contẽpsimus? quæ nos defensura sunt opera bona, quæ in vitâ non egimus? ad quos sanctos confugiemus, quorum exempla simul & verba despeximus? S.P.Dam.lib.1.Ep.6.

S.BO-

S. BOBO CONF. 23.*Maii.*

QUo tempore Mauri Hiſpaniâ potiti, Galliam etiam Narbonenſem mali vicini terrebant, fuit BOBO noſter patriæ ſuæ propugnaculi inſtar, homo nobilis cæterà & militaris, ſed qui ſub ſago tegere ſciret virtutem, raram inter milites armaturam. Fortè hoſtis Fraxinetum inſulam inſederat, & crebris inde excurſionibus multùm rem Chriſtianam vexabat. Hìc BOBO ducibus Apoſtolorum Petro ac Paulo ſpolia opima vovet, arma non hoſtis, ſed ſua: poſiturum ſe iſtà, nec Ducem jam militum, ſed pupillorum patronum fore. Ad hæc gratum ſe quotannis Romam iturum, & liminibus victricibus oſculum laturum. Annuêre Divi, & per quietem viſi animos addiderunt BONI; ille mox militibus, quibuſcum per medios hoſtium cuneos arcem ingreſſus, non modò obſidione hanc liberavit, ſed barbarum regem inſulâ exuit, itaque terrorem à Galliâ longè amovit. Et hic triumphus BOBONIS de hoſtibus fuit; alter de ipſo BOBONE. Fratricidæ obvius, nutante aliquandiu in vindictam animi acie, ſui tandem egregius victor, ſpolium ex inimici vultu oſculum ſuſpendit. Porrò arma exuit, & orphanorum jam Dux annis ſingulis pedes triumphum ſuum Romam duxit, dum ex itinere denique mortuus in cæleſte Capitolium eſt invectus. Mortui tumulum quotquot animalia calcarunt, in veſtigio mortua monuerunt incolas, ut eum cancellis à profanâ terrâ ſecernerent, & templo honorarent. Oſſa denique Ticinum tranſlata memorant, pompæque, quò auguſtior hæc foret,

lumi-

lumina è cælo, & ſtellam adfuiſſe. *Ex Ferrar.*

Confirma amicitiam cum SS. Angelis; intra in civitatem Dei: Apoſtolis Martyribuſq; ſociare; unde illi gaudent, inde gaudeto. Horum divitias concupiſcito, & per bonam æmulationem illorum ſuffragia ambito: cum quibus enim fuerit conſortium devotionis, erit & communio dignitatis. S. Leo ſerm. 5. de Epiph.

S. SIMEON STYLITES JUNIOR. 24. *Maii.*

HOminem cæleſtem, an terreſtrem Angelum SIMEONEM malis dicere, tantò magis dubitabis, quantò rectiùs noveris. Voti parentum conceſſus futuræ ſanctitatis vatem Chriſti anteambulonem Joannem habuit, cui ne quid in victus parſimoniâ concederet, jejunia in cunis inchoavit, lævo matris ubere, velut omnis causâ, ſemper abſtinens. Sexto ætatis anno ab hominum conſortio in loca ſola ſeceſſit, nunquam tamen ſolus, cælitibus eaſdem cum eo caſas habitantibus. Ex quo tempore incommoda naturæ, vel non ſenſit, vel inuſitatis fomentis ſuſtentavit, nectare, vel quocunque nomine appellari lubet delicias divinitatis, paſtus. Exacto in hunc modum ſexennio in cœnobium immigravit, magnâ Religioſæ vitæ commendatione, quam Angelorum contubernio eo facto videbatur antetuliſſe. Sed nimirum illic quoque Angelos reperit, hauſtamque eorum uſu innocentiam magnis prodigiis affirmavit; ut, cùm leopardum pro fele domeſtico circumduxit, aut cùm ad ejus imperium leo puerum à comitibus deſertum, tergo ad ſocios ſubvexit, quæ magiſtro SIMEONIS anſam præbuere, eum ad perpetuam in columnis ſtationem invitandi. Paruit SIMEON, atque corpore juxta animoque ſupra terram emi-

nens,

nens, ex communi illius ævi sensu columna fuit sustentans orbem terrarum. Nos cùm hæreamus in luto, digito tamen paramus cælum contingere. *Ex Menæis & Evagrio.*

Qui non potest sanguinem fundere, potest semetipsum pœnitentiæ velo percutere, & in cordis contritione mactare. Præparetur, ad feriendum, jugulum, non deerit remunerator, etsi defuerit gladius. Deest carnifex, qui cervicem exteriùs feriat, adest judex, qui bonæ voluntatis præmium reddat. S. Pet. Dam. serm. 65.

S. ZENOBIUS EP. 25. Maii.

ZENOBII pueritiam, vivam honestatis imaginem dicas, in quâ neque Dei oculus quidquam reprehenderet: nullus ei unquam cachinnus, nullum verbum insolens excidit; neque eam venustatem insequens ætas violavit, quin corroboravit veriùs, ut priscæ etiam sanctitatis Antistites Damasus, Ambrosius, Paulinusque ZENOBIVM suspicerent. Mirandorum ejus operum hoc juventus specimen habeat. Florentiæ, quæ ZENOBII patria, & Pontificalis sedes fuit, fratres gemini è flore nobilitatis parentum indulgentiâ corrupti in proterviam, occalluerant ad sera matris imperia, non atrocia tantùm dicta, sed calces etiam ingerere bene monenti ausi; quâ impietate exasperata ultra maternum morem mulier, dirâ imprecatione furias in filiorum caput incitavit. Valuere vota: degeneres illi extemplò infernis obsideri larvis, & impias manus à matre in sese vertere, laniare ora mordicus, & canino invicem duello grassari. Foeditas spectaculi parentis iram misericordiâ mutavit, lamentantis tantùm precibus fuisse pondus; nulla erat nisi in ZENOBII pietate spes, qui horas

duas

duas affusus Cruci, furentes absolvit. Idem beneficium an. CD. XXIV. cælo receptus in ægrum repetivit, sed eo longè digniorem. Mater nocturnis ejus obsaturata querelis, potum identidem flagitanti, dæmonem simili voto propinavit, sed ZENOBIVS pepulit; utinam & fœdum morem vocantium tam immanes hospites, quasi non invocati in nos irruerent. *Ex Surio.*

Solerter animus ante actionis suæ primordia cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid acciderit, superet, & quidquid non accesserit, lucrum putet. S. Greg. 5. Mor. c. 33.

S. MUTIUS C. 25. Maii.

AGite mortales, & vel latronem ducem ad cælum sequimini. MVTIVS hic est, qui in apparatu compilandi sacri Parthenonis somno oppressus, rapi ad divinum tribunal sibi visus, supplicia suis facinoribus parata intellexit, nisi celeri pœnitentiâ ipse sibi jus dixisset. MVTIVS rectà ad sacratos profectus viros, animæ vulnerum medicinam eos poposcit. Tres primum ex odis Davidicis strophæ ei præscriptæ; quàm ad amussim cùm vitam exigeret, Superi posteà ejus erudiendi provinciam sibi depoposcerunt. In eorum contubernio expolitus, scholam denique aperuit ex latrone magister factus virtutis. Eum sol reveritus est, inaudito post Josue factum exemplo, ita cursum moderans, ut non antè occumberet, quàm ille tugurio discipuli successisset; quem præter spem defunctum cùm inveniset, rogavit familiariter, an redire in vitam vellet. Abnuentem valere jussit, & tumulo composuit; quod ille officium tam studiosè

suis impendit, ut nonnemo è sepulchro parce... eum sumptui operæque jusserit. Alteri ad morte... imparato vitæ triennium impetravit. Ne curâ cor... poris à Deo avocaretur, mensam illi Dominici... diebus Angelus instruxit, cæteros impransus, &... incœnatus egit. Hunc tamen tam vicinum cæl... avocare, ad nescio quos Pharaonis thesauros da... mon institit. Sed ille Nilum calcare solitus, &... clausis foribus, quoquo libuisset, penetrare, vi... denique etiam ad Cælites reperit, violentus s... licet homo, atque uti olim ædibus ita c... quoque vim facturus; nisi sponte patuisset. ... vit. PP.

Nemo diffidat, nemo veterum conscius peccato... præmia divina desperet: novit Dominus mutare s... tentiam, si tu noveris mutare delictum. S.Aug.ps...

S. CARPUS EP. 26.Maii.

NOn est cordi Deo rigida pietas, & justi... misericordiæ oleo non temperata. Id Car... PVS te docebit, qui à Paulo Apostolo Christia... Philosophiâ imbutus, hujus tam præclari & nec... sarii axiomatis aliquando visus est obliviscI. Co... pererat Christianæ militiæ tironem, ad defere... crucis signa, à dæmonis cultore esse induct... quâ injuriâ ad Deum Opt. Max. pertinente, ... est exacerbatus, ut impia ex æquo capita O... devoverit, quòd mediocri supplicio nullo vin... cari posse scelus manifestarium, & ultimæ pe... diæ persuasum haberet: & verò gestiebat anim... cùm dehiscente sub utriusque pedibus terrâ, ... ferni ignis fumum ferri in ora, ipsosque stantes... præcipitio similes ruituris aspiceret, impulsu... etiam, si copia fuisset. Subinde etiam aperiri ...

sum, & Servator generis humani offerre se conspicuum, hortariqúe CARPVM, si ita ei videretur, ageret miseros illos præcipites, pro quibus ipse sanguinem suum fudisset. Sibi quidem tanto pretio assertos in libertatem, certum esse non deserere, & porrigere manum velle perituris: quin adeò, si necesse foret, non detrectaturum redire ad initium miseriarum, quibus in Cruce moriens finem imposuisset. Plura dici necesse non fuit. Tam mellea verba CARPO bilem absterserunt: & nimirum hodie quoque animorum æstus & inconsulta odia deferverescerent, si in sanguine Christi intingerentur. *Ex Dion. Areop. In Patric.*

Par est, ut quisque nostrûm non minùs gratias agat Christo, quàm si ob ipsum solum advenisset; neque enim recusaturus erat, vel ob unum solum tantam exhibere misericordiam; adeò singulos homines pari charitatis mensurâ diligit, quâ diligit orbem universum. S. Chrys. in c. 2. ad Galat.

S. RESTITUTA V. M. 27. *Maii.*

ROmæ nata RESTITVTA, denata Soræ nobiles natales nobilissimâ morte illustravit. Nubilis domi tamen clausa egit, & formam, quâ passim juventus nobilis deperibat, velut ignem custodiit, non jam Vestæ, sed Christi virgo. Hujus illa unius thalamum suspirabat, & aliter etiam nuptæ nomen refugiebat. Intereà invidit DEO sponsam suam, ut solet, orcus, adfuitque minas spirans & ignes. At RESTITVTA nuper jam boni Angeli aspectu exhilarata, risit rivalem deformem, & tam formidandum monstrum in fugam puella egit. Secundùm hæc, Christo auctore, ædibus paternis excessit virgo Soram abitura, nec tamen sine co-

mite. Nam ad Lateranum Angelum invenit, qu toto itinere latus euntis stipavit, dolentis crê cùm urbem aspiceret, quòd iter longius non fu set. Jam sub ingressum, cùm miraculo prodita e set (morbum nescio à quo removerat) nobilem hospitem, nobile hospitium carcer martyrum ex cepit, ita Agathio Procos. jubente. Exin scorpio nibus cæsa cecinit. VII. dies noctesque sine vict clausa cum Angelis vixit, oblita jam cibi, aspect satiata. Denique capite unà cum Cyrillo Episco po aliisque truncata, cælum subiit, cùm carcer custodes, & adeò carnifices miraculis captos e dem viâ nuper jam præmisisset. *Ex Ferrar.*

Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis bon vivit apud eum memoria beneficii semel accepti. Be tus, apud quem Deus vel semel requiem invenerit; cujus tabernaculo vel horâ unâ requieverit. Guerric serm. 3. de Ass. B.M.V.

S. GERMANUS PARIS. EP.
28. *Maii.*

GERMANO mors nondum nato, ab ipsâ, quo abomineris, matre; nato ab aviâ propina est. nihilominus inter domestica latrocinia ado levit, veneno priore maternis visceribus, sine no xâ fœtûs, diffuso, altero ad aviæ filium delato æquissimo sine dubio errore, ut, cui Germani hæreditas quærebatur, idem paratam innocenti pe stem biberet. GERMANVM contrà Parisiensis mi tra expectabat, & in omnes morbos jus, bene volentiâ Numinis maleficia mortalium in ejus glo riam vertente. Saliva ejus, vestium lacinia, stra men, quod in cubitu pressisset, vim medicam ha buere. Hæc alexipharmaca etiam Reges ambie bant.

bant. Clotharius, quòd virum sanctum parum civili pro foribus morâ fatigasset, injuriam febri luit, quâ modestior factus, postridie S. viri palliolum osculis trivit, eoque intestinum ignem extinxit. Unicam literulam chirographi ejus delinxisse, monacho biennium ægro saluti fuit. Fugientem animam illustris femina filo de viri veste rapto retraxit. Alteri jam exanimi cum frigidâ vitam infudit. Unicâ voce flammas sopivit, Crucis signo compedes solvit, pupulatores agrorum ursos extinxit, totas dæmonum catervas fugavit. Et tamen hic morborum, & ipsius adeò mortis triumphator, obitûs sui diem non animo modò, sed oculis etiam ingerere non destitit; hoc ad lecti spondam epigrammate affixo, V KAL. JVNIAS: id quò spectaret non antè intellectum est, quàm eodem die octogenario proximus decederet. Tu, si sapis, ne incerta hora te mortis fallat,

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Ex Surio.

Homo lenocinantem mundi gloriam sub judicii sui calcibus deprimat, virorem carnis aridum jam pulverem credat, diem suæ vocationis tanquam speculum suis obtutibus semper anteponat, districtum ultimæ discussionis judicium contremiscat. S. Pet. Dam. l. 1. ep. 17.

S. CONON MART. 29. *Maii.*

NObilitatem CONONIS inde æstimo, quòd totis elementis imperavit. Nam & ruentis fluvii impetum tam diu suspendit, dum homines otiosi transirent; & aliàs latè campos inundantem ad modestiam revocavit vetereſque riparum le-

ges. Sed adeste & parentes, & filii, & officium vestrum discite. Ecce XII. annorum filium pater secum ad tyrannum ducit, idque orat, quod pauci orant parentes: *Liceret secum mori filium videre, vel ante se etiam; suave sibi fore etiam contra aliorum parentum vota, filio oculos claudere. Sciret judex tortorem* CONONEM *non moriturum, si in filio, hoc est, in dimidio sui, viveret. Itaque simul filium neci daret, si tum occisum patrem vellet.* Nec verò non lubens comes iverat ad mortem patri filius, utique sic scipsi festæ, & morientis ætatis. Sed & facili aure preces tyrannus audivit. Quare utrumque in craticulam abjicit, igne subjecto formidandam; in plumis diceres molliter decumbere. Oleo bulliente flammis perfundit; inungi ad luctam crederes. In succensam fornacem immittit; ut inter horrores cum patre filius deambulat. Suspendit patrem, appendit dulcem appendicem filium; flammas iterum subdit, manus invictas malleis frangit. Interea canere illis arrisit; vis nosse quàm suaviter non dubitavit vocem illis suam Angelus jungere, quam ut primùm illi audierunt, non placuit jam morari in vitâ, illuc abierunt ubi canere Angelos nunquam non audirent. *Ex Baron. & Pet. de Natal.*

Frustra appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi, qui ideo se viam dixit esse, ut conversatio Magistri forma esset Discipuli, & illam humilitatem eligeret servus, quam sectatus est Dominus. S. Leo serm. 5. de Nat. D.

B. ANDREAS DE CHIO M. 29. Maii.

ANDREAM habes MARIÆ, ut paucis dicam, corculum. Juvenis annos natus XXVII. cum

febri æstuaret, vovit, si VIRGO salutem donaret, sese ei invicem castitatis florem donaturum. Voti damnatus integritatis propositum palàm candidâ veste professus est, ut orbis sciret VIRGINIS eum candidatum esse, & vestium nives virginis animi essent indices. Et quid ni sic candidatus martyrum etiam honores prensaret? Enimverò Constantinopolim abiit eo ipso tempore, quo fidem Christi prodidit, nescio quis philosophus. Quisquis fuerit, hoc etiam nomine indignus fuit. Certè potuit barbatus histrio à juvene ANDREA discere, primum in Christianâ philosophiâ dogma esse, mortem pro Christo contemnere. Captus enim blanditias & aurea promissa risit. Sævientium verò impetus velut cautes in mari fluctus excepit. IX. omnino dies carnificina duravit. Inter quos potuere Mahumetani flagellis, & uncis lacerare corpus, sed non animum: locis suis artus ejicere distrahereque, sed non in suam sententiam trahere: gladiis humeros secare, membra singula per singulas carnificinas carne spoliare, sed non fide perinde ac constantiâ ANDREAM, qui inter tot dolores oblitus tamen dolorum, unius MARIÆ recordabatur, illud unum semper inclamans: MARIA *juva me*, MARIA *juva me*. Et verò juvit illa, integrum quotidie corpus ad pugnam suggerens, necquidquam barbaris hoc medicinæ suæ ascribentibus. Demum omnibus cruciatibus superior, capite minutus est. Corpus templum MARIÆ, animum quid nî sinus MARIÆ excepit? *Ex Surii tom. 7.*

In hac lacrimarum exulantes valle clamemus ad Virginem, quatenus agnoscat Mater filios, libera captivos, deliciis cælestibus impinguata famelicos, conver-

tat misericordes obtutus suos ad miseros, & offensi Filii justitiam flectat ad gratiam. S. Laur. Just. serm. de Ass. B.M.V.

S. ISACIUS C. 30.*Maii.*

MOvebat in hostem Imperator Valens ipse DEI longè maximus hostis, ut qui pro Arianis pugnabat, templisque Catholicos arcebat. Occurrit eunti ISACIVS noster plenus fatidico spiritu, & libertate Christianâ armatus, monuit, *si pacem in Imperio exoptaret, ne bellum cælo faceret: si belli portas claudere percuperet, Catholicorum templa priùs aperiret; aliter crederet cum Superis sibi bellum fore, nec nisi sanguine suo, & interitu litaturum Marti.* Hæc inquam, & similia non semel ISACIVS occinebat Valenti. At hic molestum monitorem in obvia dumeta jussit abjici. Scilicet si spinæ illæ nunquam aliàs, tunc certè rosas tulerunt, sanguinemque biberunt, quo rectè erubescerent. Et verò ad formosa spectacula tres Cœlites advolarunt, gestieruntque à spinis ISACIVM (hoc est rosam) tollere, qui eadem mox oracula tyranni auribus ingessit. Tum verò eum asservari inter vincula jussit Valens, dum redux è bello victorque otiosè rideret vatem suum. At hic abeunti illa alterius vatis verba dixit, *si reversus fueris in pace, non locutus est in me Dominus.* Enimverò Valens acie victus est, & qui fumos vendenti Ario crediderat, fumo igneque in fugâ periit: at ISACIVS vatis honores tulit. Illi urbis portæ ad preces, quoties libuit, patuerunt. illum mortuum omnis Constantinopolis tam luxit, ut unicum hominem omnium humeris crederes efferri. *Ex Metaphr. & Menol.*

Cooperatores sumus gratiæ Dei: non enim dormientibus

bus provenit regnum cælorum, nec otio desidiaq; torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur ; sed, quia si compatimur, conglorificabimur, illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est. S. Leo. serm. 5. de Epiph.

B. JACOBUS VENETUS. 31. *Maii.*

QUid matrem crepas pueritia , quid patrem, scopulos sæpè filiorum ? Si cælo digna es nunquam orba eris, cælum te adoptabit. Ecce JACOBVS cum patre matrem puer amisit. At avia ejus , lectissima matrona , matrem illi dulciorem MARIAM ostendit , cujus si horarias preces tantisper recitaret (& tempus definiebat) præmia cupido pollicita est : quæ etsi illa non persolvit , perrexit tamen JACOBVS officium suum facere , & horas Marianas quotidie decurrere. Ita filius MARIÆ in D. Dominici familiâ patrem etiam JESVM invenit, cujus uti nuper MARIÆ , nomen ita animo infixum gestabat , uti tunc oblivisci horum posse videretur, si patris & matris posset. Ex Divis præterea præcipuâ veneratione colebat Ascidum, & Victorium MM. quorum officium dum ad XVII. Novemb. in horto recitat , vernum præmium rosam recentem abstulit , anniversarium posteà, quemadmodum ajunt, miraculum. Romæ quoque D. Sebastiani porta clausa aliis, pietati JACOBI ultrò patuit. Linguæ petulantiam si quisquam alius, ille odit. Itaque illud Augustini ex eo crebrò audivisses, *Felix lingua, quæ non novit, nisi de divinis, texere sermonem.* Obiit anno M.CCC.XIV. cùm carcinomate IV. annos laborans egregia patientiæ documenta edidisset , certus antè de fato, & horâ fati. Reliquit post se , præter binos mor-

tuos in vitam reductos, alia CCC. XXXVIII. miracula, familiarem Divis hereditatem. *Ex Bzovio, 14. tom. Annal. Eccl.*

Securum jam habet homo accessum ad Deum, ubi mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus & vulnera; Maria Christo pectus & ubera: nec potest esse repulsa, ubi concurrunt & orante omni linguâ diserti hæc clementiæ monumenta, & charitatis insignia. B. Arn. Car. L. de B. M. V.

JUNIUS.

S. SIMEON CONF. 1.Junii.

SIMEON Siculus adoratis, quas Dei Filius sacravit, regionibus, ad amorem paupertatis, quam omnia ejus vestigia spirant, exarsit. Jura sanctitatis eum Anachoretes docuit, vel semel exerrantem in feminas oculum gravi oratione ad officium revocaturus. Ab eo denique manumissus loca plura magnis virtutibus nobilitavit. Subinde in piratas incidit, nihilo mitiora comitibus occisis passurus, ni salientem de puppe petitumque telis divinior vis texisset. Tandem delatus Treviros, speculam sibi in turris fastigio elegit, quam expugnare orcus aggressus, suas in Christianum Herculem hydras, & omne monstrorũ genus nequidquam armavit. Stultius strategema fuit, cùm perditi tenebriones, nescio quos, fatuos ignes radiosque tugurio ejus infunderent; sed ille fanaticam lucem oculis non admisit, solem suum mortuo sibi oriturum dictitans: dæmones elusis artibus suis, auxilium ab hominúm malevolentiâ petunt, qui noxiam aquarum inundationem sceleribus ejus imputare ausi, convitiis saxisque in caput innocentis sunt grassati. Stationem tamen non antè deseruit, quam illum cæli Imperator evocaret an. M.XXXV. Corpus ejus exanime prodigioso sudore immaduit. Quis arduam neget ad cælum viam, in quâ etiam hi cursores, & quidem post mortem, sudant? *Ex Surio.*

Beatus, qui omni spe rerum hujus mundi seipsum orbavit, ac in solo Deo omnem spem fixit atque loca-

vit ſuam: ſicut enim execrandus eſt ille homo, qui ſpem ſuam poſitam habet in homine, ita omni laude dignus, qui ex Deo totus pendet. S. Baſ. Orat. 7.

SS. MARCELLINUS & PETRUS MM. 2. *Iunii.*

NIhil agis impietas; Chriſti ſervus etiam inter vincula liber eſt; inſultabat Arthemius PETRO compedibus onerato, experiretur Dei ſui vires, & rumperet catenarum nexum, ſi tantum in JESV nomine confideret. PETRVS non id modò præſtitit, ſed Paulinam inſuper ejus filiam diaboli mancipium, expulſo improbiſſimo tyranno, in libertatem aſſeruit, unaque Arthemio perſuaſit, Deo anteà ſubſannato, cum omnibus carceris incolis, ſacramentum dicere. MARCELLINVS, qui eos Chriſtiano ritu abluerat, nudus vitri fragmentis impoſitus, non antè quàm ab Angelo juſſus, ex illo ſe lecto proripuit, & cæleſti veſte excultus cum PETRO, quem idem Angelus cippo exemerat, Chriſtianorum ſe cœtui reddidit; quibus animandis cùm ſeptem ipſos dies impendiſſet, pleno tandem agmine Arthemium cum uxore & filiâ ad ſupplicium euntes comitatus eſt. Ipſi denique in ſilvâ, cui Nigræ cognomentum fuit, inter ſenticeta, capite plexi ſunt. Nihilominùs vel invito tyranno, abſcondi inter ſpinas lilia nõ potuere, & ſanctitatis odor rubentes ſuo ſanguine roſas prodidit. Lucilla & Firmina caſtis illas manibus legerunt, & in communi SS. Martyrũ viridario collocarũt. Silvę quoq; nomen immutatum eſt; pro Nigrâ, Candida poſthac audiit. Eſto & tu lilium inter orbis ſpinas, & cæli candidatum te appellabo. *Ex Surio.*

Parati ſimus ſemper irruentes vitiorum cuneos

ac frementes bestias de agro cordis nostri ejicere, nullumq; eis in ea, quæ juris nostri sunt, permittamus locum perversæ dominationis habere: non videant nos inimici nostri cedere, ne de nostris valeant recessibus exultare. S. Pet. Damian. serm. 75.

S. NICOLAUS STAUROPHORUS.

2. Iunii.

ALtiùs in animum NICOLAVS verba CHRISTI demisit, quàm nos passim solemus. Vix enim illa audierat, quibus ad fortiter ferendam Crucem mortales extimulat, cùm illico melioris fortunæ, si quisquam alius, sibi ipse faber crucem ingentem paravit, & cum hac in animum CHRISTI M. LXXXVIII. in Italiam venit. Ibi excalceatus, & pannis obsitus pueros cogere; dux his ad templum esse; solemnia, quibus misericordiam Numinis provocamus, verba præire; ante solis occasum nihil in victum admittere; sed & tunc non nisi pane cibario famem, & undâ sitim domare; à precibus intereà nunquam desistere; Crucem, quam nos ultro abjicimus, nunquam deponere. Visum est hoc genus vitæ loci Antistiti primò insolens: sed re meliùs inspectâ, laudavit viri studium, & ad mensam insuper suam perquam liberaliter invitavit. At NICOLAVS febri correptus, ad signa sua prætextatum agmen convocavit, morienſque, inter fausta apprecationes, Crucem illi suam testamento legavit, magnam tam parvulis, & opulentam oppidò, si æstimare norunt, hæreditatem. *Ex Pet. de Natalib.*

Auctor pietatis in Cruce pendens testamentum condidit: Apostolis persecutionem, Iudæis corpus, Patri Spiritum, Virgini Paranymphum, Latroni Paradisum, peccatori

peccatori infernum, Christianis Crucem commendavit. S. Ambros. serm. de Pass.

SS. PERGENTINUS ET LAURENTINUS MM. 3. *Iunii.*

NOn minùs sanctum quàm nobile par fratrum PERGENTINVM & LAVRENTINVM aspicis, quorum nomen Aretini cives ad Tiburtium pietatis hostem delaturi hæc accusationis capita habuere; ludum literarium eos quotidie frequentare: rimari arcana Philosophiæ Christianæ; & jam privatim exercere magisterium ejusdem sectæ; id si publicè audeant, neminem fore, quem non eloquentiâ sint corrupturi. Tiburtius propriâ confessione convictos, inviolatos tamen abire passus est, tantò nequior, quantò blandior. Nihil deinde de more suo remittentes cædi fustibus jussit, plagisque obsaturatos inediâ plecti. Tridui jejunio maceratis Angelus mensam struxit de cælesti penu cellaque; cujus delicias qui gustet, sentiat profectò, obsonare famem tanti fuisse. Allapsa simul cælo lux, & sponte laxatis carceris foribus, Christianis cum Pergentinâ sorore ad captivos via patuit: sed ii cæli nectare ebrii fugam suadere aggressi frustra fuerunt. Carnificum contrà ad mortem eos evocantium suavissimæ voces visæ, quam priusquam oppeterent, saxeam Jovis statuam ardore precum suarum in modum ceræ coëgerunt liquescere. Illustre miraculum inquies; imitabile tamen: potes tu quoque Bacchum, Venerem, aliaque improbæ mentis idola precibus extinguere. *Ex Surio.*

Quæcunque vitia habemus & quotcunque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum; ira mihi Deus

est.

est. Vidi mulierem & concupivi ; libido mihi Deus est. Vnusquisque enim quod cupit & veneratur , hoc illi Deus est. S.Hieron.in ps.180.

S. GUALTERIUS C. 4.*Iunii.*

DUbitabit aliquis GVALTERIVM mundi sidus dicere ? cùm humerum stellâ insignitus in lucem prodierit, divino munere parentibus concessus,Numini Basilicam invicem spondentibus. Gratiarum domicilium diceres,tanta erat oris venustas , tanta morum elegantia. Magnis pro eo studiis certatum est, cælo terraque tantum decus ad se rapientibus. Præfecti urbis filia oculos in eum conjecerat , optabatque sponsum , spe tantò certiore, quantò inter Romanas Nymphas eminebat, & sanè, si quid mortale amandum fuerat, tulisset primas. Jam parentum vota consenserant, gratulabaturque pari , & pulcherrimo conjugio Romæ cùm GVALTERIVS generoso fastu conditionem aspernatus , negavit feminam ullam toto orbe dignam se marito : translatisque in cælum desideriis, castarum mentium sponsum virginitatis sibi voto devinxit. Id tamen consilium parentes insaniam vocarunt , & extorquere filio non verbis tantùm, sed verberibus etiam sunt conati : ut neutris flecteretur , vox allapsa cælo fugam adolescenti suasit, quam cum Armeno Sacerdote in Picenum instituit ; ubi deinceps eo virtutum splendore vixit , ut palàm fecerit æquum fuisse eum stellatum nasci. Parentes diu perquisitum denique reperere , sed jam inediâ squalidum, alioque, quàm quem Roma suspexerat, vultu. Ille tamen Deo plenus factum iis suum non approbavit tantùm , sed ut imitarentur , induxit ; quem

finem

finem utinam omnia parentum cùm filiis certamina habeant; juvaret acies committere, & cantare classicum. *Ex Phil. Ferr.*

Despiciendus à nobis hic mundus fuerat, etiamsi blandiretur, etiamsi rebus prosperis demulceret animum. At postquam tot flagellis premitur, tantâ adversitate fatigatur, tot nobis quotidie dolores ingeminat, quid nobis aliud, quàm ne diligatur, clamat? S. Greg. 3. Dial. c. ult.

S. BONIFACIUS E. M. 5. *Iunii.*

BONIFACIO, & hoc, & Apostoli nomen Germania peperit, cùm VVinfridus olim vocaretur. Monasticen puer amplexus est, multùm adversante patre, donec, immisso divinitus morbo, pertinacia ejus est domita. Sacris initiatus Frisones Christianâ disciplinâ imbuendos, Pontificum deinde jussu, Germaniam universam excolendam suscepit; adolescentulis etiam in partem pii operis adscitis. In Boicâ S. Sturmionem, Treviris Gregorium sibi junxit XIV. annorum adolescentulum, cùm Anagnosten in triclinio peritè agenti aures dedisset: capto enim egregiæ indolis experimento, unius congressûs suavitate ad sui eum imitationem attraxit, ut palàm dictitaret, suis se pedibus cum BONIFACIO orbem terrarum peragraturum, si equi copiam avari amici negassent. BONIFACII labores, & arduum LV. annorum à Sacerdotio ad martyrium usque actorum cursum quis explicet? in tantâ sæpe necessarii victûs inopiâ, ut cælo commeatum ei submitti avium ministerio fuerit necesse. Frisonibus Christo nuper additis diem dixerat, quâ sacro Chrismate frontes inungeret: ii ex discipulis latrones facti, optimè de se meritum cum LI. sociis peremerunt. Irruenti

in

in se barbaro Evangelii codicem BONIFACIVS objecit, qui etsi discissus est, negant tamen ullam literulam eâ plagâ vitiatam. Omnia ipsius facta dictaque admiranda sunt; illud sæpe sæpiùs repetitum, nostra ætas multò veriùs quàm BONIFACIANA audiat: olim Sacerdotes aureos cum ligneis calicibus fuisse; nunc aureos esse calices, sed ligneos Sacerdotes. *Ex vitâ apud Nicol. Serrar.*

Nemo in Ecclesiâ amplius nocet, quàm qui perversè agens nomen vel ordinem sanctitatis vel Sacerdotis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nemo præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentiâ ordinis peccator honoratur. S. Greg. in Pastorali.

S. NORBERTUS EP. *6.Iunii.*

NORBERTVS Dux ejus familiæ, quam Præmonstratensem indigitant, summis aulæ Imperatoriæ honoribus perfunctus, cùm mundo se abdicasset, suorum progressus atque incrementa ab ipsomet CHRISTO in cruce pendente est edoctus. Nocentissimam Tanchelini hæresin Antverpiæ tum grassantem, introductâ è suis coloniâ, jugulavit. Archiepiscopus pòst Parthenopoli, quia in corruptos civitatis mores liberè pro DEO, & dicebat, & agebat, multorum in se odia convertit, ut jam essent, qui necem ipsi, sociis verò exilium minitarentur: sed eorum insidias semper cælum eluśit; tametsi NORBERTVS, Servatorem æmulatus, obvius nonnunquam hostibus iverit. MARIÆ cultui se suosque æternùm devovit; unde è VIRGINIS manu vestem candidam (quâ mores suos tota hæc familia etiamnum monstrat) ab Augustino verò Leges aureis literis exaratas accepisse memora-

memoratur. Ita candidatus cùm cælum diu ambiviſſet, anno demum C.XXXIV. ſupra M. obtinuit, & in victoriæ ſignum olivam manu præferre viſus eſt. Nonnemo eundem ſub lilii imagine tranſportari in cælum conſpexit. An non gratulari ſibi terra tunc potuit, cùm flores habuit, quos in ſua roſaria transferre Superi amabant? Sed & nunc tales daret, ſi non ungue infeſto invidus cælo heu! mundus præriperet. *Ex Surio.*

Bona mors juſti propter requiem, melior propter novitatem, optima propter ſecuritatem. E contra mors peccatorum peſſima: mala in mundi amiſſione, pejor in carnis ſeparatione, peſſima in vermis igniſque contritione. S. Bern. in Epiſt.

S. ROBERTUS ABB. 7.*Iunii.*

ROBERTVM alterum D. Bernardi oculum imitandum proponimus, eâ frugalitate virum, ut helluari ſibi videretur, ſi ipſis Paſchalibus avenaceum panem butyro adipatum guſtaſſet. Genium ergo ſuum defraudans intactum pauperibus remiſit. Sed debebatur cælo tam delicatum Apophoretum, tantaque virtute conditum. Angelus ſub centonibus latitans eo donatus eſt, argumentis aliis pluribus, & illo maximè agnitus, quòd diſcum inviſus omnibus in menſam retulit, & paulò pòſt, quaſi vicem relaturus, læto ROBERTVM nuncio beavit, nomina diſcipulorum ejus albo cæli inſerta eſſe, duos duntaxat eâ felicitate excidiſſe: ex quibus alterum credibile eſt eum ipſum fuiſſe, quem è medio orantium cœtu dæmonis furcâ abſtractũ, auferri ab eo ſportâ aſpexit ſpolium orco. Aliàs globo juvenum immixtum Cacodæmonẽ, & ſingulorum auribus ſua venena inſuſur-

insusurrantem à magni sceleris apparatu abduxit, fatentem posteà certum sibi fuisse, nuptiales ludos jurgiis, & multâ cæde finire, nisi à ROBERTO esset interpellatus. Sub annum M. C. LIX. mortuum Godricus familiaris ejus ignei globi specie à tribus Angelis inferri cælo vidit, allatrantibus ponè stygiis larvis, plusquam caninâ impudentiâ, utique si talis prædæ spem neque illo rerum articulo deposuerunt. Nobis quid fiet, qui nunc his belluis colludimus, & neque fuscinam satis neque sportam prædatoriam timemus? *Ex Surio.*

Cogitatio omnis secularis & carnalis tempore orationis abscedat, nec quidquam animus, quàm id solùm cogitet, quod precatur. Claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo patens nec ad se hostem Dei tempore orationis patiatur accedere. S. Cyprian. de orat. Dom.

S. VICTORINUS CONF. 8.*Iunii.*

RECtè olim pronunciatum est, utcunque rara sit inter homines innocentia, plures esse, qui ab eâ nunquam diverterint, quàm qui seriò reverterint. His tamen tam paucis VICTORINVM accenseas licet magnum pœnitentiæ miraculum. Romę natus cum Severino fratre Camerinum discesserat, tutissimum vitæ genus, vitato omni humano consortio, aggressus: sed quod mihi asylum dabis, quod non dæmonis improbitas perrumpat? Is vultum habitumque feminæ mentitus nocte intempestâ VICTORINI tugurium aureisque lamentis opplevit, dignaretur tecto ultima pericula metuentem, neque prædam se feris objiceret. Peccaturus in humanitatem sibi VICTORINVS videbatur, si ad has preces obsurduisset. Recipit ergo dæmonem hospitio, sed sub larvâ tam bellâ latentem,

ut

ut ille hominum osor hujus amore captus sit. Conflagrantem facibus fœdæ cupiditatis personata lena deseruit, intellexitque miserrimus amator, qualis illecebra Deum sibi mentemque eripuisset. Jus deinde sibimet dixit, inmissaque intra diffissæ arboris rimas manu, revulsis cuneis, arctè iterum coëunte trunco, inusitato cippo miserabilis sc captivus induit; stetitque sic affixus triennium integrum; Dominicis duntaxat diebus panem & aquam è Severini manibus libare solitus; cùm demum jubente Camerinensi Episcopo, emortuam ab inaudito carcere manum, utique conciliato Numine, recepit. Audite peccatores. VICTORINVS momentum unum trienni supplicio vindicavit; nos ævo continuo peccamus, & vix momento resipiscimus. *Ex Phil. Ferrar.*

Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat: nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata. Nihil valet de malis veniam poscere, & mala de novo iterare. S. August. in soliloq.

S. MEDARDUS EP. 8.*Iunii.*

NOlit fortasse à Gildardo gemello suo sejungi MEDARDVS, cum quo ita communia habuit omnia, ut eodem die ambo nati, ambo denati, ambo sacris infulis induti sint: leges tamen hìc seorsim de MEDARDI pueritiâ paucula, de Gildardo paria cogitabis. In splendidas opes natus unicum earum usum noverat, liberalitatem. Prætextam suam cæco largitus, ad matrem propè nudus recurrit, gestiens quòd tantillâ veste Christum induisset. Equorum custodiam cum ultro sibi depoposcisset, unius abducendi copiam egeno viatori fecit; cujus jacturam cùm pater acerbè ferret,

gregem

gregem recenſentibus numerus nullo capite imminutus apparuit. Ipſe nihilominùs pietatis ſuæ fructum præſentem tulit, aquilæ alis à pluviarum injuriâ defenſus. De agrorum limitibus exarſerat inter vicinos certamen, ſpectabatque res ad arma, nî puer litem finiſſet. Saxum enim medio repertum campo pede contigit, ſuumque velut in molli cerâ veſtigium impreſſit, eoque prodigio limitem, vel oſtendit, vel fecit. Eleutherio contubernali ſuo de mitrâ olim indipiſcendâ oraculum dedit, cui poſteà vates ipſe ſucceſſit. Defuncto cælum faces funebres ſuppeditavit. Clotharius Rex Sandapilæ ſuccollavit. Cùm tumulo inferretur, cælum diduci pandique viſum, nempe ut melior MEDARDI pars eò cum triumpho inveheretur, geminæ columbæ itineris duces futuræ obviam profectæ ſunt: quibus tertia, quæ de Sancti ore egreſſa eſt, ſeſe junxit. Has alas animæ ſimplicitas & modeſtia affixerunt: nos in Pavoninis ſuperbimus. *Ex Surio.*

Felix promiſſio, ut poſtmodum in divino liberetur examine, qui nunc ſubvenit egentibus in mœrore: Gloriosè mercatur, qui pro miſericordia, quam pro pauperibus exhibet, totius Chriſtianitatis continuam orationem promeretur. S.Pet.Dam.Opuſc.9.de Eleem.

SS. PRIMUS & FELICIANUS MM.
9.Iunii.

PRIMVS & FELICIANVS cum Jove & Hercule falſis Diis, Diocletiano & Maximiano crudeliſſimis Imperatoribus decertarunt, ſolâ adverſus illos pietate, adverſus hos patientiâ armati: cujus ut inſignia documenta darent, Angelorum beneficio viam ſibi ad fugam aperientiũ noluerunt uti.

Bellaria

Bellaria tamen, quæ acerrimè verberatis allata cælo sunt, libarunt, ne viribus succumbentibus, levioribus, quàm vellent, suppliciis defungerentur. FELICIANVS octogenario major cæstus, & suffixas unguibus subulas vultu immoto tulit: mentiente nihilominus, ut PRIMO fucus fieret, Præside, Felicianum tormentis cessisse, stultâ impudentiâ: cùm Angeli nihil eorum, quæ acta fuerant, Primum ignorare paterentur. Ergo is quoque faces ardentes suo sanguine extinxit: liquatum plumbum (tanta erat patiendi sitis) velut fontanam bibit. Leones & ursi cum illis compositi nec animorum, nec corporum vim imminuerunt. Etiam securi cæsos muscæ canesque non ausi sunt contingere; tanta est virtutis etiam apud animantes æstimatio. Utinam homines, qui soli tanti capaces boni sunt, & præmia noverunt, suis hæc animi decora momentis expenderent. Sed eheu, quàm vili venditur innocentia! *Ex Surio.*

In hâc vitâ virtus non est, nisi diligere quod diligendum est: id eligere, prudentia est: nullis inde aversa molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est, nullâ superbiâ, justitia est. S. Aug. Epist. ad Maced.

S. SYLVESTER CONF. 9. Iunii.

VEntura (namque hoc primum SYLVESTRO nomen erat) quo tempore Florentia à B. Jordanis ore tota pendebat, fulloniam illic exercuit, ipse etiam candidissimæ mentis. Quare facilè locum in hoc Jordanis verba invenerunt. Sed rectiùs illi eodem tempore visus in cruce Christus concionatus est, plagis suis semper ad misericordiam concitandam facundis. Certè semel illi visus cælestis Agnus nunquam posteà mente excidit, sed

sed velut semper eadem spectacula expeteret, illa crebrò inter lacrimas, & singultus verba jaculari ad cælos auditus est: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.* Ad quæ verba mirabatur ille, non ad instar ceræ liquescere hominum corda. Hæc itaque eremiticam vitam persuasere viro, mutato Venturæ in Vincentii tunc nomine. Insidiantem castitati suæ amorem cùm sentiret, urticis tergum suum armavit; & ecce fugit ille, & dum flagra timuit, puerum scilicet se probavit esse. Sub hæc, ut tutior inter plures DEO militaret, Camaldulensium cœtui se junxit, & SYLVESTER deinceps dictus culinam primò, tum triclinium curavit, utrumque magno modestiæ, & obedientiæ exemplo. Orationis intereà perquam studiosus, eam imbibit sapientiam, ut jam Fullonē nostrum velut Apollinem doctissimi quique fidei Doctores adirent. Sub extremum morbum iterum Christum aspectabilem habuit. Et cur non oculos SYLVESTRO ille clauderet, ad quem semper ille levavit oculos? *Ex Chron. Camaldul.*

Tibi quondam abjecto, tibi extruso à Paradisi sedibus, tibi in pulverem & cinerem dissoluto potestas data est, ut de longinquo ad tuum revertaris auctorem, libertus efficiaris ex servo, de extraneo proveharis in filium. S. Leo serm. 2. de Nat.

S. MARGARITA REGINA. 10.*Iunii.*

CApe has è MARGARITÆ Scotorum Reginæ muliebri mundo gemmas, nulli sexui, nulli ætati indecores. Malcolino Regi nupta, omniumque titulorum particeps, nullum cupidiùs, quàm matris pauperum affectavit, meruitque non in suo tantùm regno, quod liberalitatem ejus non cepit;

pit; quemadmodum neque dies in pietatis operâ ei suffecit. singulis noctibus Matutinum, quem vocant, cursum de SS. Triade, tum de Cruce, denique de Virgine Deiparâ absolvit. Annexuit his votivas pro mortuis preces, & Davidis Odaria: quid post hoc pensum somno relictum est? quem tamen ne tum quidem admisit, priusquàm ter pauperum pedes abluisset. Diem sic auspicata est. Novem infantulos, quos à suis neglectos matribus educabat pro suis, nutricularum occupato officio, pascebat cibos ori ingerens, & quidem genibus nixa, ut reverentiùs haberi non possent, si vel cælo lapsi fuissent. Trecentis aliis, sed adultioribus, partito cum rege ministerio, cibum inferebat. Tum repetitæ preces utique penetraturæ cælum, cùm tot pauperum apprecationibus sublevarentur. Iidem publicè prodeuntem stipabant catervatim, vile satellitium, sed ad Superos profecturæ percommodum. In cujus itineris procinctu cùm semper stetisset, edocta tandem divinitus est, quando migrandum esset. Mortua toto vultu erubuit. Sensisse plausus diceres, quibus tam rara virtus in cælo accepta est. *Ex Surio.*

Septem horarum Canonicarum officia, quasi septem baptismatum lavacra in Ecclesiæ sunt gremio constituta; ut septem offensionum maculas, quas ex quotidianæ vitæ hujus conversatione contrahimus, totidem orationum quotidianæ fluentis expiare conemur. S.P.Dam.op.12.

SS. BASILIDES & SOCII MM.
10. *Iunii.*

OFfenduntur delicati, cùm viam iis regiam, quæ ad cælum ducit, stratam crucibus ostendimus; cùm per vepreta, quæ Christus calcavit, per

per cruenta martyrum sanguine vestigia ducimus insuetos laborum; monstrabimus ergo nauseabundis compendium, quo BASILIDES, TRIPVS & MANDALES extra ordinem ad cælum sunt perducti. BASILIDES operam suam Platoni viro primario, sed impiæ superstitioni dedito locabat, studiosè argumenta omnia celans, ex quibus agnosci Christianus posset. Non placebat Christo, quòd tam doctè uteretur foro, & tempori peritiùs quàm conscientiæ velificaretur, adversùs præceptum suum duobus dominis emancipatus. BASILIDES nihil moratus Platonem deserit, & cum sociis rectà ad littus profectus, in navem incidit, quâ instructiorem nulla unquam aqua tulit. Christus ad clavum sedebat, Angeli remigum officium occupabant, nimis profectò familiariter officiosi. Quid metuerent felicissimi vectores? Syrtésne? an ventos? an fluctus? equidem credam optasse omnia pontum esse, & deesse littora ponto; nam certè in portu denique trepidare cœperunt, adversâ de Aureliani sævitie famâ perculsi. Ausi ergo rogare Christum sunt, liceret sibi siccâ morte, & incruentâ defungi. Datum id quoque, placidâ compositos quiete Angelorū manus cælo intulerunt. Nihil audies suavius: & tamen frontem contraxisti, cùm his quoque negatum audires duobus dominis servire. *Ex Mombrit. & P. de Natal.*

Esto humilis & pacificus & erit tecum Iesus: sis devotus & quietus, & manebit tecum Iesus. Potes citò fugare Iesum & gratiam ejus perdere, si volueris ad exteriora declinare: & si illum effugaveris & perdideris, ad quem fugies, & quem tunc quæres amicum? Thom. de Kemp. l. 2. c. 8.

S. OLIVA VIRG. MART. 10. Iunii.

NObilis virgo fuit OLIVA. Id si cunis avitis non crederem, monilibus crederem, vinculis inquam, quæ anno ætatis tertio decimo pro Christo gestavit, multùm hoc muliebri mundo, & quantùm nulla alia virgo, superba. At mors, sive ætati hoc, sive generis splendori dabat, noluit tam pulchram OLIVAM immaturo fato decerpere. Tyrannus tamen ex oculis patriæ (Panormum erat) in exilium transtulit. Nihil minus in hoc floren visa OLIVA. quid? quòd cæco eidemque pedibu capto cum luce Christum ostendit, & ad partes Christianorũ docuit ambulare; cùm alius interea quòd fidem nollet aspicere, oculos amitteret. Hos tamen etiam resipiscenti restituit, & utrumq ad martyrii cursum præmisit, cùm ipsa ad eandem gloriam seriùs, & ingentibus triumphis grassare tur. Etenim flagris cæsa in silvas est relegata. Gra tulatæ sunt scilicet sibi hæ de OLIVA, sub cujus umbrâ etiam effera animalia mansuescere, & cum virgine innoxiâ totum septennium agere vid Interea homines in feras migrarunt. Nobilis enim juventus dum feras captat, visâ virgine in rem Veneris se induit. At virgo, *An*, ait, *dubitatis parce virginitati homines, cui vim inferre bestiæ verentur aut, qui contra feras me defendit*, DEVM *pugnatur pro me in feros homines dubitatis?* Dixit, & nassis ca peditos turpibus, mox martyres cælo transmis Ipsa etiam superatis denuò flagris & equuleo oleoque ab igne bulliente triumphans secu gladio secandam cervicem, caput coronandu cælo dedit. Nunquam pulchriùs laurus Oliv se junxit. *Ex Ferrario.*

Nec cedendum nec recedendum, etiamsi gravis tentationum fervor utriusque hominis statum afflixerit: eligamus potiùs ardere, quàm cedere. S.Bern.serm.3. de Vig.Nativ.

S. BARNABAS APOST. 11.*Iunii.*

HAbuit BARNABAS patriam Cyprum; magistrum in lege Judaicâ Gamalielem; in Christianâ ipsum Christum. Apud hunc virtus illum in collegium discipulorum LXXII.adlegit; & melior deinde fortuna orbem perambulanti Paulo aliquandiu comitem addidit. Lystris postquam Paulus claudum in pedes erexit, urbs utrumque velut cælo delapsa Numina excepit; jamque aras, & victimas, & geniales coronas paravit, in Paulo Mercurium, in BARNABA Jovem venerata. Et profectò, etsi, ut par erat, divinum honorem longè illi repudiarunt, officio tamen tunc melioris Mercurii functi sunt, DEVMque civibus nuntiarunt. Supervenientes quoque Judæi plausum lapidibus excitarunt, & his tantùm non sepultum Paulum, facilè hominem non DEVM esse probarunt. BARNABAS etiam Salaminæ à Judæis multis tormentis exercitus, saxis ultimò obrutus, & in ignem conjectus est. Sed ex hoc etiam rogo suum cælo Phœnicem vidisses prodire, integro etiam corpusculo, quod D. Marcus terrâ composuit. Multò pòst, cum in sedem Antiochenam invasisset nescio quis hæresi pestilenti afflatus, vigilavit pro re Catholicâ etiam mortuus BARNABAS, & Anthimo Salaminæ Episcopo tertium visus monuit, uti communis causæ patrocinium Constantinopoli apud Imp. susciperet; simul etiam indicavit, quo loco ossa sua, & unà volumen, in quo D. Matthæi

Evangelium exaraverat (nobilissima cimelia) reperiret. Et verò utrumque in honore habuit Zeno Imp. & corpus templo augusto honoravit, volumen verò auro inclusit, rectè gemmam esse ratus. *Ex act. Apost. Baron. & Lipp.*

Agnosce dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire: memento cujus capitis & corporis sis membrum, & quia erutus de potestate tenebrarum translatus es in Dei regnum & lumen. S. Leo serm. 1. de Nat. Dom.

S. ONUPHRIUS CONF. 12.Iunii.

ONVPHRIVM toto hirsutum corpore, & rara humani cultûs retinentem vestigia, poterat sanè silvarum monstris, & Satyrorum generi accensere Paphnutius, si in externâ specie substitisset. At ubi congressus vitæ genus moresque didicit, dubitavit hominémne potiùs an Angelum diceret. In Thebanâ regione monachum indutus, cùm de Anachoretis fando accepisset, egressus in loca sola Angelum vitæ comitem habuit. Nactus deinde novi instituti magistrum, in tugurium palmâ inumbratum deductus est. Inde illi cibus, menstruo proventu; panem & aquam Angelus afferebat quotidianus minister. Octavo quoque die, ut delicatiùs vesceretur, is quoque, quem propriè Angelorum panem appellamus, majore pompâ, & debitâ Numini est advectus. Et potuit credo ONVPHRIVS hâc Cælitum amicitiâ bëatus hominum oblivisci: certè septuaginta totos annos mortalem non vidit, donec, quem nominavi, Paphnutius Dei jussu moriturum invisit, ut è silvarum latebris tam rara virtus eo præcone protraheretur

traheretur in lucem. Mortuo Angeli cecinere lessum: palma & casa quasi desiderio viri, & alium quemcunque dominum indignantes procubuerunt. Quid ad hæc nostra juventus, moribus juxtà capillisque luxuriantibus in Nabuchodonosorem citiùs, quàm ONVPHRIVM degeneratura? *Ex vit. PP.*

Comas aut vestes supervacuas curare, vel infelicium est, vel injustorum. Nam quid ex talibus expectandum aut suspicandum, nisi ut lascivus ille ornatus feminas pratereuntes invitet, aut alienis matrimoniis insidietur? S.Bas.de Legend.lib.Gentil.

S. PEREGRINUS EP. M. 13.*Iunii.*

CETHEVM in cunis, in tumulo PEREGRINVM dixere. Aternensium Pontifex fuit, cùm è Langobardis in urbe tyrannidem Alais & Umblo obtinerent. Horum ille sævitiem detestatus, Romam ad commune orbis asylon D. Greg. Pont. Max. transfugit. Sed populus Aternensis PEREGRINVM jure optimo jam olim suum repetiit, & verò judice Gregorio etiam obtinuit. Intereà cùm nec ista regna socium ferrent, tyranni duo armis inter se collisi sunt, & Alais in suum præsidium, sed exitium urbis tertium hostem Vitalianum Comitem introduxit. Tunc verò, auctore CETHEO, cives arma capiunt victumque Alaim, & vinctum Umbloni tradunt. Mox tamen adest CETHEVS, & vitam capto orat. Sed quæ alteri prodesse studuit, sibi etiam nocuit misericordia. Umblo Alais factioni CETHEVM favere credidit. Quare utrumque ad gladium damnat. Cæso Alai cùm carnifex Pontifici instaret, omnes ad officium vires amisit; at non consilia tyrannus. ex ponte in Aternum

fluvium jubet præcipitari. Enatanti saxum jubet appendi ingens, iterumque mergi. Sed vel mortui virtus supra aquas se extulit, docuitque etiam saxa natare. Tumulum deinde primum ignoto Arrianenses dederunt, unaque PEREGRINI nomen. Illum facibus suis cælum nobilitavit; quod ipsum miraculum testis, & ipse miraculosus (cæcus) vidit. *Ex Ferrar.*

Si æterni Patris inhabitare domum, si rei caleſtis paricidii teneri nolumus, tetras invidiæ excludamus insidias: invidiam armorum cæleſtium viribus comprimamus: quia ſicut nos Deo jungit charitas, ſic à Deo invidia ſejungit. S. Chryſol. ſerm. 4.

S. ANTONIUS DE PADUA C.
13. Iunii.

ANTONIVS, quem vulgò Patavinum dicunt, S. Franciſci diſcipulus, ſuis ad concionem verbis à flagitiosâ vitâ quàm plurimos revocavit. Eam ob rem cùm oculi dolerent inferno hoſti decumbentis in lectulum ſpiritum elidere faucibus interceptis aggreſſus eſt: ſed ille unico MARIÆ nomine ſimul viam loquelæ fecit, ſimul infidiatorem in fugam dedit. Hæreticum, qui sacræ Euchariſtiæ cultum negaverat, ad ſaniorem mentem & ipſum reduxit. Cùm enim mulus impii negato aliquàm multis diebus, ſed præbito demùm lautè pabulo, ad ANTONIVM vocatus accurriſſet, ſanctiuſque epulum pronus in pedes adoraſſet, ſapere à jumento ſuo etiam dominus didicit. Pro concione funebri lucrionis cujuſdam palàm edixit, illum æternis inferorum flammis addictum eſſe, ejuſque adeò rei indicium fore cor illius non pectore, ſed arcâ cum nummis ſuis clau-

sum. Præter alia multa, quæ fecit admiratione digniſſima, puerum demortuum vitæ reddidit, quò is parentem ANTONII de homicidio accuſatum innocentem abſolveret. Supremùm ægrotantem CHRISTVS inviſit, obitum verò ejus per urbem fando infantes vulgarunt, quò minori eloquio, hoc majore virtutis præconio. *Ex Surio.*

Totomentis affectu beatiſſimæ Virginis nos interceſſionibus committamus, ejus patrocinia omni niſu implorem.; ut dum ſupplici obſequio eam frequentamus in terris, ipſa nos ſedulâ prece commendare dignetur in cælis. S. Aug. in F. Aſſ. B. V. hom. 3.

S. HELISEUS PROPHETA. 14. *Iunii.*

PRofuerit juventuti, HELISEI Circenſes ludos ſpectare.; redeat inde modeſtior, & reverentior canæ ætatis. Bethelenſis pueritiæ grex calvitium ſancti ſenis vernaculis jocis proſcindebat. eam dicacitatem urſi duo, quadragenis binis è toto numero concerptis, caſtigarunt: ne ferulas tantùm, ſed & feras puerilis laſcivia ſibi metuendas exiſtimet. Cætera illius viri prodigia quis memoret? aquarum curſum ſtitit, amarorem correxit, oleum auxit, lepram deterſit, infœcundis conjugibus prolem dedit, orbis reddidit.; genti ſuæ inſignes victorias, eidem fame laboranti gratuitam annonam præbuit. Illud æternâ memoriâ dignũ, & identidem parum fidentibus Deo ſuggerendum. Obſeſſus à Syris, jamque pro deſperato à familiari ſervulo defletus, paventem hoc promiſſo erexit: *Noli timere: plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* Trepidanti nihilominus oculos prece aperuit, & diffuſa toto monte auxilia ignitaſque acies oſtentavit. Hoſtibus viciſſim ſuis offuſâ

oculis animisque caligine, torpentibus ducem se obtulit, eoque deduxit, unde si jure in eos agere libuisset, pedem nunquam erant relaturi. Hoc tu robur animi pallio Eliæ imputabis. rectè: sed cur times, qui in baptismo JESVM Christum induisti? *Ex 4. Regum.*

Sit in gestu tuo gravitas, in incessu honestas: nihil dedecoris, nihil lasciviæ, nihil petulantiæ, nihil insolentiæ, nihil levitatis in te appareat: animus enim in corporis gestu apparet: & species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis. Isid. l. 2. Soliloq.

S. VITUS MARTYR. 15. Iunii.

LIberalius cælum Româ etiam pueris triumphum non negat. Certè VITVS adolescentulus duodecim annos natus plures jam tyrannos, eosque inter parentem triumphavit. Flagra enim primò Christianâ fortitudine concoxit, & poterant videri aërem verberasse non VITVM tortores, nisi & his, & unà Valeriano Proconsuli manus diriguisset. Restituit tamen hanc martyr tyranno, ne quem vinceret, deesset. Hinc aulâ est inclusus à mulierculis, & ceteris illecebris instructâ, quò blandiore, hoc periculosiore scilicet carcere. Sed prælianti Cælites adfuere tantâ luce coruscі, ut lucem curiosi parentis oculis eriperent. Et hos tamen, quò filium sæpiùs victorem vel invitus videret, ingrato reddidit; ipse, atrocioris patre supplicia meditante, Angelo remige usus, in alias terras trajecit. Decrevere nimirum cæli, ut Romæ etiam triumpharet hæc virtus. Huc itaque evocatus, è Diocletiani filio malum hospitem orcum pepulit; sed stipendia tulit vincula. Ad bestias deinde damnatus, etiam has citiùs cicures,

quàm

quàm tyrannum reddidit. In ollas porrò injectus, igne ac pice timendas præ thermis suis has Diocletiano laudavit. Ad extremum ex equuleo à genio tutelari ad ripas Silari asportatus, placidè inter umbras arboris animam victricem cælo transmisit, puer, si annos; senex, si triumphos numeremus. *Ex Surio.*

Neganda sunt terrena omnia, ut melioribus abundemus, & contemptu universorum Christus sequendus est; & spiritualium Æternitas terrenorum est damno comparanda. S. Hilarius in Evang.

S. LANDELINUS CONF. *15.Iunii.*

IN latrones incidisti, quisquis è bonorum sodalitio in malorũ contubernium transisti. Hoc adeò LANDELINO crede. Hic è primâ Gallorum nobilitate, & à puero inter literarum & pietatis studia educatus, dum aures vocanti DEO claudit, aperit avocantibus; dum amicis esse amicus ad aram studet, penè ad inferos fuit. Certè quem inter religiosorum hominum cohortes militare cognati noluerunt, inter publicos prædonum manipulos mereri viderunt. I nunc sanguis, & aspergi maculam generis splendori querere, cùm in DEI servitium abeunti tui; at tu adolescentia audi, quantum custodi Angelo debeas! Diripiendis cujusdam ædibus nox erat dicta à LANDELINO. Sed fortior mors LANDELINI familiam prior diripuit, socium subitò auferendo, quem in paucis ille charum habebat. Ob id tristiori, in somnis bonus genius astitit, & malum socium à pejoribus geniis ad inferorum flammas abripi monstrans, *Heus*, ajebat, *an & nunc socius huic eris?* Enimverò non placuit jam Theseum esse, Pirithoo ad orcum ab-

eunte. Damnat proinde vitam priſtinam, ter ſupplex ad DD.Apoſtolorum it limina, & poſt extructa compluria cœnobia, & MAGNÆ MATRI templum, poſt edita miracula, ſub annum DC.L. cilicio, & cineri incubans, ſanctè emoritur. Ubi tunc ſocii olim peccantis? crede iterum LANDELINO, quiſquis cum pluribus peccas, aut ſolus flebis, aut ſerò flebis. *Ex Surio.*

Melius eſt habere malorum odium, quàm conſortium: ſicut bona multa habet communis vita Sanctorum; ſic plurima mala ſocietas affert malorum. Iſidor. l.2.ſoliloq.

S. BENNO EPISC. 16.*Iunii.*

BENNO ex illuſtri Saxonum ſanguine monachus, ex monacho Miſnenſium Pontifex, Slavos ſub CHRISTI jugum egit. Captus bello Saxonico ab Henrico IV.Imp. & libertati reſtitutus, Romam abiit, pars magna illic Concilii futurus: inde redux templi ſui claves, quas in Albim, cum iter ingrederetur, abjecerat, in piſce recepit: pedo aquam è terrâ, precibus ex aquâ vinum dedit; ſibi per undas viam ſtravit: manibus Cælitum, non ſemel ad ſuos per magna itinerum ſpatia compendio eſt tranſportatus. Miſniæ Marchionem, quo die alapam ab eo acceperat, hoc eodem, anno vertente, moriturum dixit, & vatem fuiſſe mors minimè mendax oſtendit. Claruit innumeris ſemper miraculis; tum præcipuè, poſtquam Monachium Bojorum caput tranſlatus eſt. Ibi ille pugnantem in ſe populi pietatem beneficiis quotidianis certat vincere, certamine hoc etiam jucundiore, quòd clientes vel victi triumphant. *Ex Hieron. Emſero.*

Cogita peregrinationis tuæ miſeriam, cogita vitæ humanæ

humanæ pericula, cogita fragilitatem propriam; & ejusmodi cogitatione, si perseveraveris, parum senties quicquid foris videtur molestum. S. Bern. serm. de om. SS.

S. TYCHO EPISC. 16. *Iunii.*

DAmus Euclionibus mancipiis pecuniæ rei augendæ magistrum doctoremq; gratissimæ artis, quâ granaria frumento stipentur, numusque in arcâ crescat. TYCHO is est, ætate puer, sed cano sensu, avari parentis filius, multò tamen peritior pecuniariæ venationis. quod vel hinc intelligas. Pater oneratum panibus in forum miserat: puer indignatus unciarium quæstum iis venditis rediturum, è merce stipem facit, eamque in obvios pauperes effundit. Patri æs reposcenti artificium suum aperit; panes apud Christum in fœnore positos, & quidem centuplicato. eam in rem se syngrapham accepisse. Pater nulli rei præterquam oculis suis crediturus, puerilis fidei experimentum in horreis quæsivit: & ecce tibi quæ pridie vacuefecerat, importatum divinitus frumentum ægrè ceperunt. Eâdem facilitate cellas replevit. Aridum vitis surculum & pridem exsuccum humi depanxit, neque vitam illi modò, & germinandi vim, sed perpetui etiam gloriam miraculi contulit. Unus enim ille palmes, quo die anniversaria TYCHONIS memoria peragitur, sub initium rei divinæ liventes uvas ostentabat, quæ ante sacrificium finitum ad maturitatem percoquerentur, præcocem suo satori vindemiam præbituræ. Quid ad hæc avari? In scholâ Pluti negant recepta esse paradoxa Christi. *Ex Menæis.*

Quid vereris fluxum & fragile bonum facere sempiternum? aut thesauros tuos custodi Deo credere? ubi

non furem prædonem q; timeas, non rubiginem, non tyrannum: qui apud Deum dives est, pauper esse nunquam potest. Lactant. in Epit. Instit. c. 12.

SS. QUIRICUS & JULITTA MM.

16. *Iunii.*

DAtur optio; exempla Christianæ fortitudinis à trienni puero, an feminâ malis petere: hujus sexûs, illius ætas convitium facient ignaviæ tuæ, si detrectas vel desperas sequi hos duces; & audies sanè quod olim Augustinus: *An non potes quod iste & ista?* Exercebat Tarsi quæstionem de Christianis Alexander. JVLITTA QVIRICVM filiolum ultro ad tribunal non duxit, sed tulit, puto ne unicum Abrahæ in hanc rem facinus ostendi generi humano posset. Alexander in disparem prædam non eodem affectu grassatus, matrem atrocissimè, filium blandissimè excepit, haud scias in leoninâ an vulpinâ pelle nequior. Certè QVIRICVS illius receptus sinu, appetitus osculis, inescatus promissis, nullum, neque plorandi, neque quiritandi finem fecit; cùm JVLITTA contrà pendens in equuleo, & taureis conscissa, gemitum nullum ederet, ut propriâ amborum confessione constaret, utrius conditio esset iniquior. Consumptis lacrimis, imbellia etiam arma expedivit triennis heros, & nuper natos dentes teneroſque ungues strinxit in adulatorem suum, luctando effecturus, ne mitior in se, quàm in matrem esset. Et potitus est voto suo; Alexander ad tribunalis gradus victori animam elisit. Quid mater? nunquam lætiore vultu suum pignus aspexit, idemque beneficium poposcit, ut quàm citissimè eum assequeretur. Impetravit: laniata ungulis, perfusa pice cervicem

securi

secuti subdidit: sed quantumcunq; properaret, filius cælũ subeunti jam coronatus occurrit. *Ex Sur.*

Non solùm effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum Martyrium est. Illa corona de rosis & violis plectitur, ista de liliis. S. Hieron. in Epitaph. Paulæ.

S. LUDGARDIS VIRG. 16. Iunii.

NUlla pulchrior virginitate est virtus, quæ DEVM etiam hominis facit rivalem. Ambierant LVDGARDIS thalamum complures, nec ignobiles terræ filii, & ex his familiariùs uni fortè loquebatur, cùm ei sanctior sponsus CHRISTVS pectus suum, & in pectore cor saucium ostendit, & extra hoc nihil deinceps jussit quærere. Inde videlicet humana omnia usque adeò illi jam vilescere, ut præter crucifixi nullos amores sciret, præsertim ubi ab ejusdem vulneris nectare ebria, tota jam ibi habitabat, ubi sanctior amor degit. Deposuerat DEI MATER apud LVDGARDEM querelas suas, quibus filium ab Albigensibus hæreticis iterum in crucem agi dolebat. Hîc ut luctum virgo suum testaretur, VII. annorum sibi jejunium indixit, alterumque æquè longum pro peccantium salute adjecit, & subinde SPONSVM irato PATRI vidit supplicem, & vulnera velut clypeum pro orbe perituro objicientem. Martyrii desiderio tam bulliebat in amante sanguis, ut arteriam aliquando ruperit, cælumque idem præmium, quod martyribus spoponderit. Sacrum epulum adire inter Angelos non semel, quandoque etiam inter MARIÆ & D. Joannis comitatum visa est. Ante obitum oculis orbata, nunquam tamen magis cælestia, quàm tum vidit. Morienti enim cum

MATRE, & aliis Cælitibus obvius SPONSVS venit: quibus ducibus in cælos abiens, errare etiam cæca non potuit. *Ex Surio & Lippeloo.*

Putásne Filium Dei reputat JESVM, *quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit?* S. Bern. in Serm.

S. RAINERIUS C. 17. *Iunii.*

RAINERIVS Pisanus cupiditatum æstu abreptus, ad infames adolescentiæ scopulos naufragium innocentiæ fecit: enatavit tamen arreptâ pœnitentiæ tabulâ, & Sacerdoti expiandum se stitit. Sed obstitit noxius pudor, ne omnia probra detegeret: donec Angeli voce silentium increpantis animatus bonâ fide se reum peregit. Judex confesso mulctam nullam imposuit, professus ejus arbitrium cæleste sibi numen reservasse: ex eo tempore cùm finem flendi nullum faceret, oculi cum lacrimis extillarunt, tanto parentis dolore, ut vitam abrupturus sibi fuerit, nisi Deus precanti lumen reddidisset. Publicus deinde pœnitentiæ præco factus, reversusque Hierosolymis inusitatam in paternis ædibus Mephitin est odoratus. Causam indaganti, ita olere opes, Christus respondit, cæterumque luxus apparatum. Ergo iis quoque abdicatis, Hierosolymitanum iter rudi sago indutus repetiit, ad durissimas leges vitam omnem exigens, maximè postquam sobriè cum viro sacrato prandentis linguam vespa aculeo fodit, velut temperantiæ vindex. Posthac enim ad panem & aquam obsonium nullum adhibuit: condimenta tamen cælo petebat, sæpe Christum cum Matre habere convivas solitus, quod prodigiis omnibus,

quæ

quæ plurima patravit, illustrius fuit. Hoc illum contubernium sanctum fecit, miracula probarunt. Mortem an. M.C.LXI. obiit. Nos ejus virtutes taceremus, si sua olim scelera tacuisset. *Ex Phil. Fer.*

Heu cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubuisti? Melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die judicii coram tot millibus hominum gravi repulsâ denotatum tabescere. S. Aug. de Visit. Infir.

S. AVITUS CONF. 17. *Iunii.*

OStendi utique AVITVM Deus mundo voluit, cui tantam nascenti lucem circumfudit, quantam humani oculi ægrè paterentur. Ipse tamen latebras quæsivit Mictianensi monasterio abditus, magni nominis famam adeò non affectans, ut nullo se libentiùs quàm Bruti vocabulo compellari audiret, præter spem votumque ad honoratiora munia productus, fugam iteratò iniit, & inter nemorum avia mapale molitus, sibi Deoque vixit. Sed illum nocte intempestâ cælesti radiantem luce subulcus reperit, nullo magno viri incommodo, nisi in eam usque diem elingui, & muto signo crucis loquendi facultatem dedisset: quid enim ille prolixiùs posteà, quàm sui medici laudes loqueretur? Ejus præconio proditus, tertiam fugam parabat, nisi Præsulum auctoritate motus, boni publici rationem privatis commodis potiorem habuisset. Ex intervallo cæco lumen, mortuo vitam reddidit, quibus rebus adeò populorum adversùs eum accensa studia sunt, ut Aurelianenses Dunensesque mortui exuviis inhiantes, propè ad arma venerint. Jam castra castris opposita stabant, concursumque fuisset, ni Leusus quispiam summo

gene-

genere vir furentes monuisset, ne crudeli pietate Divum offenderent. Utinam pari studio pro virtutibus certaretur, quas in medio positas nulli invidet nobilissimas sine dubio omnium Reliquiarum. *Ex Surio.*

Vberiorem fructum præbet audientibus Sanctorum vita, quàm miracula: Illa exigit imitationem, ista ingerunt admirationem: miracula docent quàm sancti fuerunt; vita verò insinuat, qualiter & nunc homines fieri valeant sancti. S. Pet. Dam. l. 1. ep. 19.

S. LEONTIUS M. 18. *Iunii.*

VEspasiani ævo, LEONTIVS militiæ artibus clarus Christianæ pietatis pœnas dedit, Arcadio mite Cæsaris ingenium in virtutum excidium incitante. Datur Hypatio negotium hominis comprehendendi; is in procinctu febre corripitur; quâ se non antè levandum, Angelo docente, intelligit, quàm Deum LEONTII supplex inclamasset. Dictum, factum: etsi ne sic quidem crudele ministerium deseruit; sed cum Theodulo Tripolim LEONTIO imminens abiit. Enimverò non refugit captatores nobilis præda; quin imò domum deductis, comiterque acceptis, ultrò sese aperuit, sed jam attonitis inauditâ humanitate, & imperii oblitis. Tum demum Hypatius suspicere LEONTII Deum, qui suis cultoribus hos mores, talem indolem daret; eundem Theodulus deprædicare, unaque poscere tam sancto utrumque Numini initiaret. Favit cælum votis, & roscida nubes in imbrem soluta capitibus superfunditur. LEONTIVS tinctos Deo consecrat. Adrianus re intellectâ furere, & nihil profecturis sævitiæ artibus tentare veterani pariter & tyronum constantiam; & hi

hi quidem, post equuleum, uncum, & verbera, capite imminuti sunt. LEONTIVS longâ patientiâ præsidis ingenium lassavit, & totum carnificinæ apparatum exhausit; donec pendenti continuâ verberatione anima extorta est. Utinam, quemadmodum Themistocli trophæa Miltiadis, ita nobis LEONTII triumphus somnum excuteret! *Ex Surio.*

Quem bene vivere omniaq; ad Dei cultum referre intelliges, etsi semper in carcere vixerit, vel pauper sepulchro revulsus combustusq; fuerit, si tractim perdendum corpus præbuerit, nihilominus hunc beare, hunc felicem dicere, hunc ad sidera tollere memineris. S. Chrys. ser. de Virt. & Vit.

S. OSANNA V. 18. *Iunii.*

INter Deum & OSANNAM Mantuanam continuum certamen amoris fuit. Data utrinque acceptaque pignora, quibus neque Deus charius quidquam, nec pretiosius mortales habent. Virgo illibatum pudicitiæ florem Deo sacravit: ille vicissim arborem suæ crucis orantis humeris imposuit, ex vero deinceps dicturæ: AMOR MEVS PONDVS MEVM. Omnes certè OSANNÆ cogitationes eò ferebantur: iis maximè diebus, quos amor ejus in cruce pendens fecit sanctiores: cui tamen satis non fuit animo sauciam aspicere, nisi corpori etiam stigmata infigeret, non nisi paucissimis, & in omnia familiaria jura receptis, ut tesseram amicitiæ concessa. His ditata characteribus satis utique literata fuit, potuitque in hâc sancti amoris scripturâ acquiescere. Accessit tamen auctarium, & sub Deiparæ disciplinâ nostrum etiam Alphabetum didicit: ut his quoque humanæ ruditatis elementis proficeret ad magisterium virtutis: neque

que enim quemquam posteà puduit tot cælestis sapientiæ insignia circumferentem, prospicientem futura, familiarem Angelis consulere, aut audire monentem. Viri Principes agendas illi suas apud Superos causas detulere, certâ spe victoriæ, si patrocinium suscepisset. Et hoc tantum orbis miraculum anno M.D.V. terras deseruit, ne queri quisquam possit, nullam nostro ævo magnam virtutem gigni. Quid vis? an ulli Deus invidet suam crucem? sed nos delicati humeros subducimus. *Ex Phil. Fer.*

Tolle Crucem tuam, & sequere Iesum, & ibis in vitam æternam: præcessit ille bajulans sibi Crucem, & mortuus est pro te in Cruce; ut & tu tuam portes Crucem, & mori affectes in Cruce. Thom. de Kemp. l.2.c.ult.

S. BONIFACIUS EP. MART.
19.*Iunii.*

FUit BONIFACIVS Ottoni Imp. sanguine, plus amicitiâ junctus, quæ quidem tanta inter illos erat, ut cùm familiariter illum hic compellaret, animam suam identidem diceret. Liberalibus artibus omnibus, musicis præcipuè instructus, dum modulos in æde cognominis sibi D. BONIFACII instruit, cælesti Numine repentè afflatus, *heus!* exclamat, *quid vanam ego nominis umbram gero; quid Martyris titulum circumfero, si non victorias etiam & palmas? Superos testor, & cognominem Divum, aut non dicar* BONIFACIVS, *aut ero.* simul ad monasterium abiit Martyrii tyrocinia positurus. Avelli Ottoni animam suam vidisses. At ille bis tantùm in septimanâ cibum capiens crebrò interim corpus in vepres abjiciens ad martyrum patien-

tientiam se durabat. Pòst Romam profectus, & Archiepiscopatus honore mactatus, & jam ad purpuram aspirare ausus, in Russiam abiit. Ibi post multa ludibria rex cum Divo ita paciscitur. Si rogos geminos, qui juncti flammas sociarent, illæsus perambularet, tum sese etiam in Christianorum sententiam pedibus ambulaturum. Dictum, factum. BONIFACIVS per rogum, rex ad partes Catholicorum transit. Ad regis porrò exemplum innumera multitudo confluxit. Mox sua laborem præmia secuta. BONIFACIVS à germano Regis capite truncatus, nomini denique suo satisfecit. *Ex Pet. Damiano ap. Sur. in vitâ S. Romualdi.*

Vniversi Christiani agnoscant se regii generis, & sacerdotalis officii consortes. quid enim tam regium, quàm subditum Deo animum corporis sui esse rectorem? quid tam sacerdotale, quàm vovere Domino conscientiam puram, & pietatis hostias de altari cordis offerre? S. Leo serm. 3. in ann. Ass. suæ.

S. ROMUALDUS AB. 19.*Iunii.*

SPectator fortè ROMVALDVS adfuit, cùm parens duello germanum suum sustulit. Itaque cum animo suo putans censuit, quod pater manu, hoc se oculis parricidium perpetrasse. Quare ad noxam expiandam, concedere ad aliquod tempus in cœnobium statuit. Sed familiaritate cœnobitæ, nescio cujus, & aspectu è cælo semel iterumque ad se venientis D. Apollinaris captus, pedem, ne sæpiùs offenderet, nunquam jam referre in mundum statuit. Quare fundamenta Ordinis illius jecit, quem hodie Camaldulensem dicimus; qui quidem in quantum brevi fastigium assurrecturus esset, scalæ indicarunt ROMVALDO per quietem

tem visæ, in quibus suos pulchro ordine ad cælum vidit conniti. Neque dubitarunt nobilissimi quique proceres ex auiâ Ott. III. Imp. hâc viâ cælum petere. Ipse Imp. Romam abiturus, post reditum iisdem accessurum se spopondit. Sed ROMVALDVS illa subjecit: *Si Romam videbis, Ravennam ultimùm vidisti.* Nec fefellit. Redeuntem mors ex itinere insidiis suis excepit, documento futurum iis, qui cùm mundo exire laborant, iter tamen differunt, aut viarum ambages quærunt, cùm compendia haberent. Ad Cæsarem quoque Henricum cùm venisset ROMVALDVS, velut ad prædam accurrit aula, vestemque ejus pelliceam diripiens, ostendit quanti virum faceret, è cujus veste unicum pilum tanti fecit. Henricus ipse in eam vocem erumpere auditus est: *O anima hæc mea domicilium tuum haberet corpus!* Audi orbis. Cæsaris anima non credidit augustiùs se posse habitare, quàm in religiosi hominis corpusculo. *Ex Brev. Rom. & Sur.*

Mors non miseratur inopiam, non divitias reveretur, non generi cujuslibet, non moribus, non ipsi denique parcit ætati: nisi quòd senibus in januis, adolescentibus in insidiis est. S. Bern. l. de Pers. sustin. c. 4.

S. JULIANA VIRG. 19. *Iunii.*

NImirum etiam hæc rosa Florentiæ debebatur, ubi Ordo Servorum VIRGINIS floret. O aulæ mancipia, quid ad hæc VIRGINIS servitia vos? eja discite saltem honestam servitutem servire, neque Virginem erubescite Magistram in eâ arte habere, qui Palladem MARIAM salutatis. Fuit JVLIANA è nobili familiâ (Falconeriam dixere) sed in servitium MARIÆ à teneris abducta. Hebdomas illi sic agebatur, ut feriâ IV. itemque VI. ob Chri-

Christi patientis memoriam nihil omnino cibi; sabbatho panem tantùm, & fontanam admitteret. Intereà tamen animum cælesti pane pascebat, pincernis oculis meras lacrimas affundentibus; Christi tormenta quàm altè animo infixa gestarit, mors probavit, quæ in adverso pectore manifestam Servatoris à cruce pendentis imaginem ostendit, utique illi similem, quam vidisses, si cor inspexisses. Cæterùm multis jejuniis exhausta stomachi dolores contraxit ingentes, & ultimam ciborum nauseam. Et verò terrena, ut quæ nunquam illi sapiebant, facilè neglexit; at divinum cibum cùm sic ægra non posset accipere, fame scilicet credebatur ante mortem moritura. Voluit tamen in conspectum afferri Angelorum ferculum, saltem ut oculos famelica pasceret. Nec contenta jussit pectori applicari. Tum denique inter risum blandum expiravit, & ut scires saturam abiisse à mensâ sacrâ, nihil ex epulo sacro reliquum esse visum est. *Ex Ferrar.*

Scit quicunque sensum Christi habet, quantum pietati Christianæ expediat, quantum Dei servum & servum Redemptionis Christi deceat, unâ saltem aliquâ diei horâ Passionis & Redemptionis ipsius recolere beneficia. S. Bern. l. de Vit. solit.

S. MICHELINA. 19. *Iunii.*

LAborabat MICHELINA Pisaurensis eodem, quo matres pleræque, morbo, impotenti erga unicam prolem affectu: ei medicinam facere Syriana piissima fœmina cùm vellet, totumque contubernalis amorem Creatori affigere, diu frustra fuit: donec inter preces MICHELINA immutata, animo ausa est cum Deo paciscì, si filii curam in se

recc-

recepiſſet, nihil in humanis ſibi tanti fore, quo vel ad momentum temporis ab ejus ſervitio avocaretur. Acceptavit conditionem Chriſtus, eique de cruce pollicitus eſt, obicem pietatis illius ſeſe amoturum. Regreſſa domum filium exanimem reperit; cum quo ſimul ac ſupervacuas curas tumulavit, opes quoque, & cætera malorum irritamenta ſine gemitu abdicavit, omnia viciſſim ſancti amoris inſignia aſſumpſit: veſtem ſetis horridam cinctu ferreo corpori aſtrinxit; flagro ferreo conciſum corpus nuda humus excepit: pulvilli vicem truncus fuit: ſtipe ferè vixit, aut mercedulis ſui laboris. Quò quiſque à morbis deformior fuit, eò impenſius MECHELINÆ charitate ſublevabatur: ſatiſque conſtat exeſum elephantiaſi ejus oſculis perſanatum, quibus ſingula ægri ulcera libaverat. Ad cælum an. M. CCC. LVI. abiit. Flagrum ejus, cilicium, zonaque ferrea in Virginis Salutatæ templo aſſervantur, ſacræ militiæ tyronibus monſtranda. His armis cælum expugnavit femina. Sperabitis molliora viri? *Ex Chron. Minor.*

Sic propinquos ſicut noſmetipſos odio habere præcipimur; ut hos ad æterna rapientes, eorumq; carnalem gratiam, cùm præpedit, poſtponentes, diſcamus, temperata eos diſcretionis arte, & convenienter diligere, & ſalubriter odio habere. S. Greg. 7. Mor. c. 14.

S. NOVATUS PRESBYTER.
20. *Iunii.*

NOn jam Priamum aut Nioben Græcus Parnaſſus cantet in funera ſua fœcundos. At nos PVDENTI Senatorii ordinis Romæ viro NOVATVM & TIMOTHEVM filios geminos, totidemque filias PVDENTIANAM & PRAXEDEM gratulamur, om-

omnes cum ipso patre cælo insertos. Et felicitatem hanc tam sancta familia ducibus Apostolorum DD. Petro & Paulo debet, qui post hospitii tesseram PVDENTEM sacris undis admoverunt, & utianimum, ita animi socium corpus candidâ veste induerunt. Et servavit ille utramque ab omni labe eximiam, ædesque suas commune miseris hospitium fecit. Demortui virtutes hereditario jure sibi debitas liberi certatim involarunt, quamvis vivente, & arridente patre, idem jam fecerant. Ædes in templum versæ; patrimonium in paupere dilapidatum; tota familia (capita numerabat XCVI.) omnis sacro fonte lustrata; latebræ afflictis Christianis datæ; firmati nutantes; roborati morientes; mortui terrâ tumulati. Sacra à NOVATO & TIMOTHEO fratre omnibus ministrata. Denique non jam in templum tantùm, sed cælum migrasse domum tam sanctam dixisses. Certè cælo digna ab ipso cælo judicata est nobilissima hæc familia; in quam utinam more veteri transire ignobiles nos terræ filii aliquando possimus! *Ex Ferrar.*

Voca Deum Patrem, & da operam, quatenus tibi sit cælestis vita, divini mores, & forma Deitatis tota tua præferatur in formâ; quia cælestis Pater respondentes generi suo filios muneribus ditat divinis; degenerantes ad pœnalem revocat servitutem. S. Chrysol. serm. 71.

S. HEMMINGUS EP. 21. *Junii.*

IN HEMMINGO Aboënsi Pont. à primis annis jam eæ morum gemmæ emicuerunt, quæ infulæ olim majestatem decerent; ita jam tum in puero nihil puerile præter ætatem erat. A ludis omnibus alienus, totus studiis seriis jam tunc occupabatur, & in his ipsis unius DEI gloriam quærebat,

sem-

semper in cælum collimans unicum scopum suum, sed Christiano homini, ut non aberret, satis magnum. Et talis ille etiam duravit, postquam Collegio Canonicorum adscriptus fuit, nisi quòd tunc, ut alii nummorum, ille virtutum potiùs censum augeret. Dignum ergo tunc Superi judicarunt, cui D. Brigittæ ortum non sine miraculo nuntiarent. Visa enim est precanti HEMMINGO puella è nube lucidâ librum apertũ orbi porrigere, & vox ad aures ejuscemodi allapsa: *Nata est Birgero filia, cujus admirabili voce universus mundus personabit.* Sed & ipse HEMMINGVS pro concione saxa mollire, & ad DEVM feros animos voce suâ trahere, & jam Regibus etiam ac Pontificibus reprehensione aures vellicare; omnes intereà orationes incipere à VIRGINIS laudibus, & suis scilicet finire. Temporis avarus ad verba ótiosa mutus adfuit, ad epulas verò Tantalus. Pro oculorum portis excubabat, ne has ulla femina visa subiret, erantque tam sanctis vigiliis tessera illa verba è sacris nostris: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Inter preces sæpè aliò, moriens denique inter easdem in cælum est abreptus. *Ex Vite Aquil. Vastovii.*

Deus te, qui cælestem tibi Patrem vocas, ad cælestem vult tendere naturam, ut generi tanto vitâ respondeat; ne terreni mores degenerent, quos cælestis donavit & contulit natura. S. Pet. Chrysol. serm. 69.

B. ALOYSIUS GONZAGA
Soc. I. C. 21. Iunii.

MOriturus ALOYSIVS nascendo erat, si non parienti matri Mater MARIA affuisset. Inter prima ejus verba JESVS & MARIA feruntur, boni ominis. Puerulus etiamnum in singulis scalarum gra-

gradibus scalam cæli MARIAM salutavit. Hujus horas quotidie, Sabbatho etiam jejunus dixit. Ad hujus effigiem, quam Florentia ANNVNTIATÆ titulo colit, florem virginitatis consecravit, semper, dum vixit, intactum, quia HORTO CONCLVSO commiserat. Interim catenas flagelli, calcaria cilicii loco, quamvis currenti sponte, corpusculo admovebat, victus vix unciam appendebat, feminarum & chorearum hostis, Imperatricem, quam tres annos quotidie adibat, nunquam aspexit, precibus tam ubique addictus, ut loqui eum angulis dicerent, rectiùs Angelis dicturi. Ajebat frequenter: *Non videre se, cur non mortales omnes religioni se manciparent.* Et certè Senis cùm ad Sodales Marianos diceret, bene multis id persuasit. Ipse, cùm ASSVMPTÆ VIRGINIS die illa è cælo audisset, *Societatem* JESV *ingredere*; post longas cum patre pugnas, MARIÆ JESVM junxit. Hunc, quoties studeret, in genua provolutus vocare; hunc sub panis velo latitantem ante & post ludum literarium salutare; sacrificiis quinis seníve minister assistere, ad conspectum HOSTIÆ lacrimis manare; cùm verò eo epulo frueretur, inundare etiam. Itaque nullius noxæ gravioris sibi conscius Angeli nomen meruit; ut terra cælum dici posset, si plures Aloysios haberet. *Ex Virg. Cepario.*

Persuasum habe, perinde te Angeli ductum sequi oportere, atque cæcum quempiam, qui viarum discrimina ignorans, ejus, qui baculo gressum illius regit, providentiæ in omnibus confidit. Ex dictis B. Aloysii.

SS. ACHATIUS & SOC. MM. 22. *Iunii.*

QUale illud cælo spectaculum fuit, cùm dena hominum millia, pro optimâ causâ & amplifican-

ficando crucifixi nomine, crucibus penderent? Dux feliciſſimæ multitudinis ACHATIVS fuit, cui contra innumerabilem hoſtium vim pugnaturo Angelus victoriam ſpopondit, ſi Chriſtiana ſacra, à quibus alienus tum erat, cum ſociis ſuſcepiſſet. Placita conditio eſt; Chriſtum adoravit, pugnavit, vicit: utque Deum deinceps ritè coleret, cum victore exercitu in Ararathem montem ſeceſſit, ubi, Angelis magiſtris, omnes Deum amandi rationes feliciſſimis tironibus ſunt infuſæ. Quantum profeciſſent, patiendo, quod nobiliſſimum Chriſtianæ ſcholæ experimentum eſt, demonſtrarunt. Quinque in eos reges armati ſunt; qui cùm procellam lapidum primùm effunderent, ii Chriſti Athletas non auſi contingere, in funditores rediere. Flagris cùm ſecarentur, terra immanitatem non tulit, totaque intremuit. Quo miraculo permotus Theodorus, cum millenariâ cohorte Martyribus acceſſit, in præacutas ſudes muriceſque impulſi, viam complanantibus Angelis, nihil cladis acceperunt. Eò denique ventum, ut quæ Chriſtus tormenta tulit, in iis repeterentur. Ergo ſpinis redimiti, actique in crucem, per ingens montis ſpatium pependere optimi maximique teſtes injuriam cruci fieri, cùm mala res, & infelix arbor vocatur: periiſſent, niſi pependiſſent. *Ex Lippel. & Mart. Rom.*

Signum Crucis erit in cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit: Tunc omnes ſervi Crucis, qui ſe Crucifixo conformaverunt in vitâ, accedent ad Chriſtum judicem cum magnâ fiduciâ. Quid igitur times tollere Crucem, per quam itur ad regnum? Thom. de Kemp. l. 2. c. ult.

S. PAU-

S. PAULINUS EPISC. 22. Iunii.

NOvam artem PAVLINVS docuit; etiam cùm nihil est, egenis tamen aliquid dare. Cùm enim in amplissimâ natus familiâ atque ditissimâ, quam vocem CHRISTI adolescens Evangelicus non audiit, hic audisset, & in pauperes omnes opes erogasset, Antistes dein Nolanus etiã, cùm Wandalorum incursionibus Italia infestaretur, omnes reditus captivis in libertatem asserendis contulisset, jamque nihil suppetere videretur, unde unam spem viduæ filium redimeret; ingeniosiùs se ipsum servum feminæ addixit, quæ abductum in Africam cum filio scilicet permutavit. Ibi Regis socerum, cujus hortos curabat, de morte regis commonuit. Hic accersitum ubi primùm vidit, illum ipsum esse exclamavit, quem nuper inter cæli tribunalia conspicuum habuisset, quique flagellum, quod ad castiganda orbis scelera quondam acceperat, è manu rapuisset; quare & ipsum, & cum eo omnes vinctos Nolanos manu-misit, navesque in donum frumentarias complures addidit. Nolam igitur ingressus, pulchrum de servitute triumphũ egit, pluribus eum civibus, quàm Scipionem pileatis sequentibus. Sed liber animus corporis adhuc ergastulo clausus tenebatur. Tandem anno CCCC. XXXI. hic etiam vindicias secundùm libertatem à morte accepit. At tunc Nola, imò Italia iterum captam se putavit, libertatis suæ auctore amisso. *Ex Dial. S. Greg.*

Nihil tam divinum homo habet, quàm de aliis bene mereri tametsi ille majora, hic minora beneficia cõferat; uterq; nimirũ pro suis viribus. Fac, calamitose jis Deus, Dei misericordiam imitando. S. Greg. Naz. de amore Pauper.

S. MARIA DE OEGNIES. 23.Iunii.

EX ampliſſimo virtutum MARIÆ OEGNIACENSIS viridario flores omnes præter virginitatis lilium licet carpere. Hoc enim illi parentum importunitas invidit, qui invitam nuptiis illigarunt; quarum vix libato uſu, marito continentiam perſuaſit, magnâ Chriſti approbatione, cujus crucem nunquam ſine lacrimis, nunquam abſque ſuo aliorúmve bono adoravit. Militem genere, quàm moribus nobiliorem ſuis præceptionibus perductum ad frugem, malus dæmon ad infames naufragiis ejus ſcopulos retraxerat. Id MARIA longè abſens vidit tamen, & Crucifixi affuſa pedibus, precum finem non antè fecit, quàm infelici avulſum contubernio, Deo ſiſteret transfugam. Eandem ſibi apud Deum patronam animæ piacularibus ardentes flammis optarunt, ſupplices nonnunquam ad eam manus tendere viſæ: & verò quid illi cælum negaret, centies per diem flexo poplite ſupplicanti, trecentis plagis laceranti corpus, atro pane vexanti veriùs, quàm extinguenti famem, & ſanè non duraturæ inter hæc ſupplicia, niſi Angelorum præſentiâ foveretur, & familiari cum Dei Filio uſu, qui ſubinde ſuâ infantiâ amabilis, aliàs agni aut columbæ ſpecie decorus, ei delicias faciebat. Ab hoc illi mira in divinas laudes eloquentia, vires adversùs inferni larvas ſuppeditatæ, quarum cùm ſe una morienti ingereret, hoc ejus convitio fugata eſt: *Diſcede ſanies, & turpitudo.* Id quâ fronte dicent, qui per omnem vitam ſe tam cupidè in hujus belluæ fimeto volutarunt? *Ex Surio.*

Quid aliud Purgatorius ignis devorabit, niſi peccata

ta tua? Quantò amplius tibi ipsi nunc parcis & carnem sequeris, tantò duriùs postea lues, & majorem materiam comburendi servas. In quibus homo peccavit, in illis graviùs punietur. Thom.de Kemp.l.1.c.24.

S. JOANNES BAPTISTA. 24.*Iunii.*

IOANNES melioris Solis melior Phosphorus ortûs sui nuntium Angelum habuit. Ipse in matre jam sanctus, vix natus est, cùm mutum parentem loqui oracula infans fecit. Patriam domum cum eremo mutavit, & cibum locustas ac mel agreste, vestem cameli exuvias habuit. Inde anno Tiberii imperantis XV. viam CHRISTO munire exorsus, non tam verbis, quàm vitâ ad pœnitentiam scelerum hortatus mortales, animorum lavacro initium dedit, quod ipsum Servator sanctiùs tactu suo reddidit. Hunc ille itaque mundo Agnum ostentare, ad hunc è scholâ suâ discipulos rectiùs erudiendos amittere, & jam indignum se putare ad cujus vel ultimum servitium descenderet. Sed nimirum se ipso major, sacris etiam vatibus omnibus prælatus, & secundus à CHRISTO ab ipsomet CHRISTO est proclamatus. Et tamen tam charum cælo caput Herodes saltatriculæ filiæ pedibus donavit, & crudelibus oculis pascendis mensæ etiam inferri voluit. Itaque tunc, si unquam aliàs, lautè cœnavit gula. Quæ enim mensa tam nobile caput habuit? *Ex Hist.Evang.*

Ioannes sanctus homo missus à Deo, imò Angelus Dei innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic affligit; vos indui festinatis byssò & purpurâ, & splendidè epulari. S.Bern.serm.de Nat.S.Joan.

S. IVAN CONF. 24. Iunii.

MInùs multi à cælo aberrarent, si ducem bonum Angelum suum sequerentur. Secutus hunc præeuntem IVAN Regis Dalmatiæ filius, ne salutatis quidem parentibus, anno LVII. supra DCCC. in Bohemiæ silvas venit, & in his speluncam patriæ aulæ antehabuit. Cùm verò locum eum infestum à malis dæmonibus deserere pararet, obvius CHRISTI Prodromus Joannes cedenti animos addidit, & cruce datâ armavit. Hæc itaque signa ubi iterum in hostem vertit, victoriam illi eripuit, & quia maternas delitias aspernatus erat, nutricem DEVS cervam submisit, à cujus lacte, & ambrosiâ cælo depluente satur, facilè ex animo matris ubera delevit. Cæterùm in pias latebras tandem Borivojus Bohemorum Dux devenit, ducem cervam, quam diximus, secutus, telo trajectam. Multùm igitur lętus tam felici venatione, hortatu Ludmillæ conjugis lectissimæ matronæ, Tetinam arcem suam abduxit IVANEM. Sed hic exosus aulas, non multò pòst in spelæum suum iterum concessit, ubi posteaquàm annos II. & XL. egit, tandem lubens aliquando exivit ad aulam, sed cælestem illam, & in quâ nulli magis, quàm silvicolarum istiusmodi mores probantur. *Ex Nicolao Salio.*

Dole, quia Creatorem offendisti, cujus legem cælestia & terrestria, præter te, indefessâ statione conservant; & in tantâ Republicâ Dei tu solus peregrinus es, & Imperatoriæ Majestatis decreta non servas. S. Pet. Dam. serm. de S. And.

S. GAL-

S. GALLICANUS M. 25. Iunii.

GALLICANI victorias de Persis Scythisque relatas admirandi, illam, quâ seipsum triumphavit, imitandi jus esto. Eò gloriæ venerat, ut Constantiæ conjugium præmium militiæ poscenti Constantinus pater negare nihil sit ausus, modò Scythas Romanis finibus ejecisset. In eo dum est, milites panico perculsi metu, magnam partem dilapsi infrequentia signa reliquere. Anxio eâ re Gallicano Joannes & Paulus Constantiæ familiares, voti Deo nuncupandi consilium suggessere. Obtemperantem cælestis strategus crucem præferens, eo fretum signo, cinctumque, quos ipsi adduxisset, stipatoribus, sequi se è vestigio jussit. Ita per attonitos hostes ad ipsum Scytharum regem penetravit. Neque ille ausus hiscere adversus tantam vim, vitam pactus se suaque Gallicano permisit. Inde illi veri Numinis admiratio, ejusque ritè colendi ardor injectus. Romam deportato exercitu, abdicatâ conjugii spe, rebusque humanis valere jussis, seipsum Christianæ modestiæ finibus circumscripsit. Ille orbis terror, & secundus à Constantino Dux, pater pauperum, peregrinorum hospes factus, pedum sordes abluere, ægrorum lectulos sternere, inferre convivantibus cibos, obstupescente orbe terrarum, visus est. Julianus denique pestis pietatis hanc tantam virtutem proscripsit, & gladio addixit. Decuit nimirum ut toties victor cælum laureatus ingrederetur, triumphalem currum manibus pauperum trahentibus. *Ex Surio.*

Non est periculum quantumcunque te humilies, est autem grande periculum, si vel modicè plus vero te extollas; si vel uni te præferas, quem fortè parem tibi

veritas indicat, aut etiam superiorem. Quapropter noli te comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni. S. Bern. serm. 37. in Cant.

S. VIGILIUS EP. M. 26. Iunii.

VIGILIVM Pontificem Tridento Roma submisit annos non nisi XX. natum, sed jam tunc, si virtutes numerasses, grandævum. Ergo ab hæresi urbem, à superstitione deinde omnem latè viciniam purgavit. Eâdem operâ morbos, dæmoneſque hospites è corporibus proscripsit, fana diruit Deorum, & solo Veronensium & Brixiensium agro templa Deo extruxit triginta. Felicem se etiam credidit, cùm hospes hospitem D. Remedium excepit; sed magis oculos recrearunt homines mille & ampliùs, quos omnes à fide aberrantes in viam reduxit Remedius, & ad VIGILIVM adduxit. Cæterùm cœpta inter eos familiaritas semper deinde duravit; & ad morientem in solitudine Remedium accurrit VIGILIVS, ære campano ex pacto suâpte sponte monente. Justis deinde persolutis, cùm ædiculam Remedii in templum vellet consecrare, præveniri se ab Angelis per quietem lubens volens vidit. Porrò ad Aunaniæ etiam populos Legatos misit suos, quos cùm impii adorti neci dedissent, ipse in illos movit, debellataque superstitione, ubique locorum trophæum Christo victori Crucem fixit. Et jam reliqua vallis unica Randena erat. In hâc illi Superi triumphum decrevere. Nam cùm unus unicus in hostium cuneos irrupisset, & æreum Saturnum rectiùs cælo quàm Jupiter pulsurus, dejectum fractumque in præterfluentem abjecisset, ipseque jam basi statuæ deinceps insistens, ad concionem dice-

diceret, densissimo lapidum imbre petitus, ipsoque triumpho suo est obrutus. *Ex Ferrar. & to.3. Bav. S.*

Dilectio fraterna omnibus desideriis amplectendæ est, quæ tot bona potest habere, quot præmia: custodiendæ præ omnibus Virtutibus pax est, quoniam Deus semper in pace est. Locum non demus inimico, ne inter mella venena felle amariora confundat. S. Pet. Chrysol. serm. 53.

S. LADISLAUS C. 27. *Iunii.*

LADISLAVM Belæ primi Regis Ungarorum filium, imò MARIÆ vides; ita totus ab hujus uberibus, dum vixit, pependit, sed neque mortuus, ut audies, dimisit. Cæterùm vix alius regum tot virtutibus aut purpuram ornavit, aut coronam distinxit; ut minùs mirer, si legam aulam ejus ab Angelis frequentatam esse. Certè ipse ab Angelo germanum suum vidit coronari, sed & Angelum sub cervi schemate ignitis cornibus locum vidit signare, quo promissam MATRI MAGNÆ ædem conderet. Eorundem Cœlitum ope, cùm in multis aliis pugnis, tum in duello contra patruum suum Regem Salomonem victor evasit. Etenim cùm hic cum uno rem sibi LADISLAO crederet esse, conspexit sub congressum, contra duos præterea Angelos sibi certamen esse, qui gladio jam jam Salomoni graves imminebat. Noluit igitur, etsi Hercules sibi ipse videretur, in tot tantosque pugnare, sed abjecit arma, pacem coluit. Toties victor LADISLAVS coronam tamen ferre Ungariæ semper respuit, nobiliorem & immortalem ambiens, quam ut facilius obtineret, facere fortiter pro terrâ sanctâ constituit. In eâ proinde expeditione, cùm Dux lectus esset omnium copiarum, ecce

in ipso belli apparatu pulcherrimâ morte occubuit. Mortuus porrò, & currui impositus, sine jumentorum hominumque ope in templum, quod ab eo VIRGINI structum memoravimus, non tam vehi, quàm currere visus est. Obstupuit ad miraculum orbis: at non ego etiam. Nam cur filium mirer ad Matrem suam decurrere? *Ex Ant. Bonfin.*

Omnis delectatio hujus mundi, universa ejus gloria, quidquid denique in eo concupiscitur, prorsus modicum est, in illius beatitudinis comparatione; si tamen vel modicum dici debet, & non potiùs nihilum, & vapor ad modicum parens. S. Bern. serm. de S. Clem.

S. POTAMIOENA V. M. 28. Iunii.

FElices nos, bona si nostra, si quæstum virtutis & certa pietatis vectigalia noverimus: quantillo possumus ditescere! POTAMIOENA Alexandrina virgo formæ causâ cum multis conflictata procis, & in illo certamine superior, ex amoris palæstrâ in scenam crudelitatis transiit, ut ad pudoris lilia constantiæ laurum adjungeret. Aquila homo sanguinarius carnificinæ præerat, cujus in POTAMIOENAM omnem atrocitatem effudit, certus fidem illi vel vitam eripere: jactatam per omnia tormenta, denique ad rogum cum Marcellâ matre damnavit. Virginis ducendæ cura Basilidi demandata non omnino experti humanitatis, & mitiori ingenio, quàm pro tam barbaris ministeriis. Is ergo insultantem virgini multitudinem compescuit, magisque fidi custodis, quàm lictoris munus explevit. Hoc tantillum officium ne suo auctori periret, curæ sibi fore, moritura virgo promisit. Neque defuit dicto fides. Triduo à mor-

te exacto, ad Basilidem revisit, eique coronam civicam velut servatori suo imposuit. Ille ex donativo benevolentiam Numinis æstimans, statuit integrum stipendium mereri, & confestim auctoratus Christo, fidem illi abscisso capite probavit. I, dic magno constare cælum: quantulum dedit Basilides, ut ex lictore Martyr fieret? *Ex Euseb. Hist. Eccl. lib. 6. cap. 4.*

Sanctorum Martyrum esto discipulus: Hi ardentem rogum virtute Dei & fide vicerunt: vince igitur & tu ardentes concupiscentiæ flammas. Cruciatus superarunt, spe, quæ est in Christo, subnixi; tu quoque turpes passiones pudicitiâ & cogitatione pietatis superare contende. S. Ephr. de Laudib. SS. MM.

SS. PETRUS & PAULUS. 29. *Iunii.*

REctiùs hodie Roma, misso cum Remo Romulo, conditores suos PETRVM & PAVLVM salutat, quando huic melioris orbis imperium capite suo pepererunt. Et PETRVS quidem, qui pro CHRISTO in terris rem Christianam administravit, quæ ad ignem peccaverat, semper oculorum imbre plectens, cùm captus, & in vincula datus ab Herode, ab Angelo exemptus esset, morbos passim omnes vel umbrâ suâ fugasset; demum orbem in Urbe adortus, CHRISTI signa primus Romę intulit. Hîc ubi præstigiatorem Simonem in cælos (ut ipse quidem ajebat) volantem humi dedit præcipitem, Neronis furori cedens, CHRISTVM obvium habuit, qui rogatus quò iret, Romam ire se ad alteram crucem respondit. Implevit vaticinium CHRISTI continuò PETRVS; sed ut Magistro honorem cederet, inverso corpore tolli in crucem voluit, quò capite terris hoc pedibus cæ-

lo jam propior. Jam PAVLVS ille cæli etiam ante fata civis, ille nominis JESV per omnem orbem præco, post edita miracula, & literarum oracula quàm plurima, hoc ipso die PETRO triumphanti collega additus, securi percussus est. Caput sanguinis loco primò lac, deinde tergeminos fontes totidem saltibus dedit, oleum interim effusum, JESV nomen clamando immiscens. Agnoscerès tam pretiosis liquoribus refertum Electionis Vas esse. *Ex Hist. Eccl.*

Pro nobis facit Apostolorum vita, & doctrina, & mors ipsa: Etenim in conversatione continentiam, in prædicatione sapientiam, in passione suâ patientiam nobis contulerunt. S. Bern. serm. 3. de SS. Apost. Petro & Paulo.

S. ERENDRUDIS ABBATISSA. 30.*Iunii.*

ERat ERENDRVDIS D. Ruperti Noricorum Apostoli neptis, non tam sanguine huic, quàm virtute propinqua. Itaque magisterium in DEO devotas virgines jam tunc, cùm in Galliâ adhuc ageret, exercuit. Sed uti Rupertum virorum, ita ERENDRVDEM mulierum nec minùs potens invidia cedere è Galliâ coëgit. Itaque inter auxiliares copias, quas fidei bono in Boicas terras induxit Rupertus, etiam hanc numeravit, & exædificato ad Juvaviam Deiparæ honori Parthenone, illic collocavit virginem, matremque aliarum virginum voluit esse: quod officium illa sic implevit, ut non harum modò, sed pauperum omnium mater audiret, quibus tectum victumq; nunquam nō præbuit. Pedes etiam eorum lavare, ulceraq; velut gemmas gaudens tractare. Ipsa mensę accumbens, non tam corpus cibo, quàm animum piis de DEO collo-

colloquiis reficiebat, quo ut frueretur, dici non potest, quàm abire è vitâ properarit. Tumulum ejus ingentia miracula coronarunt : unum alterúmve denarro. Monachus in hereditatem D. ERENDRVDIS invaserat, ausus partē salinarii montis sibi asserere : & occupavit ille terram, quam petiit, sed subito fato in ipso loco, & perjurio extinctus. Aliam expertus est Henr. S. Cæsar, quī morbo tentatus, amuletum è collo suspendit anulum aureum, reliquiis virginis (gemmis utique grandibus) gravem. Atque hunc cum amisisset ille, & ab infesto morbo iterum oppugnaretur, præsentem iterum medicinam ad tumbam ERENDRVDIS reperit, ut qui se Henrico tunc debebat orbis, idem ipsum Henricum ERENDRVDI deberet. *Ex tom. 6. lect. ant. Canis.*

De terrâ es, & de terrâ vivis, & in terram reverteris. Certum est, quia morieris ; sed incertum quando, & quomodo, aut ubi : quoniam ubique mors te expectat, tu quoque, si sapiens fueris, ubique eam expectabis. S. Bern. l. Med. c. 3.

JULIUS.

S. RUMOLDUS EP. MART. 1. Iulii.

QUid mirum, ô parentes, si quos vobis DEVS tantisper concedit filios, cùm lubet, aufert iterum? Suum ille repetit, & quas vos in liberis delicias quæritis, amore, si fas est dicere, etiam ille deperit. Ita RVMOLDVM Davidis Scotorum Regis filium, non nisi precibus extortum, in tempore sibi iterum vindicavit, Angelo misso, qui juvenem edocuit, quantum æternatura regna perituris antistarent. Quare RVMOLDVS cælo jam tum oculos circumferens facilè sponsam, sceptrũ patrium & adeò humana omnia despexit. Sed & Pontificatum Dublinensem, cùm patre demortuo ad regni gubernacula abstrahere illum cives vellent, fugâ deseruit, iterum ad hoc optimo consiliario Angelo usus. Hoc tam bono Duce Romam, inde in Brabantiam profectus Adoni Comiti precibus suis apud DEVM filium impetravit, & hunc ipsum, ut bis se RVMOLDO deberet, aquis haustum in vitam restituit. Inter hæc dum templum alienâ liberalitate, sed suis curis, ædificat, geminæ operæ consilium viri è medio tollendi ceperunt, opum, quas ingentes penes ipsum credebant, hereditatem paricidio adituri. At tanti sceleris merces fuit nummus tergeminus repertus. Corpus in fluvium abjectum cæleste prodidit lumen, quod omnem ab eo loco noctem fugabat. Extraxere igitur piscatores RVMOLDVM mortuum, ingentem tamen vel talem Adoni comiti prædam. *Ex Lippeloo.*

Expecta quotidie finem vitæ, & ad iter illud te para;

quâ

quâ enim horâ minimè putas, mandatum afferetur: væ autem illis, quos tunc imprudentes opprimet & imparatos. Cordis compunctio est curandis hominum animis medicina. S.Ephrem de Vitâ spirit.

S. EBERHARDUS EPISC. 1.*Iulii.*

EBERHARDVS gente Bojus, genere Comes, cùm è Collegio Bambergensium Canonicorum ad Religiosorum se juvenis transtulisset, à suis inde nolens extractus & in Gallias est amandatus; ut (quod hodie etiam amat fieri) cum veste mores sanctos & sanctiora proposita poneret. Sed non præpotuêre Numini amicorum inimica consilia. Redux enim in idem monasterium se abdidit; Biburgensi dein Asceterio, mox etiam Salisburgensi Episcopatui jussus præesse, in miseros, si quisquam alius, pius fuit. Itaque Promum Condum etsi seniculum insequi hospitem Biburgo Ratisponam usque compulit, &, quem transeunti negaverat, vini haustum deferre: ipse, cùm Italiam peteret, ægræ mulierculæ equum cessit, & pedes Apenninum conscendit. Elephantiacorum cùm & corpora & animos curaret, reddente ex his uno cum vomitu Divinum Epulum, ore suo omnia excepit, nec multò pòst cognovit, sub ægro illo CHRISTVM latitasse virtutis suæ exploratorem. Dum vixit, nulli unquam quidquam MARIÆ nomine petenti denegavit, ideoque mortuum nonnemo sinu MAGNÆ MATRIS velut infantem foveri vidit, & nectare, quod ipsa illi VIRGO libavit, inebriari. Quid hîc agitis, Sodales Mariani? Matrem esse vestram MARIAM vultis? pauperum patres este. Et profectò aut filii MARIÆ non estis, aut Fratri EBERHARDO sinum invidetis. *Ex tom.2. Henric.*

Henric.Caniſ.& tom.1.Bav.S.

Vtinam ſapiamus ad præſentis vitæ moderationem! utinam intelligamus ad præteritæ correptionem! utinam devotâ in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus, ipſo miſerante, conſummationem! S.Bernard.in ſerm.2.de SS.Pet.& Paul.

S. SIMEON SALUS CONF. 1.*Iulii.*

QUiſquis veſtium ſplendorem quæris, cum SIMEONE, ſi oculos habes, videbis, ſi animum, etiam indues. Nempe cœnobium ingreſſo cùm adoleſcentulus nuper religiosâ veſte indutus occurriſſet, vidit cæleſtem inter comitatum multo lumine inſignem & Angelico habitu regiáque coronâ exornatum incedere. Quare eandē dignitatem cum JOANNE fratre tam diu ambivit, dum uterque eſt potitus. Sed & Philoſophum videſis in uno SIMEONE geminum; Heraclitum inquam & Democritum, ſed Chriſtianum. Nemo alius tam doctè aut flendo riſit, aut ridendo deflevit mundi inſaniam. Nempe Emeſam urbem ingreſſus mortuumque canem fune trahens omnes pueros poſt ſe, mox omnem civitatem traxit, fuitque Sapientiæ Magiſtro riſus, plauſus; convitia & verbera, merces, & ingens quidem nihil aliud quærenti. Interea riſum comitata ſunt compluria miracula. dæmones mali alapâ pulſi, cantu proſcripti; carbones ſive in pallio ſive in manu, innoxii ſplendorem virtutis prodidere. oculi ſinapi, aceto, allioque curati, hæretici & infames mulierculæ ſapere à Stulto docti, qui ſcilicet jam oracula etiam dabat. Et fuit cum flagello urbis columnas aliquammultas caſtigavit, illud addens *ſtate: ſaltandum vobis eſt.* & ecce ſaltarunt illæ terrâ movente,

ſed

sed steterunt cadentibus aliis. Pueros alio tempore quamplurimos perbenignè salutans in ludo supplicavit pro his Magistro, ne cæderentur, quòd longum illis iter instaret. Et hoc eis nimirũ mors indixit paulò pòst per urbem grassata. SIMEONIS quoque funus cùm pauculi homines curarent, adfuere Angeli, &, lessum an epinicium? cantarunt totius Orbis Mimo. *Sur.*

Per Christum sensibus innovatus abjectâ seculi hujus figurâ, formam tuam in formam tui reduc Salvatoris, ut novitas sensuum tuorum in tuis actibus eluceſcat, & cælestis homo cælesti habitu jam gradiatur in terrâ. S. Pet. Chrysol. serm. 120.

VISITATIO B. MARIÆ V. 2.*Iulii.*

REDIBAT in astra Numinis ad MARIAM legatus, quem venturum terris nuntiaverat, cælo venisse nuntiaturus. At VIRGO DEO jam plena visendi ad cognatam Elisabetham studio in viam se dedit. Hanc monstravit, qui sub utero ivit comes, ingens MATRI, sed dulcis sarcina. Hic viæ laborem temperabat, hic properantibus pedibus alas addebat, ut expeditior nunquam iverit MARIA, quàm sic onerata. Jam sub aspectum mutuum venerant geminæ cognatæ, jam in amoris vincula brachia coiverant, cum gaudio gestiens in Elisabetha infans VERBVM in utero latens ex utero prodidit, jam tum vox clamantis. Tunc novo prodigio virginitas sterilitati, & sterilitas virginitati fœcunditatem est gratulata: tunc, quas texere Angelus cœperat MARIÆ laudes, pertexere Elisabetha, Domini Matrem salutare, quæ Ancilla venerat, super omnes illam mulieres efferre, ipsum cumprimis laudibus in cælum tam sancti uteri hospitem

ſpitem tollere. Itaque oraculis domus perſonare, VIRGO lætitiâ etiam ipſa exultans, quo DEVM magnificaret, carmen canere, cui omnem palmam vates concedent. Certè ut Superi delicati ſint (quippe dulci ſemper Muſicæ aſſueti) tunc tamen terræ cantus probarunt: nec hodie puto faciliùs aures Marianis præbent, quàm MARIAM MARIÆ verbis laudantibus, tunc præſertim, ſi vox Virgo accedat, quam dicere auſim tam libenter audiunt Angeli, quàm nos Angelorum audimus. *Ex Hiſt. Evang.*

Sit in ſingulis Mariæ anima, ut magnificet Dominum; ſit in ſingulis ſpiritus Mariæ, ut exultet in Deo: Nam etſi ſecundùm carnem una mater eſt Chriſti, ſecundùm fidem tamen omnium fructus eſt Chriſtus. S. Amb. l. 2. Com. in Luc.

S. OTHO EP. POMERAN. APOST.

2. *Iulii.*

OTHONEM Pont. Bambergæ Suevia donavit. Præter Xenodochia, ſtructaque vel reparata templa quàm plurima, monaſteria exædificavit XXI. Hominum DEO ſacratorum aſpectu præcipuè delectatus gaudebat his ſive ſacrificaturis, ſive ad menſam accubituris miniſtrare & fercula oſculo condire. In Pomeraniam cùm moviſſet ſuperſtitionē expugnaturus, multæ illi pugnæ fuere, ſed victor etiam, cùm vapularet, abivit. Tandem manus dedit Regio, poſtquàm Pont. verbis blandis & munuſculis captos duos adoleſcentulos, illi alios, hi alii iterum alios & parentes deniq; ipſos ad ſacra noſtra induxerunt. Ita poſt OTHONEM Apoſtolos Pomerania pueros habuit, quos, ubi ſacro fonte luſtrati ſunt, à profanorum ſocietate remo-

remotissimos voluit, ut neque jam lusus illis communis esset, quorum mores dissimiles esse oportebat. Bambergam redux vitam reliquam egenorum subsidio porrò impendit, magno operæ pretio. Nam vidit nonnemo in altissimo monte (Olympum diceres) ab omnis ætatis & sexûs hominibus palatium OTHONI è solidis gemmis adornari. Quid igitur superbia architectos toto orbe conquiris, ut cælum tibi in terris struas, quando obvios hos quotidie habes? Si nescis, cæci sunt, qui aream rectè designabunt: claudi sunt, qui tam pulchra saxa convehent; manci debilesque rectè absolvent, & in cælum tam nobile ædificium educent. *Ex DD. Bamberg. Gretseri.*

Dulcis Domini JESV *memoria, ô juvenis, fixa semper inhæreat in mente tuâ: ut exercitationis tuæ cursus palmæ coronam accipiat. Tempus enim instat, in quo strenui præmia, ignavi ignominiam accipiant.* S. Ephrē de Exercitatione.

S. LANDFRANCUS EP. 3. *Iulii.*

NObiles cunas LANDFRANCVS Papiæ Italiæ urbe habuit, nobiliores nutrices, Musas. Harum in sinu non profanam modò, sed & sanctiorem sapientiam imbibit, ut *Lumē Magisterq;* Theologorum jam tum audiret. Sed poterat hic Magister ampliùs in fortunæ ludo quid discere. Ecce enim dum Gallias petit, in uno omnes captivæ bonæ artes abducuntur. Tulit ægrè ab initio servitutem tam liberaliter educatus; obstrepentibus puto in vinculis, liberioribus, è novem, Sororibus. At rectiùs severiores monuêre. *Et, nimirū, ajebant, hoc tu fortunæ didactron etiam Magister debebas; discipulus sanè hujus, si in captivo liberum errare animum*

nescias;

neſcias; Si poëta es, abſolves fabulam: ſi orator, perſuadebis animo deditionem. Iam philoſophus Orbem, etiam in hoc anguſto carcere perambulabis; denique ſi Lumen es, ſi Magiſter, pulchriùs in tenebris lucebis, & DEVM è vinculis laudabis. Ad hæc LANDFRANCVS tam cœpit amare ſervitutem, ut amiſſus ex hac continuò cœnobio ſe mancipaverit, utque in ſchola tam ſanctâ rectiùs proficeret, illiteratus videri voluerit. Sed Itali inſtitores, quibus iter illàc erat, aperuere, quàm doctæ merces ſub rudi cucullo laterent. Itaque primò ſcholis, mox aſceteriis, tum etiam Cantuarienſi Eccleſiæ præfectus, anno M. LIX. nobilem hæreticum Berengarium, ſpectante & applaudente Româ, devicit. Triumphum tamen illi mors in annum LXXXIX. diſtulit. *Ex Arnoldo Wion.*

Hujus vitæ dulcedinem relinquentes, jam nunc de futuris ſæculis quotidie cogitando etiam in hoc corpore præguſtare conemur; & excluſâ de ſenſibus noſtris ſæcularium deſideriorum amaritudine, quendam beatitudinis ſaporem cordibus noſtris attrahamus. B. Cæſar. hom. 26.

S. UDALRICUS EPISC. 4. *Iulii.*

MUltum ætas tenera nutricibus debet, quæ lac dederunt; plus illis, quæ pietatem inſtillarunt. Ipſe è cælo UDALRICVS adſtipulabitur. Hunc puerum VViborada ſanctiſſima virgo leviculè fortè cinctum caſtiore de lino cingulo donavit, juſſitque primò liberioribus ſermonibus nec linguam daret nec aurem; tum, quos mundus ſocios dictitat, hoſtes duceret; mollem Cupidinem cilicio abſterreret, ejus flammis ſub pectore graſſantibus, verbis Eccleſiæ in adjutorium DEVM exciret,

exciret, simul digito in focum immisso incendiis incendia opponeret; feminas denique, vel se feminâ auctore, fugeret. His monitis velut lacte virtus UDALRICI crevit ridentis irridentium coævorum turbam, qui cum ludibrio, sed sine mendacio, Sanctum jam tum clamabant. Sed graviora testimonia jam Pontifici cælum dedit, è quo manus delapsa sacrificare cum UDALRICI manu est visa: Fluvium nunc in perforatâ navi, nunc sine illâ siccus trajecit: Contra Barbaros Augustam Vindelicorum obsidentes Ottoni Imp. præsentiâ suâ nobilem victoriam peperit: VIRGINIS Augustanæ bona adversùs rapaces manus tutatus commilites Cælites habuit, qui variis pœnis in prædones pugnarunt. Multis aliis miraculis illustris fassus tamen est pœnas se Numini debere, quòd successorem sibi nepotem (ceterà dignum) legisset. Proinde non nepotes sed pauperes fecit hæredes, in quos moriens etiam supellectilem sparsit. Sed nimirum sic vasa colligunt Pontifices in cælum migraturi. *Ex vitâ.*

Quid tibi necesse est, in eâ versari domo, in quâ necesse habes quotidie aut perire aut vincere? Quis juxta viperam securos somnos traxit? quæ etsi non percutiat, certè solicitat. Securius est, perire non posse, quàm juxta periculum non periisse. S. Hieron. Ep. 47.

S. VVILHELMUS ABB. *5.Iulii.*

BOjariæ hic VVILHELMVS debetur, ex qua oriundus Monachum Ratisbonæ induit. Hîc omnibus omnino artibus excultus, Matheſin tamen præ cæteris coluit, quod multa atq; præclara monumenta ipsius loquuntur literis consignata. Eloquentiæ tantæ erat, ut sanctiorem Orpheum diceres,

diceres, qui saxa etiam traheret. Præsul Hirsaugiensis in miseros tam pius fuit, ut his vestiendis non semel pænè se ipsum nudarit. Sed nimirum fœnus à nullis majus, quàm ab his ipsis, qui reddere nihil possunt, avarus speret. Hoc certè VVILHELMVS tunc tulit, cùm in suorum usus pondo argenti V. ab ignotâ terris sed non etiam cælo manu abstulit. Quid jam horrea memorem, quæ, quòd VVILHELMI liberalitas exhausisset, subitam miramque messem; quid cellam, quæ effuso per negligentiam vino, novam in dolio vindemiam viderunt? quid piscatum feliciſſimum? cùm missum sæpiùs in aquas rete præter laborem inanem diu nihil, pòst imperio Divi Christique nomine immissum ingentem piscium prædam retulit. Taceo hæc aliaque à morte miracula; & revocatam per VVILHELMVM ad primas leges D. Benedicti per omnem ferè Galliam & Germaniam familiam, & ad Religiosæ vitæ amorem vilissimaque in hac munia excitos Nobiliſſimos juvenes laudo, piscatum priori longè præferendum. Cæterùm astra sua VVILHELMVS propioribus oculis aspexit anno Christiano M.XCI. *Ex Trithemio.*

Eleemosynam, quantum possumus, & quamdiu vivimus, & ipsi habere, & aliis impendere festinemus, ut securi possimus in die Iudicii dicere; Da Domine, quia dedimus; nos fecimus quod jussisti, tu implè, quod promisisti. B. Cæsar. hom. 15.

S. GOAR CONF. 6. Iulii.

IURE meritissimo inter Apostolos suos GOAREM numerant Trevirenses, ut quibus ille superstitione implicitis inter primos DEVM nuntiavit. Sed dum illum æquis auribus vel maximè audivit popu-

populus, iniquis invidia oculis ſpectavit. Quare more ſuo ſubornavit, qui apud Archiepiſcopum innocentiam ejus inſimularent. Gemini erant è fraudibus & mendaciis compoſiti. Eos GOAR ad ſe venientes, ut vindictam Chriſtianam ſumeret, amicè accepit & ad menſam invitavit. Sed eadem invidia, quæ non niſi infelicitate GOARIS paſci, nec bibere niſi hujus ſanguinem avebat, reſpuit aliis famem aut ſitim pellere. Quare ex itinere defeciſſent ſcilicet, niſi ſemper ad vindictam vigilans GOAR feras Chriſti imperio advocaſſet, & earum lacte recreatos hoſtes animam ſibi feciſſet debere. Ad tribunal Archiepiſcopi ubi ventum, luce clariùs meridianâ apparuit innocentem eſſe GOAREM, quando pallium ſuum in ipſius ſolis radiis ſuſpendit. Adhæc ex puero projectitio cùm juſſu Archiepiſcopi nomen parentis quæſiiſſet, ecce facundiſſimus infans linguâ digitoque ipſum Archiepiſcopum prodidit. Erat hoc ſcilicet abſolvere reum & Judicem damnare. Quare populus ad infulam GOAREM velle vocare, & cùm reſpueret, vim amicam inferre. Sed ab hac iterum illum ægritudo abſolvit, quam precibus à cælo extorſit. Præſtare credidit morbo quàm ambitione laborare. *Ex Surio.*

Procul contentiones, procul lites, procul maledicta mittantur, & quia laqueus eſt mortis lingua ſuſurronis & bilinguis, parcat unuſquiſque animæ ſuæ, ne in ſupplicium ſuum vincula ſibi mortis innectat. Ama pacem & tranquilla ſunt omnia. S. Pet. Chryſol. ſerm. 53.

S. GODELEVA MART. 6. *Iulii.*

QUoties fallit Amor, poſitâque larvâ tyrannum ſe oſtentat? Ecce hic etiam dies exemplum

plum oculis exhibet. Adverte animum quisquis blanditiis ejus credis neque fallacias caves. Deperibat GODELEVAM nobilem virginem nobilis item juvenis Bertulphus. Verùm cùm primùm ex voluntate parentum domum Sponsam deduxit, amor ille omnis in odium degeneravit, & primâ jam nocte aspectum non sustinuit ejus ferre, cujus absentiam mortem nuper crediderat. Quare vel enecare vel certè à sese abigere aggressus, non nisi unicum panem quot diebus dedit. At illa patientiâ ad omnes injurias obarmata, cùm multa animi grati significatione accepit, & hunc ipsum cum pauperibus sibi communem esse voluit tam diu, dum fugam ad parentes nudis pedibus coacta fuit arripere. Cæterùm cùm sacri homines sese interposuissent, iterum domum GODELEVAM duxit Bertulphus, sed efferendam. Siquidem binis servulis ad omne scelus exercitatis, ut laqueo, dum ille domo abit, suffocarent innocentem, imperavit. Virtuti cælum pluribus portentis parentavit. Nam panes, qui sub funebrem diem in miseros erant spargendi, in furno numerum suum longè superaverunt. Aqua, in quam abjectum funus erat à parricidis, medicinam morbidis propinavit. Ipsa humus in loco supplicii egesta in lucidissimas gemmas abiit, ne ampliùs quisquam dubitaret pretiosam in conspectu Domini mortem Sanctorum esse. *Ex Surio.*

Libidinis vitium expelles, si orationi assiduæ incumbes & sobrietati; si mentem à malis cogitationibus cohibebis; si nullum proferes vanum verbum; si ad templum accedes frequenter; si mortem & diem Iudicii identidem recogitabis. S. Ephrem. de vit. spirit.

S. VVIL-

S. VVILLIBALDUS EP. 7. Iulii.

ANimæ cælo natæ eheu ! exilium amamus, patriæ obliviſcimur. At non ita VVILLIBALDVS è regiâ Anglorum ſtirpe pulcherrimus floſculus. Vix enim mundum ſeque adeò circumſpexit, cùm illico peregrinum agnovit, ideoque exire hinc quàm ocyus, nec ſolus voluit, ſed in laudatiſſimi facinoris ſocietatem VVunebaldum Fr. & VValpurgam ſororem, quin Richardum etiam regem parentem excivit. *Si neſcis, Pater, peregrini hîc etiam reges ſumus. Quin igitur is, quò SS. virorum per omnem orbem veſtigia, atque adeò Chriſti te ducunt. Exi, ah! exi regno ! niſi exis, ſcilicet efferere.* Ergo purpura penulæ, ſceptrum baculo, corona galero cedit; atque ita digna Regibus Anglis expeditio Romam, inde Hieroſolymam adornatur. Ultimùm, ut hanc etiam ſuæ peregrinationem cruces comitarentur, in illo itinere patrem, in hoc oculos amittit. Recepit tamen hos ad urbem ſanctam appulſus, viditque deinceps tam bene, ut excæcatis tum à Gentilitiâ ſuperſtitione Germanis dux à Gregorio Pont. datus fuerit, quem quidem annis XXXVI. egregiè præſtitit, & nobilem hodie Epiſcopatum Eyſtetenſem condidit. Sed inter omnia ejus (quæ multa & immortalia) facinora, illud princeps eſt, parentem è regno ſecum ad DEVM abduxiſſe. Eant nunc deliri ſenes, querantur ultimo ætatis adminiculo orbari ſeſe, ubi è mundo filius abit. Abeundo VVILLIBALDVS, an non parenti ſcipio fuit? *Ex Philippo Eyſtet.*

Semper tibi diſpliceat quod es, ſi vis pervenire ad id, quod nondum es. nam ubi tibi placuiſti, ibi remanſiſti.

Semper profice; noli in viâ remanere; noli retro redire; noli deviare. S.Auguſt.ſerm.5.de verb.Apoſt.

S. PROCOPIUS M. 8.*Iulii.*

SAulum aut Saulo ſimillimum Neaniam vides: quippe à Diocletiano Alexandriam miſſus, quò Chriſtianos illìc exſcinderet, & ipſe Chriſtum obvium habuit, & quidem è cruce ſibi loquentem. Multùm igitur ſe aberraſſe animadvertens aliam viam deinceps ingreſſus eſt, & fabre fieri ſibi ex auro crucem fecit illi geminam, quam nuper viderat. Hæc ſigna vix intulit Agarenis, cùm nobilem victoriam abſtulìt. Sed, quod mirere, victori bellum alterum, bellum crudele mater movit, quæ pietatem filii, quâ fractos pedibus aureos argenteoſque DEOS pauperum manibus in ſpolium juſſit cedere, ſub impietatis nomine ream egit. Sed vincto omnibuſque tormentis exercito patronus cum Cælitibus Chriſtus adfuit, & ſanguine jam ſuo pulchrum ſacrâ undâ amplius lavit, & abhinc PROCOPIVM dixit. Atque hic ille PROCOPIVS eſt, qui unus contra omnes carnificum manipulos ſtetit, quique priùs quàm gladio cervicem ipſe, ſibi Tyrannum non unum ſubjecit. Qua in re iterum Paulo ſimilem illum rectè dicemus; in illo etiam ſuperiorem, quòd Chriſto moriturus filius matrem peperit. *Ex Metaphr.*

Si invenis melius, quàm videre faciem DEI, *illuc te præpara: ne tali amori tuo, ſi vel ſuſpicaris aliquid pulchrius, quàm eſt ille, à quo eſt omne pulchrum, quod te teneat, ne illum cogitare merearis.* S.Auguſt. in pſal.43.

S. CHI-

S. KILIANUS CUM SOC. MM. 8. Iulii.

VTi Hiberniæ Italia Columbanum, Gallum Suevia, ita Francia Orientalis KILIANVM debet. A Musis mansuetioribus ad omnem humanitatem efformatus Monachũ induit, & Sacerdotio initiatus cœnobii præfecturam accepit. Sed ingenuus qui in pectore bulliebat sanguis majores ausus est honores sperare, & generosâ morte Martyrũ nobilitatem velle mercari. Igitur in Britanniam, mox inde in Galliam, per hanc in Germaniam se penetravit, & Herbipolim Franciæ Orientalis metropolim pervenit, Colomanno & Tornano viæ propositique pulchri comitibus. Vix crucis signa explicata, cùm debellata superstitio, & ipse Dux Francorũ Gosbertus sub jugum Christi est missus. Sed restabat cum muliere bellũ, semper viris etiam periculosum. Geila hæc fuit fratris olim Gosberti conjunx, tunc pellex hujus, & quia hanc consilio KILIANI Dux ædibus parabat ejicere, ipsa priùs KILIANVM sociosq; (absente Duce) vitâ ejecit, & corporibus Divorum stabulum superædificavit. Monitus KILIANVS ab Angelo de morte obviàm hostibus processit, iisdemq; verbis, quibus Christus Judam, salutavit. Martyrum porro sanguinem linteo excepit matrona Burgunda. Locum stabulantes equi nullis sordibus contaminarunt. Sicarii malè omnes perierunt, fuitq; qui sceleris sui furiis agitatus clamaret, nunquam non sibi imminere gladium KILIANI sanguine calentem. Ipsa Geila pœnas datura carnificem dæmonẽ habuit. *Ex Sur.*

Beatus, qui ab omni abhorret turpitudine peccatorum; seque hostiam viventem & Domino acceptam offert. Beatus, qui semper in seipso Dei memoriam colit;

erit enim totus velut Angelus cæleſtis in terrâ cum reverentiâ & amore ſacrificans Domino. S. Ephrem in Beatitudinibus.

S. LANDRADA V. 8. Iulii.

SCitè LANDRADA Virgo genus ſuum, quod è Principum Gallorum ſtemmate ducebat, novit æſtimare, dum deſpectis, qui multi illam deperibant, terræ filiis omnibus, uni Agno intactam ſervavit ſeſe. Doluit id multùm parentibus, ut qui generos, qui nepotes ſperabant. Sed maluit illa familiam emori, quàm virginitatem; & ſatis ſe oblectabat numerosâ, quam domi alebat, pauperum ſobole. His illa ultima ſervitia exhibere, interim pretioſum pudorẽ ſub vilibus ancillularum pannis tegere, denique quò tutior hic foret, in ultimas ſolitudines aſportare; ſi tamen ſolitudines rectè dicimus, quas ab adventu ipſius Cælites deinceps cantu ſuo frequentarunt, lumine exhilararunt. Et fuit, cùm hi ipſi, feſtiva inter tripudia, Mnemoſynon illi à ſponſo crucem artificioſam è cælo detulerunt. Huic illa mox aram; aræ templum; templo ſe ſuaque dicare ad ultimum vitæ diem uſque. Ab hoc ſpectabilis Lamperto Epiſcopo tumulum eo in loco ſe velle ſignificavit, in quem delapſa primùm Crux foret: quod ne fieret, cùm homines interceſſiſſent, bonam operam boni Angeli locarunt, ſuiſque manibus caſtiſſima membra eò deportata compoſuerunt. Tam nobiles Virtus Veſpillones habet. *Ex Surio.*

Memor eſto arrepti propoſiti, & imaginẽ tibi propone Crucifixi: Benè verecundari potes, inſpectâ vitâ JESV *Chriſti, quia nec dum magis te illi conformare ſtuduiſti, licet diu in viâ* DEI *fuiſti.* Tho. de Kemp. l. 1. c. ult.

S. ANA-

S. ANATOLIA V. M. 9. Iulii.

RECTÈ lilium dixeris virginitatem, sed spinas easque plurimas inter. Vel ANATOLIA palàm id facit, pulcherrimi candoris & ipsa lilium, quod ubi carpere procus impudens desperavit, ex amatore hostis factus; Fidem apud Judicem accusavit, cujus castimoniam non potuit. Itaque ex veteri sed pessimo more in exilium virtus mittitur. Sed fallor. patriam putasses, ita in honore etiam ibi fuit. Etenim cùm Diodori Viri Consularis filius (Anianum dixerunt) à malo genio correptus sæpenumero discruciari ab ANATOLIA se clamitâsset, quin ruptis subinde vinculis ad illius pedes abjectus, missionem tandem accepisset, ilicet ea fama totum Piceni agrum pervasit, ut jam commune omnium morbidorum asylon virgo exul esset, jamque tam felix exilium invideret Decius, ideoque huic vincula, equuleos & flammas superadderet, quin etiam Audacem nobilem magum evocaret, qui immanem in virginem serpentem armaret. Sed pepercit hic virginitati, non item magistro suo Audaci, utpote in cujus collum ita invasit, ut nisi manum auxiliarem virgo tulisset, pereundum illi ab hoc collari fuisset; quam tamen sic Audax cervicem serpenti, Christianus posteà gladio non subduxit, quo ANATOLIA denique etiam trajectu pudorem sanguine tinxit, hoc est liliis rosas miscuit. *Ex Surio.*

Si nobis sputa, quæ sine peccato projiciuntur, horrorem faciunt in vestibus nostris, putas cogitationes libidinosæ, quas diabolus ingerit, qualem horrorem faciunt Deo in animabus nostris? B. Cæsar. hom. 3.

S. FELICITAS M. 10. Iulii.

FELICITATEM in manibus habes, matronam in quâ unâ omnem Spartam Roma extinguit. Stat ecce ad tribunal plena animis, &, qui matrem coronat, globum filiorum in tyrannum agit. *Ne, ne oculos in tyrannum filii, aut quas hic minatur pœnas, sed cælum, sed quæ cælum promittit gaudia, defigite. Ite, ostendite etiam suos Romanis Machabæos esse, implete nominis mei omen; facite ut sim, quæ dicor, Felicitas. Septem estis, si pueri, certè numero tyranno superiores. Sed & mater adero, pugnabo in singulis, in omnibus triumphabo. Votum pugnæ hoc est, ut nostrûm ex acie vivus nemo discedat.* Talia mater filiis: at matri tyrannus colaphos ingerebat. MOX JANVARIVS virgis cæsus ridet puerile tormentum. Negant FELIX & cum PHILIPPO SILANVS sive à fratribus sive à Christo avelli posse. Jam ALEXANDER clientelam Imperatoriam offerenti Christi se Libertum respondet. VITALIS porrò edicere Judicem jubet dæmoníne malo an DEO Opt. serviendum? Denique rectissimè MARTIALIS cassis minis serias Orci pœnas opponit. Has itaque inter pugnas, plumbatis, fustuario, præcipitio ferroque omnis fraterna acies cadit. Et potuit in septem Germanis trecentos Fabios spectare Roma. FELICITAS certè spectavit, & oculis suis tot sibi oculos erui videre sustinuit, dum ultima à ferro est mortua. Si tamen mori jam potuit septies mortua. *Ex Surio.*

Quid tempore judicii facturi sumus, quando contra Crucifixi Domini livores notæ peccatorum nostrorum, & maculæ libidinum proferentur? quo vultu respiciet redemptio nostra perditionem nostram? tantò graviora erunt

erunt noſtra delicta, quantò majora ſe oſtenderint divina beneficia. S.Cæſar.hom.23.

S. GOLINDUCHA M. 11.*Iulii.*

PArciùs multi cœnarent, ſi cum GOLINDVCHA nobili apud Perſas matronâ. Epulo aſſidebat illa, cùm ecce tibi, dum alii gulam, ipſa Superis invitantibus oculos ſuos paſcit. Tollit hos Cælo, & quæ Cælites convivia actitent, ſpectat; poni ambroſiam, miſceri nectar videt invidetque. Inde ad inferos demittit, & eſurire micam, ſitire guttam epulones, interque hos, prô dolor! etiam parentes ſuos advertit. Ipſa ſcilicet ad Chriſtum Chriſtique fidem ſe vertit. Succenſuit conjunx, ſociamque thori ad Saporem Regem fide minimè maritali defert. Hic octo ipſos annos in carcerem; tum quatuor menſes in antrum compingit à dracone inſeſſum. Cùm hoc etiam monſtrum virtus domuiſſet, in infamem cellam abducitur; ſed hinc à Tutelari Angelo educitur. Inde ad ſupplicium rapitur; ſed ab hoc iterum eripitur. quòd tamen nimium quantum ſanguinem pro Chriſto geſtiret fundere, vulnus in jugulo, ſed ab hujus cruore medicinam omnis id loci æger accipit. Hoc porrò monili ſuperba GOLINDVCHA cùm locos à viris ſanctis nobilitatos permultos adiiſſet, cælo tandem ſe intulit, & inde ad Saliares epulas ſuas etiam oculos Marianorum invitat. *Ex Menæis & Theophylacto.*

Quid tam pavendum, quid tam plenum anxietatis, & vehementiſſimæ ſolicitudinis excogitari poteſt, quàm judicandum aſtare illi tam terrifico tribunali, & incertam adhuc expectare ſub tam diſtricto judice ſententiam? S.Bern.ſerm.8.ſuper B.qui habitant.

S. JOANNES GUALBERTUS.

12. *Iulii.*

EN vatem, en pauperum Patrem, en Ascetarum Magistrum, miris multis maximisq; illustrem! Nosse vis unde illi hæ artes? semina audi melioris vitæ. Petit JOANNES armigero stipatus Florentiam patriam urbem : angusto in calle obvium habet hostem à cognato sanguine calentem. Scilicet in iras animus, in gladium GVALBERTVS assurgere, & parricidium certè homicidio velle pensare. Quid ageret saxum inter & aram hostis ? Ecce bonum in arenâ consilium! ad genua irati descendit, utque ignoscat per orantem è cruce pro hostibus suis Patronũ Christum orat. quid exspectas? vincit brevis sed fortis eloquentia. iris animum, ferro manum exarmat. verbo , amici discedunt. Sub hæc in ædem sacram JOANNES pergit, & ecce Icon suffixi in crucem Christi capite annuens gratias habet ex suo nomine inimico veniam non neganti. Quid ad ista , ô Pyrrhæ genus ? vos inquam, quibus pectus immite plusquàm æs triplex asperat, jurati hominum & in homine DEI hostes, & quos hoc unum juvat, non solos perire. Judice precante , reo non ignoscitis rei ? tantus è cruce Orator, tot ora vibrans quot vulnera non persuadet ? lignea movet se imago, vos duratis ? annuit Christus, vos abnuitis ? Ite, ite Sampsones egregii, & tumulum hosti, sed unà vobis parate. *Ex Surio.*

Dum nos invicem odio habemus, ita muros civitatis Hierusalem contra nos claudimus, ut nobis nullus aditus remaneat, per quem intrare possimus: nam qui charitatem habere noluerit, quâ fronte ad DEVM, *qui charitas est, præsumit accedere?* B. Cæsar. hom. 4.

S. JU-

S. JUSTINA V. M. 13. Iulii.

GEmina Dorotheæ JVSTINA est, consimili fere morte & prodigio à morte consimili illustris. Parentibus orba cùm esset, forma tot hostes illi conciliavit, quot procos. At illa, ut cui in amoribus solus JESVS erat, suam etiam Christianis Penelopen ostendit, & mortales procos facilè cæteros elusit; cum Fabiano Præside plusculum fuit luctandum. Devorandæ enim alapæ, ferenda verbera, & uberum carnificina. Atqui hæc inter supplicia talem JVSTINA vultum præ se ferebat, ut inter paradisi amœnitates, quas unas tunc loquebatur, obambulare sit visa. Et opportebat alteri Dorotheæ alterum etiam Theophilum esse. Zeno hic fuit è judicii subselliis primus. Is, cùm virgo ad supplicii locum ridens contenderet, rogavit fructus peregrinos sibi è Sponsi hortis transmitteret. Annuit capite truncanda JVSTINA. Mox latus Zenonis pusio molliter pulsat, & donum à mortuâ virgine strophium missum exhibet. Tunc quoque risit, cùm strophium acciperet, qui horti munera sperabat. Sed nesciebat ille sub strophio fructus [illegible]tere. Hoc enim dum frontem ridens tergit, ecce omnem animo superstitionem abstergit, Christum & se Christianum tam diu clamat, dum lingua è faucibus exsecaretur. Caput demum pro Christo ponit, &, quod alii tam grave putant, cælum ridendo meretur. *Ex Ferrar.*

Quousque hîc erimus affixi? adhæsimus terræ tanquam vermes; in cæno volutamur: corpus de terrâ nobis Deus contulit, ut ipsum in cælum retrahamus; non ut animam per ipsum ad terram detrahamus. S. Chrys. hom. 55. ad pop. Ant.

S. HENRICUS IMP. 14.*Iulii.*

GEmmam Romanæ Coronæ unicam hîc exhibeo HENRICVM. genuêre Bojorum Duces, D. VVolfgangus educavit. Quid ni ab his bonum Imperatorem ſperes? Certè Imperium à ſe ipſo auſpicatus Virgo idemque conjux in triumphum Cupidinem duxit. Hoc ſubacto, facilè alios Imperii hoſtes omnes fudit, tum præſertim, cùm Æther illi militavit, & aciem, cui votum ante pugnam fecerat, D. Laurentius & cujus gladio accinctus erat, Adrianus, tum Georgius Angeluſque præiverunt. Sed ô lepidam fortunæ faciem! Tantus belli Imperator ecce à pueris vincitur. Obſidebat Trojam Apuliæ urbem, juratus nec imbelli ætati parcere. Cives ſive armati, ſive ſupplices in urbem repulſi. Ad triarios nempe res rediit. Erumpit ergo apertâ portâ puerile totius urbis agmen: ſignum Crux præit; barritus unus omnium, idem Kyrie eleiſon auditur. quid multis? primâ pugnâ HENRICVS capitur, & urbs libertate potitur. Adhuc gravior ille conflictus fuit, quem mortuus cum acie infernâ habuiſſe, Dæmonis, qui rem in ſuis oculis geſtam narravit, fide creditur. Is enim viro Religioſo expoſuit, nutaſſe illic cum lance HENRICI cauſam, donec iterum ſuppetias ferens Laurentius, calicem ſibi donatum pro clypeo objiciens, rem reſtituit. Id niſi more ſuo Dæmon confinxit, præſidentem eſſe oportet, cui cor non palpitat. *Ex DD. Bamberg. Iac. Gretſeri.*

Convertatur amor tuus, ut nihil diligas, niſi DEVM *ipſum, aut certè propter ipſum: convertatur etiam ad ipſum timor tuus; quia perverſus eſt timor omnis, quo metuis*

metuis aliquid præter eum, aut non propter eum: sic & gaudium & tristitia convertantur ad ipsum: hoc fiet, si non nisi secundũ eum doleas, aut lateris. S. Bern. de Jej.

S. BONAVENTURA EP. 14. *Iulii.*

COntrà quàm hodie fieri amat, BONAVENTVRAM mater ultrò Deo & D. Francisco devovit. Apud hunc pietatem doctrinæ ita junxit, ut dubiam altera alteri palmam faceret. Magnum testimonium Alexander de Ales est, non peccasse Adamum in BONAVENTVRA. Ipse D. Thomas miratus raram in viro doctrinam, bibliothecam suam ut monstraret, rogavit: ille digitum in Crucifixum intendit. Tantus ad purpuram tamen plus ipsâ purpurâ erubuit. quin quod aliquoties indignum se putavit, qui sacro Epulo accumberet? Sed dignum esse Angeli monstrarunt, cùm felicem sportulam ad os BONAVENTVRÆ ultrò portarunt. Moriturus cùm vomitu laboraret, lateri Cibum Divinum jussit admoveri, & ecce inde ad ipsum Cor se EVCHARISTIA penetravit. Quid jam miramur hoc (uti & caput) multis annis a morte integrum ab omni tabe repertum esse? Porro, dum vixit VIRGINIS unicè studiosus fuit. Itaque auctorem eum Sodalitatum inter Laicos, quos vocant, faciunt. Certè in D. Lucam ideò libentius lucubrationes scripsit, quòd is de VIRGINE plura suggereret. Pulsum quoque æris campani, quo excitì sub noctem venerabundi ter MARIAM salutamus, BONAVENTVRA instituit, rectè, cùm humanas linguas laudibus VIRGINIS succumbere videret, in auxilium vocans ferrea ora & ferreas linguas. *Ex vitâ & Thom. Bozio.*

Non sic timent hostes visibiles castrorum aciem, sicut

aëreæ potestates MARIÆ *vocabulum, patrocinium & exemplum: pereunt sicut cera à facie ignis, ubicunque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, solicitam imitationem.* S. Bon. in spec. B. V.

S. TUSCANA VIDUA.

14. *Iulii.*

AUdite qui vestrâ jam expugnatâ, alienam oppugnatum itis pudicitiam; pugnæ vestræ aleam ex aliorum fortunâ colligite. In TVSCANAM oculos sed castos conjicite; cui ad miraculum formosæ nihil è toto muliebri mundo ita ut virginitas placuit. Ergo ad nuptias nobiles imprimis adduci non potuit; trahi, cogi debuit. Et jam liberaverat longiore metu mors conjugis pavidam, cùm amor infestus aliâ ex parte bellum intulit. Tres, qui sub Venere merebant, juvenes, impetum in ædes castissimæ facere, & diripere pudorem constituunt. Addit animos visa TVSCANÆ forma, imò audaciam pudor proscriptus. Dum precibus illa pugnat, fenestra ordine proditores accipit. Sed ecce ut primùm princeps è hostibus intrat thalamum, cadit humo afflictus à malo dæmone. Eadem secundi, eadem tertii fortuna. Adsunt interea parentes, veniamque atque adeò vitam victis à victrice TVSCANA exorant. Nam hæc precibus suis lacrimisque omnibus vitam infundit. Ergo à morte tergemini adolescentes surgunt, narrantque cum lacrimis, quibus illic suppliciis mulctetur Venus. Mox animos expiant, & jam victuri moriuntur. At TVSCANA tot periculis pudorem expositum videns, precibus

precibus & assiduis jejuniis munivit, dum à præsentibus in morte Cœlitibus ad stipendia illis verbis est evocata: *Veni Sponsa Christi* TVSCANA, *accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.* Similem cupis Mariane? vincenti dabitur. *Ex Ferrar.*

Omni studio cave tibi à corpore mortuo in incendio cupiditatis. Objice menti tuæ ignem illum inextinguibilem, & vermem illum, qui non habet finem; & carnis inflammatio confestim extinguetur. S. Ephrem. de Exercitatione.

S. JACOBUS NISIB. E. 15. *Iulii.*

ILle JACOBVS est, qui Pontifex Nisibensis mira oppidò egit. Pauca è multis hæc habe. Contra jus & æquum sententiam nescio quis Judex tulit. Hic contra Judicem JACOBVS testem produxit saxum verbo in sexcentas partes diffractum. Sub aliud tempus hominem Divo objecerunt fictè mortuum. Ille precibus primò verò mori, tum precibus iterum non fictè fecit in vitam resurgere. Jam Sapori Persarum Regi urbem obsidenti, ita Numine volente, ex muro ipse Imperator esse est visus; mox in ejus exercitum ingens culicum agmen armavit, castrisque tam levi milite exuit. Illud non minùs lepidum est. Lavabant ad fontem non Dianæ sed Veneres. Et facilè, ne Actæon fieret, JACOBVS oculis imperasset, sed aures invitas procax sermo & leno risus pulsabat. Succensuit improbitati & suas fonti aquas ademit, puellis intempestivos canos addidit. Ilicet ad horum aspectum erubescere denique leviculæ, & lacrimis fontem velle reparare. Et hunc quidem restituit civibus Pontifex, at canos (quò cum his saltem

saperent) perpetuos esse jussit. *Ex Surio & Virid. Raderi.*

Nullus homo sibi solùm vivit, & quantoscunque exemplo sanctæ vitæ ædificaverit, cum tantis & pro tantis mercedem retributionis beatæ vitæ accipiet & quantiscunque exemplum malæ conversationis, etiamsi eum non sequantur, præbuit, pro tantis se malis noverit rationem redditurum. S. Aug. serm. 1. de temp.

S. VITALIANUS EP. 16. Iulii.

CApuæ natus VITALIANVS virtutis præmium à patriâ Insulam tulit. Fuerunt tamen qui decus hoc inviderent alieno capiti, suo quærerent. Et placuit insuper, cùm vel maximè seriò rem agerent, fabulam tamen dare. Dormienti vestes suas auferunt, & in locum muliebres reponunt. Has ad preces matutinas vocatus imprudens induit, & templum petit VITALIANVS. Enimverò ridentibus aliis non riserunt scelerum sartores. Meretricio habitu contemeratam Insulæ majestatem clamant. Proditam tandem histrionicam vel ab ipsâ nocte sanctitatem. Parum fuisse cum mulieribus noctes, dies agere, nisi totus denique in mulierem abiret. Viderent nunc cives an non rectiùs colum quam pedum mulieri committerent. Si viri essent, non laturos sic stolatum Episcopum. Si expiare urbem vellent, monstrum (Episcopum feminam) aquis sepulturos. Quid multis? dum patrono caret innocentia, in mare abjicitur, non jam eluente sed faciente parricidium culeo. Sed quis innocentiam mergeret? Emersit more suo; & cælum ingratis civibus aquas & cum his segetem negavit, dum VITALIANVM revocarent. Unà igitur VITALIANVS & imber è cælo missi excepti-

que.

que. Sed ille non fidens honoribus, DEIPARÆ Templum ſtruxit, vivenſque in hoc privatus invidiam ſub VIRGINIS pallio impunè jam riſit. *Ex Ferrario.*

Anima, quæ amat, aſcendit frequenter & currit familiariter per plateas cæleſtis Ieruſalem, viſitando Patriarchas & Prophetas, ſalutando Apoſtolos, admirando exercitus Martyrum & Confeſſorum, choroſq; Virginum ſpeculando. S. Aug. Man. c. 24.

S. ALEXIUS CONF. 17. *Iulii.*

THeatrum eſt Orbis, in quo ſæpiùs malè multi divitem, ſed bene pauperem egit ALEXIVS. Patrem Romæ habuit Euphemianum ſenatorii Ordinis; Sponſam Regii ſanguinis. Sed quâ nocte Hymenæus pedem thalamo inferebat, ſponſum non reperit. Nempe noctis beneficio elapſus Edeſſam aufugit, ibique inter mendicabula tam diu latuit, dum ab effigie DEIPARÆ, ad cujus templum aſſiduus excubabat, eſt proditus. Tunc Romam rediit, & (quis credat?) in patriâ domo feliciùs perſonam diſſimulavit. Hîc cum è tantâ hereditate vix ultimum angulum ædium impetraſſet, riſit ſcilicet, cùm domi ſe agentem quæri in alieno orbe videret, cùm parentes ſe orbos, ſponſa viduam ſe lamentarentur, cùm utrique præſentem inclamarent, vivum lugerent. Spectabat interim ſiccus ſuorum lacrimas, vivus ſuas exequias; appellabat patrem matremque, nec filius audiebat; baſiabat ſervorum ſuorum manus & ab his ſervilia multa patiebatur, jam pugnis contuſus, jam ſordibus perfuſus. Sed demum mors ſiparium reduxit. Vox etenim humanâ major Romanum & Pont & Imp. ad demortuum excivit. Ibi ALEXIVM prodiderunt vul-

vultus astro similis & literæ in manibus repertæ, quibus ipse fabulæ totius argumentum descripserat. Et placuisse fabulam Cælum ostendit, cùm miraculis applausit, toties plausus repetiturum, quoties fabulam juventus. *Ex Metaphr.*

Vis obtinere cælum, quod perdidit superbiens angelus, qui confisus est in virtute suâ, & in multitudine divitiarum suarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. S. Bern. serm. 1. de Omn. SS.

S. SYMPHOROSA CUM VII. FF. MM. 18. *Iulii.*

RElIquit Getulius Mart. post se conjugem SYMPHOROSAM & VII. filios. Bonum factũ! è tantâ familiâ neminem reperias degenerem. Scires illam Martyris uxorem, hos filios esse, qui sanguine tincta parentis vestigia fortiter insisterent. Ergo Adriano Imp. sistitur animosa cohors; & ecce mater ducit. Blanditiis, minis, tormentis omnibus pugnatur. Sed vincunt in filiis mater, in matre filii, dum ante oculos patris volat memoria, & Martem ejus, quem fundi viderant, sanguis accendit. Cumque mater in præterfluentem cum appendice saxo abjicienda esset, *Præo*, clamabat, *filios ad victoriam mater. Si filii estis, ad patris dexteram & matris sinum etiam per tela & ignes curretis. Ecce morior; pulchra mortis heredes quos nisi filios dicam meos? Iamq; valete: ego mulier per undas portum peto. Si viri estis, per vulnera viam in cælum animo facietis.* Dixit & undis mersa, quò voluit, enatavit. Postridie fortissima turba iterum producitur, singulique ad palum ligati statuuntur, quasi verò in hâc pugnâ tyrones & non veterani jam essent. Inde CRESCENTIVS ferro guttur, JVLIANVS pectus, PRIMI-

TIVVS

TIVVS umbilicum, NEMESIVS cor trajicitur, & omnes adversa vulnera sibi gratulantur. Jam EVGENIVS in duas partes, at JVSTINVS, ut ampliùs augeret fraternam aciem, membratim dissecatur. Denique STACTEVS omnium telorum stat scopus. Neque jam Tyrannus prohibere potuit, quò minùs fratres secutus ad astra evolaret: pennas tot sagittæ addiderunt. *Ex Rom. Brev.*

Est bonorum Adolescentulorum timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam; quæ ornamenta sunt minoris ætatis. S. Bern. l. de Ord. Vitæ.

S. ARSENIUS C. 19. *Iulii.*

ARSENIVS bonis artibus & virtutibus juxtà clarus Arcadium & Honorium Theodosii Aug. filios literis imbuendos & pietate accepit: quod muneris tanti pius Imp. fecit, ut eum non filiorum modò sed suum etiam parentem dici voluerit. Quid? quòd ubi sedentes pro dignitate stans docuit, interveniens Theodosius stare imposterum filios & audire sedentem jussit, timendas imperii secures literatis scholæ fascibus submittens, quos cùm in gravius delinquentem Arcadium strinxisset ARSENIVS, necem ille Doctori inferre molitus est, penè Nero ex Arcadio factus. Adeò non jam primùm bonorum Magistrorum didactron odia & insidiæ sunt discipulorum. ARSENIO interim vox cælo hæc accidit: *fuge, tace, quiesce.* Fugit itaque sed aulæ servitutem: tacuit Eremi discipulus, sed Doctorem Angelum habuit. Hic vana hominum studia illi depinxit primò in Æthiope, qui levando, cui impar erat, oneri, alia

atque

atque alia identidem ligna adjiciebat; tum in homine, qui aquas ridiculè cribro hauriebat: demum in duobus, qui cum tigno transverso angustam subire portam contendebant; è quibus primus peccantium, alter ambitiosorum, duo alii invidorum erant typus. Denique beatâ morte ARSENIVS quievit annos natus C.XXI. & tunc etiam talisque mortem horruit. Certè vivus semper cum strophio visus est, quod lacrimas biberet, quas mors exprimebat, expressura etiam nobis, si cum ARSENIO memoriæ impressam altiùs gestaremus. *Ex Metaphr.*

Necesse est, ut illucescat dies patientiæ, per quam omnia dura tacitâ amplectaris conscientiâ, te magis dijudicans, cui displicent, quæ ad salutem sunt, & in cogitatione tuâ semper partem Magistri adversùs temetipsum juvans, teq; accusare, illum excusare laborans. S. Bern. serm. de Circumc.

S. MARGARITA V. M. 20. Iulii.

MARGARITAM in manus damus, vel cælo judice pretiosam. Adolescentula clam parentibus Sacra nostra edocta est. Eam ob causam ad Olybrium Præsidem raptata fuit, ipso (nefas!) parente filiam accusante. Gravius etiam periculum cudebatur, quando Judex à formâ MARGARITÆ captus amatorem induit, & mollibus armis, blanditiis pugnam movit. Elusit tamen insidias Virgo prudens, & Præses larvâ amoris positâ tyrannum prodidit. Virgis initio cæsa, tum uncis lacerata & in carcerem data. Ibi quoque fatigatam recens hostis Orcus excepit, Draconis exuviis horrendus. Sed hunc objecto scuto Crucis repulit precumque jaculis confixit. Victrici Superi tro-

phæum

phæum posuerunt Crucem mirè splendentem, & è cujus apice columba solatia dedit & omnibus vulneribus medicinam. Triumphum hunc primum ornarunt XV. millia hominum in libertatem Christianam è Deorum servitute asserta. Non multò pòst iterum pugnatum, & in triumphum ducti ignis & aqua. Nam & faces ardentes pectori admotas in sancti amoris flammas, & aquas, in quas abjecta erat, in baptismum vertit DEVS. Iterum ergo triumphanti columba illa divina palàm coronam imposuit. Invidit Olybrius, & caput laureatum gladio abstulit. Sed imprudens alteram coronam adjecit. *Ex Surio & Lippelvo.*

Diabolicæ tentationis tibi proponuntur exempla, ut & ipse contra hostis callidi deceptoris insidias solerter evigiles, & dum te delectat aliorum audire victorias, ipse te per languidi corporis ignaviam non remittas. S. Pet. Dam. l. 6. Ep. 21.

S. DANIEL PROPH. 21. *Iulii.*

AGite Mariani, si virtutis ardua, si tesqua piget calcare, ecce ille magnorum regum vates, ille leonum & adeo Deorum domitor per pomaria illuc vos ducet. vos modò ne oculos otiosos afferte, sed obambulando ipsum pudicitiæ florem Susannam spectate. Anne videtis, uti nec formæ decor, nec locus solus, nec blanditiæ minæve hunc possint decerpere? nempe sola non fuit, quæ secum in oculis ubique Numen circumtulit. Certè hoc suis in oculis Susannã tulit. Etenim, agite modò capita scelesta, eja populum in vestram perniciem cogite, accusate innocentiam damnandi à puero senes. Et, quid tu ais? scelus. ubi facinus patratum? sub *schino.* euge! & tu Orci silicernium, ubi?

ubi? sub *primo*. papæ! neque mentiri scitè didicistis. Io! Innocentia triumpha. nunquam patrono cares. At vos capulares Veneris columbos jam lapidantium manus palpabunt. quid saxa, quid moras trahitis? obruite eja improbas Cupidinis victimas. Epitaphium ego dabo. SVB SAXIS AMOR HIS IACET SEPVLTVS. *Ex Dan. ipso.*

Differunt quidem inter se homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute: illius castitas felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur; sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco & tempore statum quendam immortalis gloriæ repræsentat. S. Bern. ep. 42.

S. DANIEL ABB. 21.*Iulii.*

IMpetraverat à Deo DANIEL hæredem viro, quocum illi hospitii familiaritas intercesserat. Itaque hic eum patronum, at malevoli patrem etiam pueri vocabant. Sed pro innocentiâ pronuntiavit Innocentia altera. Infans nuper natus, qui jussus à DANIELE patrem palàm edicere, digito in verum parentem conjecto, *hic*, ajebat, *pater meus est*, atque ita simul patronum suum absolvit, simul calumniatores improbos damnavit. Sub hæc cùm DANIEL Eulogium latomum cerneret in egentes præ aliis pium, precari apud Deum instituit, plures opes submitteret tam bene prodigo. Et annuere DEVS est visus, si pro Eulogio sponderet, divitias fraudi morum integritati non futuras. Convenit, spopondit DANIEL. Igitur Eulogius cum saxis thesaurum eruit, ad aulam abit, honores mercatur, struit palatia, emit mancipia, splendidè ac lautè victitat. Adest DANIEL officii sui amicum commonefacturus, sed surdam ad pauperis vocem januam reperit, verberibus

pro

pro stipe oneratus. Anxius proinde cum à CHRISTO crucifixo exsolvi vadimonio postularet, annuit Filii nomine MATER MAGNA, mox etiam ipse FILIVS, eâ lege ne simile posthàc vadimonium faceret imprudens. Interea Eulogius mortuo Imperatore, honorum fastigio opibusque omnibus excidens in laromias suas postliminiò devolvitur, mox cum paupertate pauperum amor & unà virtutes omnes ab exilio revocantur. Tam malè, ô Divites, vitæ sanctitati cum divitiis, tam bene cum paupertate convenit. *Ex Pet. de Nat.*

Prorsus beati pauperes Christi, quorum fides sic elusit sapientiam mundi, ut soli, quis sit optimus divitiarum usus, invenerint, quòd videlicet divitiæ pauperem faciant, si diliguntur; divitem & beatum, si pro Christo contemnuntur. Guerric. serm. de omn. SS.

S. WANDREGISILUS C. 22.*Iulii.*

EXemplo in paucis memorando WANDREGISILVS nobilissimam Sponsam conciliavit Christo; ipse Dagoberti aulam, cujus comes erat, Asceterio posthabuit. Inde revocatus regis imperio ad ipsa palatii limina currum rusticelli eversum magno labore, majore sui contemptu, è luto sustulit. Risêre scilicet aulæ mancipia, cùm principem animum in cœnum abjicere se viderunt. At intempestivos cachinnos castigavit DEVS censor, quando, qui vestes purgaret WANDREGISILI luto aspersas, è cælo palàm Ephebus adstitit, & servitia tam nobilia rex ipse Dagobertus invidit. Cum bonâ igitur hujus veniâ deinceps compluria Cœnobia WANDREGISILVS nobilitavit, unum etiam ipse extruxit Fontinellense dictum, & sub signis monachos CCC. numera-

meravit. Habuit verò ad hæc hortatorem Angelum, qui & testem se rectè factorum & verò apud Superos præconem etiam fore pollicitus est. Interea, qui Divo necem parabat regio saltui præfectus, à malo genio correptus, sospitatorem WANDREGISILVM sensit. Annonam egenti monita à cælo Regina Blitildis misit. Æger acie tamen Dæmonum aciem vicit, & de victoriâ gratulantes Cælites audivit. Demum ne de cælo ipso dubitaret, triduo antè hoc visum est morituro patere. *Ex Surio.*

Multi de Deo sperant pecuniam; multi de Deo sperant caducos honores & perituros, aliud quidlibet à Deo præter ipsum Deum: sed tu ipsum Deum tuum pete. Relinque omnes amores; pulchrior est ille, qui fecit cælum & terram. S. Aug. in Ps. 39.

S. MARIA MAGDALENA.
22. *Iulii.*

MAGDALENA, quæ omnium in spem peccantium animos erigit, utinam etiam in pœnitentiam erigeret. Tantum lacrimarum potuit lavacrum, cùm aquas amor oculis deplueret à flammis suis calentes, cùm ingeniosus è capillis lintea texeret. Ergo tot dæmonum malorum nuper hospitium, CHRISTI fit hospita, hujus sermonibus frui & amoribus digna est, ab hoc apud Simonem de audaciâ, apud sororem de otio, apud Judam de prodigalitate accusata defendi semper meretur, apud hunc fratri defuncto vitam exorat, hunc nardi odoribus recreat, ministra per Judæam sequitur, & in crucem sequitur; hîc pedes lacrimis iterum lotos, iterum oculis siccatos tumulo condit dolore plena, mox redivivos ambit gaudiis ebria,

ebria, & lætissimi nuntii ad Apostolos nuntia. Quid? quòd hunc etiam ipsa Apostoli vices functa in ipsas usque Gallias Massiliam portavit, & populos nova amoris magistra amare Crucifixum docuit. Hunc illa inter silvas maximè & loca sola venabatur, & in nudo lectulo Crucis, quam illic loci Angeli defixerant, indagabat. Audires jam saxa edocta & littora barbara JESVM suspirare, JESVM ingeminare; cùm interim sæpiculè hic ad Dilectam è cælo inviseret, illa sæpè sæpiùs ad Dilectum ab Angelis in aëra, tandem in cælos etiam raperetur. *Ex Evang. & Silv. Prierate.*

Si nos esse peccatores novimus & esse nolumus, pedibus Christi demus lacrimas, figamus oscula, pietatis oleum totâ devotione fundamus. Imitemur Magdalenam, quam conspicimus non solùm caruisse peccatis, sed ad sanctitatis verticem pervenisse. Petr. Chrysol. serm. 2. de S. Magd.

S. BRIGITTA VID. 23. *Iulii.*

VIxdum septennis erat BRIGITTA, cùm jam coronâ donari meruit à cæli IMPERATRICE. Hæc eadem acu pingenti in opere adesse Magistra visa est. quidni ab hac Pallade edocta pulchrè pingeret? Eodem ferè tempore CHRISTVM velut tunc primùm in crucem suffixum vidit, dictitantem facinus hoc eorum esse, qui suos amores negligerent, mundi sectarentur. Inde illa dolenti tam condoluit, ut quoties patientis mentio fieret, testes continuò doloris lacrimas daret, feriâ item VI. semper plagas animi nudaret, corpusculum ardenti cerâ perfunderet, herbas ore manderet amarissimas gustui, sed quas medicus amor condivit. Viro nupta vitam egit tam sanctam, ut obstetri-

can-

cantem è cælo manum commodare VIRGO parienti non dubitarit. Ipsa Matris officio tum se functam putavit, cùm DEO prolem transcripsisset. Filium certè, cui lacrimis cælum emollierat, ipse DEVS filium lacrimarum vocavit. Jam quoties illam loqui homini contigit graviori labe aspersо, oberrare ipsam naribus Mephitim credidit. adeò malè olentes animas scelerati trahitis! A morte conjugis novas religiosè vivendi leges viris virginibusque scripsit, quas ipse Legislator CHRISTVS illi dictavit, cui etiam præsenti, anno suprà M. CCC. LXXIII. animam reddidit. Mortem illius orbis ideò minùs tunc ægrè tulit, quòd vivere etiam mortuam in filiâ Catharinâ crederet. *Ex Surio.*

Quæ anima semel didicit Dei præsentiam suspirare, & quærere faciem ejus semper, nescio an vel ipsam gehennam experiri ad tempus horribilius ducat, quàm post hujus studii gustatam suavitatem exire denuo ad illecebras, vel potiùs molestias carnis. S. Bern. serm. 25. in Cant.

S. CHRISTINA VIRG. MART.
24. *Iulii.*

DIcite, quotquot Musas colitis, quid virgine felicius, si Doctorem habere Angelum meretur? Certè virgo CHRISTINA habuit, & Christianæ doctrinæ rudimenta cùm ediscceret, ab ore Angeli pependit. Nempe sic ipsis Diis quoque (quos argenteos aureosque parens habebat) rectè uti didicit, quando fractos in frusta pauperibus jussit cedere, docuitque hos ipsos rectè denique mortalibus propitios esse: jam parentis furorem ut fortiter excepit? Alapæ, vincula, unci, rotæ, flammæ veli-

velitationis ſpeciem præbuere. Et in hâc ipsâ cùm trúncas corporis partes in vultum (hoſtis dicam an parentis?) projiceret, an non invito extorquere verecundiam potuit? Angeli deinde manu perſanata an non iterum provocare hoſtem? Sed totâ ecce acie mors occurrit: in lacum Vulſinum præceps agitur, molari collo appenſo. Vincit videlicet mari etiam virtus, & gaudet CHRISTINA à Chriſto toto lacu nunc baptizari, quæ omni ſanguine nuper. Quid quòd incolumis enatat, parens morte infelici ſtygiis undis mergitur? Quid ages, qui in officio pariter & odiis ſuccedis Dion? quid Juliane? oleum iterum ardens affundis? cum operâ perdis. picem ingeris? Chriſto adhæret. fornacem paras? iterùm cantus inter flammas audis. ſerpentes cogis? jam ſtygios vicit. Ubera reſecas? non eget his virgo. Sagittis denique petis? pennas addis in cælum volanti. Si neſcis, illa tibi, illi meta cælum eſt. *Ex Mart. Rom. Adone & Petr. de Natal.*

Elige illum amicum præ omnibus amicis tuis, qui, cùm omnia ſubtracta fuerint, ſolus tibi fidem ſervabit in die ſepulturæ tuæ: cùm omnes amici tui recedent à te, ille te non derelinquet, ſed tuebitur à rugientibus præparatis ad eſcam. S.Aug.Man.c.24.

S. CHRISTINA MIRABILIS.
24.*Iulii.*

RECTÈ Orbis CHRISTINAM mirabilem dicit, quando talis etiam eſt vita ejus. Tu quoque mecum mirare. In Hasbaniâ & nata & denata poſtquam oculis purgantium animarum in piacularibus flammis tormenta arbitrata eſt, patulum cælum habuit, nunquam excludenda, ſi ſemel modò ingredi libuiſſet. Sed commiſeratio, quam in

animo visa supplicia reliquerant, tantum potuere, ut elegerit in vitam redire, & alienas noxas in suo corpusculo plectere; probante ipso Christo Judice pium consilium. Horrescit animus narrare, quæ deinceps viva iterum virgo facere non exhorruit. Unum vita tota portentum fuit. Nam ut alia omittam, volucrem illa pernicitate suâ vincere, & jam fornaces succensas ingredi, jam glacie duratas aquas subire, modò è patibulis se suspendere, modò facinorosorum rotis membra illigare, interdum per sentes & vepreta volutari, canumque dentes in se armare. Porro vaticinia complura edidit. De decretorio illo Judicii die magno animorum motu concionari solita, scelera omnia, sed luxuriem potissimùm, assiduo fletu gemituque damnavit. In supremo tamen morbo recreata est Angelicis modulis, iterumque è vitâ abiens non unam jam animam cælo intulit. *Ex Surio.*

Si est sub terrâ Tartari carcer, si est combustio ardens, si est Infernus sine fine crucians, quid stupemus? quare non omnibus contemptis sola nobis cura sit evadendi à malis talibus, ne viventes mundo ad tantas, tales, tam crudeles subitò rapiamur pœnas? S. Pet. Chrys. serm. 124.

S. JACOBUS APOSTOLUS. 25.Iulii.

LAudes JACOBI scripturo pennam ultrò JACOBI volucres ingerunt. Audi juventus, & patronum tuum mecum lauda. Ibant conjuges pii Compostellam, & trahebant pietatis suæ comitem filium formâ liberali juvenem. O ut periculosè castitas peregrinaris! Hospitis filia oculis capta adolescentis, capere etiam ipsum nititur. Evadit hic muliebris amoris laqueos, sed non odii.

Sub-

Subdola enim inter sarcinulas castissimi aureum craterem condit, & abeuntem de furto accusat. Damnatur, ducitur, & in crucem tollitur; sed non moritur innocentia. Dum enim mœsti parentes iter relegunt, dum ægrè & pedes trahunt & animas, senectutis scipione filio amisso, dum frui illos vel pendentis aspectu juvat, ecce ab infelici arbore filius: Quid lacrimis vivo parentas mater? vivo DEI MATRE & JACOBO succollantibus: i, Judici dic, ne damnare pergat, quem mors absolvit. Vix hæc ille ad matrem, cùm mater hoc ad Judicem mensæ accumbentem. Hic; tam scilicet filius tuus vivit, quàm assus hic cum gallinâ suâ gallus, qui lautus unctusque sepulchrum stomachum expectat. Jam carpere parabat, cùm gallus & gallina in vitam se erigunt, innocentiæ victrici alis applaudunt, gallus etiam Pæana canit. Ergo damnat se ipsum Judex, & innocentem missum facit, volucrum verò proles posthuma etiam hodie plumas suas cum laudibus JACOBI in omnem orbem spargunt, nunquam omnes, licèt tot quotidiè vellicent, evellendas. *Ex L. Marinæo l. 5. de reb. Hisp. c. ult.*

Quid ditius, quid in corde dulcius, quid in terrâ quietius est & securius bonâ conscientiâ? damna rerum non metuit, non verborum contumelias, non corporis cruciatus, quin & ipsâ morte magis erigitur quàm deprimitur. S. Bern. l. de Consid.

S. CHRISTOPHORUS M. 25. *Iulii.*

CHRISTOPHORVS sive corporis sive animi spectes robur, semper magnus, nomen hoc suum reportasse tunc creditur, cùm CHRISTVM sub pueri vultu per aquas transportavit, non ma-

gni laboris maximum naulum. Certè CHRISTVM per Lyciam circumtulit, cùm, ut auctor S. Ambrosius est, hominum millia IV. supra XL. ferre CHRISTI jugum docuit. Virgam manui familiarem cùm ad concionem dicturus aliquando humi defixisset, confestim frondere vidit, & miraculo etiamnum pictores favent. Sed & ad tribunalia tulit CHRISTVM. Captus enim & in vincula conjectus, Decio imperante, immissas ad se geminas & perfrictæ frontis mulierculas à Venere ad CHRISTVM perduxit, cui etiam sanguine suo mox litarunt. Ipse candentem ab igne galeam indutus & in ferreum, cui flammæ suberant, lectum abjectus dormire scilicet suaviter in his tormentis visus est. Inde jaculis militum stetit expositus, ingens meta, sed prorsus innoxia. Quid? quòd ajunt sagittam reversam domini sui oculo perniciem attulisse, & medicinam eidem CHRISTOPHORI sanguinem fuisse, qui tandem cervices gladio fortiter dedit, quod unum restare videbatur, ut humilem cæli portam tam magnus subire posset. *Ex Sur. & Lippel.*

Beata anima, quæ thalamum suum diligenter ac decenter adornat, ut cum digno ac placito Christum regem honore suscipiat. O anima, considera, quæ sit illa Majestas suscipienda, cogita quâ curâ te illi præparare locum oporteat. Guerricus serm. 3. de Purif.

S. GLODESINDIS V. 25.*Iulii.*

FRustra estis DEI rivales homines. Nemo Christo Sponsam suam eripiet, quando contra hæc pugnat, & propugnat ille pugnantem. id quod GLODESINDIS virgo jam olim fecit manifestum. Natam in principe familiâ domum duce-

bat

bat ex parentum, non virginis, voluntate, Obolenus homo non tam sanguine, quàm sceleribus nobilis, cùm ecce rege jubente nuptialis pompa in funebrem abit, & hujus imperio Obolenus in carcerem non thalamum ducitur, sceleris convictus, mortem subit non lectum, lessum audit non Hymenæum. Vix hanc pugnam castitas pugnavit, cùm altera excipit victricem. Despondent iterum homini GLODESINDEM, & melioribus jam, ut ipsi putabant, auspiciis. Quid ageret pudor bis proditus? more Parthi fugiendo vincit. ad D. Stephani contendit, asylon aram prehendit, & quem unum deperibat, Sponsum JESVM complectitur. Hederam viti illigatam dixisses. Et jam septimus dies ierat, & virgo cæli deliciis plena non senserat famem, cùm apparantur palàm & in conspectu populi nuptiæ placituræ tandem ipsi etiam virgini. Adsunt è cælo nitidissimi duo Ephebi Paranymphi, tertius flammeo inde etiam allato non repugnantem obnubit, jamque urbe attonitâ, jam parentibus etiam gaudentibus, GLODESINDIS in thalamum suum (Virginum Collegium) abducitur. *Ex Surio.*

Cura habere lilia penes te, si vis habere Deum habitatorem liliorum habitantem in te. Opus tuum, studium tuum, desiderium tuum lilia esse protestantur moralis quidam rerum ipsarum candor atque odor. S. Bern. serm. 71. in Cant.

S. SIMEON CONF. 26. Iulii.

MUndum omnem suis beneficiis obambulare voluisse SIMEON videtur, etiam postquàm exivit è mundo, & vel inter Monachos vel Eremicolas vixit. Inter hos agenti cùm fames ultima

minaretur, cervus Divo sponte suâ victimam se stitit. Hierosolymæ hospes cùm degeret, malos hospites Dæmones septem sibi fecit cedere. Romæ hereseos accusatus, accusatorem, quem malus genius corripuerat, precibus suis reus absolvit. Plura alia mira cùm celebrem illìc facerent, honores fugâ elusit. Fugientem cùm Monachi ex itinere verberibus malè accepissent, conjectíque eam ob rem in vincula ab Episcopo fuissent, SIMEON noctu hostes suos è carcere exemit, & gloriolam iterum fugiendo vicit. Pisas cùm ingrederetur, obvium è Styge nuntium habuit illud rogantem: *Quò tendis Monache?* SIMEON hoc tantùm respõdit, *Quò me Christus duxerit*, & ecce molestus rogator viam suam illico in orcum relegit. Hinc Lucam venit. Ibi cùm Judæorum Antesignanum bellum Virginitati DEIPARÆ moventem morte subitâ sterneret, reliqui manus dederunt. Placentiæ noctu oraturum suopte motu apertum templum recepit. Padum pedes trajecit tam citò ut velis & remis usum crederes. Jamque quocunque iret, è viâ morbi cedebant. Sed nos sistimus calamum fessum. Tu quoque Lector, ne orbem nobiscum perambulare cogaris, similia illum in Galliis & Hispaniis factitasse puta. *Ex Ferrar.*

Vt evadas hominem Dominum, quicunque servus es, fugis in ea loca, ubi non est Dominus tuus: ut evadas Deum, fuge ad Deum: nam non est, quò effugias Deum: præsto sunt omnia & nuda omnipotentis oculis. S. Aug. in Psal. 30.

S. PAN-

S. PANTALEON M. 27. *Iulii.*

PANTALEON sive PANTELEEMON (namque hoc illi nomen morituro cælum fecit) adolescens medicinæ operam dedit. Sed compendium illi ad hanc artem rectiùs Hermolaus in Christi scholâ ostendit, quando in hujus nomine latere panaceam edocuit. Experimentum à puero sumptum, quem vipera morsu enecarat. Hunc uno Christi nomine vitæ reddidit, & succedaneam victimam morti viperam dedit. Eâdem medicinâ noctem oculis excæcati pepulit, gemino miraculo; nam hoc tenebras etiam parentis animo discussit, fidemque fecit aspicere. Verùm his rectè videntibus, oculi ipsis Medicis cœperunt dolere, cùm Æsculapium suum ad Christianos transisse viderent. Quin invidiâ excæcatus etiam Imp. Maximianus in medicum cœpit furere, cùm paralysi afflictum in pedes erexisset, quem in opem à sacrificulis vocatus Phœbus destituerat. Ferro igitur & ignibus sævit, liquato oleo perfundit, ex equuleo suspendit, undis mergit, rotæ innectit, necquicquam ingeniosus in pœnas; cùm medici vulneribus medicinam Christus semper faceret, & diras omnes carnificum turbas averteret. Spiculator quoque ad primum ictum ferrum suum ceram esse, & collum martyris marmor deprehendit. Resectum denique caput lactis liquorem, & Oleaster ad quem vinctus Martyr steterat, subitas frondes dare visus est. Voluit Herculum suum coronare. *Ex Metaphr.*

In hujus vitæ miseriam intrasti lugens; dies tuos in dolore & ærumnâ pertransisti; cum luctu & labore hinc exiturus es. Intelligas ergo in quantum sit ingres-

sus tuus flebilis, progressus tuus debilis, & egressus horribilis. Auctor spec. Peccat. tom. 9. S. Augustin.

SEPTEM DORMIENTES.
27.*Iulii.*

INgens hi Sancti Ecclesiæ negotium etiam DORMIENTES confecerunt VII. erant omnes germani fratres, quos Decius à patre fide minimè paternâ proditos obstructo spelæo concluſit. Iverant secula jam duo & ampliùs, quando hæresis ab orco surrexit, quæ surrecturos olim à tumulo mortuos negavit. Somnium hoc esse, VII. hi, quos DORMIENTES dicimus, monstrarunt, qui tum in tempore sive à morte longâ, sive somno prodierunt. Illi noctem se unam dormisse rati, Decium adhuc somniabant. Quare MALCHVM ex suo numero adolescentem, quem ætas & morum suavis elegantia omnibus charum fecerant, exploratorem in urbem mittunt & commeatui præficiunt. Hic dum vigilare pro urbe Crucem videt, dum nullum tonare Jovem sed CHRISTVM audit, mirari unius noctis metamorphosin, & vel adhuc dormire, vel in alterum orbem aut certè urbem delatum se credere. Mox cùm monetam antiquitate suâ incognitam protulisset, suspicionem reperti thesauri dedit. Hîc ille apud Procos: ad Decium provocare, qui utique nosset adhuc, quem heri unà cum fratribus, quòd CHRISTO militarent, balteo spoliasset. Obstupuit ad hæc urbis Antistes, & MALCHVM ad montem secutus è ruderibus æneas laminas, cum his rem omnem in lucem profert. Adest ipse Imp. Theodosius, quo spectante beati juvenes eodem loco longiùs jam dormituri oculos morte clauserunt:

sed

sed cum sic mortuis etiam hæresis est mortua. *Ex variis apud Raderum in Aulâ S.*

Cùm te torpore, acediâ, vel tædio affici sentis, noli propterea desistere à studio spirituali; sed juvantis require manum, trahi te obsecrans, donec denuo suscitante gratiâ factus promptior alacriorq; curras. S. Bern. serm. 22. in Cant.

SS. NAZARIUS & CELSUS MM.

28. *Iulii.*

HOs etiam flosculos barbarus Neronis gladius demessuit. Sed tamen sanguine suo rigati vivunt illi etiamnum in manibus tuis. Utinam & odorem virtutis sentias. Audi saltem. Spinæ rosam esse proximam ajunt, id quod NAZARIVS probat ex Judæo patre sed matre Christianâ genitus. Anceps diu in utrius religionem pedibus iret, demonstravit tandem plus matris se bibisse, fontique sacro admotus à Lino Pont. Mediolanum abiit. Ibi non multo tempore patrimonium omne in egenos effudit, cumque vinctis pro Christo animum faceret; mercedem nobilem magnique martyribus æstimatam fustuarium accepit. Sub hæc monitus à defunctâ matre in Gallias contendit. Hîc à nobili matronâ nobilissimum puerulum CELSVM accipit inter bonas artes educandum. Quantam, Superi! indoles pulchra discit probo Magistro usa. Neronis imperio ad tribunal uterque raptatur. Dubito an Magistrum, an discipulum plus laudem. Ille pedum calcibus affligitur, nec tamen sibi, sed animulo suo CELSO timet. Hic virgis atrocem in modum cæditur, nec tamen sibi, imò oculo suo Magistro NAZARIO ingemiscit. Mox uterque illatam Christo injuriam

in Diis ulciſcuntur, rectiuſque hos humi affligunt. Mari deinde velut prato inambulantes vidiſſes. Mitto cætera. NAZARIVS cervicem gladio præbuit. Idem CELSVS fecit, tantillus diſcipulus Magiſtro tanto non impar. *Ex Lippeloo.*

Quod loquimur, dictamus & ſcribimus, de vitæ noſtræ parte prætervolat: qui dudum infans, ſubitò puer, repentè juvenis, & uſque ad ſenectutem per ſpatia mutatur incerta, & antè ſe ſenem intelligit, quàm juvenem non eſſe miretur. S.Hieron.in c.40.Iſ.

S. OLAUS MART. 29.*Iulii.*

SI ulli magnatum profuit alienas terras luſtrare, OLAO profuit Norwegiæ Regi. Fortè Angliæ regnum hoſpes intravit, cùm oculis, non ut hodie fit, ad curioſitatem abuſus, inter peregrina decora Fidem noſtram aſpexit. Placuit; ac proin Rothomagi poſteà ſacris undis ablutus alius in regnum ſuum rediit, aulæ comites permultos Epiſcopos & fidei præcones trahens. Sed & ipſe glorioſum duxit dignumque rege munus, Evangelii præconium facere, quæ quidem inter Imperii curas prima jam illi erat. Altera ab hac, cùm otium bella dabant, purgare regnum ab ariolis & incantatoribus, quos ille, quia fumos vendunt, digniſſimos ignibus judicavit. Leges quas Eccleſia ſanxit, quàm ſanctas à ſuis haberi voluerit, ex eo perſpicies, ſi ſcias quàm ſeverè neglectas in ſe ipſo vindicarit. Nam fortè feſto die cortice bacillum nudabat. Monitus ſtatuit à malè otioſâ manu pœnas continuò expetere. Itaque aſſulas in ipsâ manu incendi voluit, & peccantem ignibus expiari. Cæterùm quia juſtitiæ amans cumprimis erat, nihil mirum ſi poſt hanc terris proſcriptam etiam ipſe

ipse in exilium est pulsus. Rediit tamen postliminiò in regnum. Verùm, quòd secum reducere etiã justitiam laboraret, concitavit in se Danorum arma. Contra hos dum movet, videt in somnis scalam ad cælos pertingentem, dumque illuc connititur, ecce à legato expergefactus conqueritur nimirum cælo se detractum. Sed eodem mox subiit, cùm proditus à suis in pugnâ cecidit. Nostri tamen ævi principibus scalam, hoc est, vitæ exemplum reliquit. *Ex vit. Aquil.*

Dum vacat & licet, virtutes amplectere: in oculis tuis versetur pudor, in auribus veritas, verba vitæ in linguâ tuâ, imago Dei in corde tuo, in membris omnibus continentia, ut ab Angelis & hominibus collauderis. S. Ephrem. de Exercitatione.

S. LUPUS EPISCOP. 29. *Iulii.*

LVPVM dixi. Tu, si vitam leges, ovem, scio, dices, ita placidis moribus hic LVPVS erat. In conjugio annos egit septẽ omnino. Dehinc inter Cœnobitas cœpit vivere, & conjux in virginum collegio, gratissimo Superis divortio. Verùm Trecenses ex cœnobio extraxerunt, & quamvis invitũ LVPVM pastorem sibi legerunt, felicissimo eventu. Alter enim lupus sed longè crudelissimus gregi imminebat Attila, ille orbis prædo, ebrius semper, sed nunquã satur humano sanguine. Et jã infesta signa urbi inferebat, cùm obvius irato cum suis sit Pontifex, rogatq; quem deniq; sese esse putaret Rex, qui mundum sic omnẽ fulminis instar pervaderet? Attila nihil humile spirans, *flagellũ* DEI se esse respondet. Hìc enimverò Antistes portas pandi omnes civitatis jubet & modestissimis verbis avere multum jubet DEI *flagellum*. Quid expectas? verba hęc

ferociſſimum & ultima minitantem animum demulſerunt, & LVPVS tyrannum cicuravit. Cæterùm huic verborum modeſtiæ victus quoque ratio & veſtitus reſponderunt. Et cibum quidem tertio primùm die ſumpſit, Sabbato cibario pane contentus. Veſtem quoque unicam geſtavit, ſed ſubdititiâ alterâ (cilicio) ſuperbam. *Ex Surio & Nauclero.*

Ad Deum tuum refer flagellum tuum: quia nec Diabolus tibi aliquid faciet, niſi ille permittat, qui deſuper habet poteſtatem, aut ad pœnam, aut ad diſciplinam. Ad pœnam impiis, ad diſciplinam filiis: Flagellat enim omnem filium quem recipit. S. Aug. in Pſ. 31.

SS. ABDON & SENNEN MM.
30. *Iulii.*

CEnſebantur ABDON & SENNEN inter primos Perſiæ purpuratos. Et verò niſi cunæ in patriâ, mors Romæ purpuram donaſſet. Nam quòd Chriſtiano principe non indignum officium arbitrarentur, Martyrum eſſe veſpillones, ſuiſque manibus terræ mandare horum corpora gauderent, vinctos Decius Romam adduxit. Ibi ad tyranni tribunal ſteterunt auro gemmiſque ſplendidi rei; ſed extinguebant harum lucem catenæ ferreæ, quas nimium quantum glorioſi jactabant. Itaque cùm munera ingentia promitteret tyrannus, ſi ad Deos tranſirent, riſere ſcilicet, & ad omnia tormenta provocarunt. Plumbatis igitur tentati, contrà ferreos ſe præbuerunt. Inde in theatro feris objecti; ſed plauſum meruêre & victa Martyribus colla leones ſubmiſere, feræque cicures hominem contra feros homines viſæ defendere. Reperti interim qui necem inferrent gladiatores. Sed &

Mar-

Martyres tales se probarunt, cùm jugulum fortiter gladio dederunt. Extincti triduum tumulo caruere, dum Cyrinus plumbeis loculis clausum aurum defodit, quod iterum deinde erutum est in lucem, cùm Orbi Christiano Sol suus Constantinus luxit. *Ex actis S. Laurentii.*

Noli caduca & fugacia quæ tanquam cera liquescunt, admirari. Vivant alii cum Principibus familiariter; tu per orationem cum Deo versaris: tu unigeniti Filii Dei corpore vescere; gaude & lætare te dignum effectum esse, qui templum sis Dei. S. Ephrem. de vit. spirit.

S. GERMANUS EPISC. 31. *Iulii.*

GERMANVM Musæ ad summos honores evexerunt. In his positus cùm animum ad indigna munere suo studia dimitteret, & venandi amore illectus Palladi jam Dianam præponeret, monitor adfuit Amator urbis Pontifex, & arbore, in quâ ferarum capita defixerat, excisâ, insanum etiam venandi studium ex ejus animo extirpavit. Etsi enim iratum fugere aliquandiu Amator est coactus, rediit tamen paulò pòst, & inermem in templo GERMANVM aggressus captum amicâ vi in sacerdotem attondit, infulæque suæ moriturus heredem fecit. Inde alium jam vidisses GERMANVM. Nemo modestior illo. Nulli digniores infulâ mores, ille cilicio corpus vestire, ille præter panem hordeaceum & mortis monitorem cinerem nihil in mensam admittere. Ille reditus in pauperes dispensare, & cùm ex his uni tres reliqui aurei essent, jubere, ut hi etiam illis in prædam cederent. Verùm cùm ex his unum minister servasset, Numenque pro binis ducentos dono submisisset, notavit scilicet GERMANVS avaritiem illius,

lius, qui ingens fœnus (quod trecentorum aureorum futurũ erat) imminuisset. Obiit anno CCCC. XXXV. patriæ suæ unicum præsidium. Nam dum vixit contra imminentes urbi hostes ipse exercitum duxit, signa ipse tulit, utque animos civibus faceret, sæpè sæpiùs cum suis *Alleluia* insonuit, itaque ferè unus rectè Epinicium ante victoriam cecinit. *Ex Surio.*

Diem ex die ne differas; sed quàm celerrimè ad Dominum te converte, antequam severissimi Iudicis sententia pronuncietur, quæ te vocet ad reddendam rationem talentorum, quæ tibi dedit; & vinctis manibus & pedibus in tenebras exteriores extrudaris. S. Ephrem. de Pœnit. & Conf.

S. IGNATIUS LOYOLA C. 31.*Iulii.*

IGNATIVS è nobili milite Societatis JESV Dux animi sanitatem pedum debet vulneri, hujus curationem D. Petro, vitæ immutationem piorum librorum lectioni, castitatis verò donum Virgini MAGNÆ, quæ cum Filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad hujus aram cùm opima spolia, (arma sibi detracta) suspendisset, inter miros pœnitentiæ rigores, MARIA dictante, libellum illum Asceticum scripsit, quem ne libro satis laudes. Cùm horas VIRGINIS percurreret, ad arcanum S. Triadis aspectum admissus est; Ejusdem Sabbatho extra se raptus, non nisi altero Sabbatho ad corpus rediit, Animarum lucro inhians, vir annorum XXXIII. literas discere est aggressus; mox socios scribere, parvas copias, sed ingens orbi laboranti præsidium, & cui JESVS ipse propitium Romæ se fore appromisit. Unicum ei symbolum fuit, *Major* DEI *Gloria*; perquàm familiaris illa cum lacrimis vox:

Heu

Heu quàm sordet terra, cùm cælum aspicio! Hoc obtinuit anno M.D.LVI. vir divinis ostentis, vaticiniis, miraculis clarus & natus Ecclesiæ bono. Nam sanctior juventutis educatio, reductæ ab exilio Musæ, proscriptæ hæreses, assertus DD. & templorum cultus, frequens iterum Sacramentorum usus, demum uterque Orbis, ille CHRISTO subactus, hic servatus, & quicquid in utroq; filii vel faciunt fortiter vel patiuntur, id omne IGNATII est opus. De Sodalitatibus VIRGINIS quid dicam? quisquis ex his MARIAM Matrem clamas, rectè IGNATIVM patrem dices. *Ex vitâ.*

O ingratissimum, ô duri cordis hominem, qui nondum intelligit, se ad labores perpetiendos, atque ad gloriam Domini Nostri Iesu Christi summo conatu quærendam & amplificandam longè maximè obligatum! Ex Epist. S.P.Ignatii de perfect.Religiosâ.

S. JOANNES COLUMBINUS C.
31.*Iulii.*

O Si Lector iis oculis vitam JOANNIS legeres, quibus ille Divorum legit! Et leges puto iisdem, si leges. Succensuit hic uxori cœnam seriùs apparanti. Illa, ut matrona erat præ aliis pia, jubet, dum famem rectiùs opsonet, oculos pascere legendis Divorum factis. Non erat hoc pro stomacho JOANNIS: abjicit librum. Mox tamen curiositate ductus tollit, legitque in quam primò oculis offendit Mariæ Ægyptiacæ vitam. Hîc verò aliâ jam fame stimulari animus, & nauseare omnia terrena. Jam templa & preces amare, benè egenis facere, asseri incubare, castitatem cum conjuge colere, ædes in publicum peregrinorum stabulum vertere, denique ille nuper in pietate discipulus

vel

vel magistram conjugem superare. Et fortè leprâ horridum homuncionē domum portaverat, cujus nec aspectum conjunx ferre poterat. At JOANNES osculis etiam dignatus balneo recreatum in uxoris thalamo deposuit, eidemque, dum à sacris rediret, enixè commendavit. Interea dum hæc cubiculum petit, omnes odorum delicias obvias habet. Supervenit JOANNES cum bellariis, sed præter vestigia, nobiles, quos diximus, odores nihil reperit. Christus fuerat. JOANNES rebus omnibus abjectis pauperem etiam ipse induit, Societatemque condidit, quam Urbanus V. Pont. probavit, patrocinio infantum inductus, qui matres suas, ut JESVATIS (ita is Ordo appellatur) benefacerent, monuerunt, tam magni oratores quàm parvi fuerunt. *Ex Ferrar.*

Habeamus hospitalitatis curam, non ut momentaneam solùm retributionem accipiamus; sed ut reponamus nobis immortalium bonorum fruitionem. Nam si hoc facimus, suscipiemus & nos Christum, & suscipiet etiam ipse nos in mansionibus, quas præparavit diligentibus se. S. Chrys. in Gen.

AU-

AUGUSTUS.

SSS. FIDES, SPES, CHARITAS. VV. MM.

1. *Augusti.*

FElix Roma, cui, quas nullus unquam pingere satis bellè pictor potuit, vivas spectare virtutes licuit, FIDEM inquam SPEM & CHARITATEM SOPHIÆ filias, Charitum Christianarum ipsissimam trigam. Ex his maxima XII. altera X. natu minima IX. omnes paucos annos, sed plurimas palmas numerant. Ecce enim Virtuti, ut solet, Tyrannus bellum movet. sed matre duce & junctis copiis omnes vincunt. Igitur duello singulas aggredi Urbi Præfectus statuit, & primò quidem FIDEM. Contra hanc flagris pugnat. at tergum prosecuto objicit FIDES. Sartaginem admovet ardentem ille. hæc ridet arietem. Ubera resecat gladius. gaudet FIDES ostentare hæc cælo vulnera. Caput rescinditur, & coronatur scilicet. Ergo SPEM aggreditur tortor, & nervos in virginem armat. at his ipsis fortior puella est. Jubetur proin ignis sævire; sed ad virginem hic deficit & in hostes ipsius pugnat. pice ardenti & bitumine perfunditur; nempè ad novam luctam inungitur. In hac sororis mortuæ amplexibus inhærens ense vincit etiam ipsa, dum cadit ense. Jamque ad tertiam gradum facit Tyrannus bis victus, suspenditur CHARITAS ab equuleo, laniatur flagris. Sed ne audacter iviisse in hostem credas, noveris in rogum suapte sponte insiliisse terebrâ pòst perfossam & gladio cæsam. Porrò mater magnanima SOPHIA, quæ & filias præsentiâ suâ & sese filiarum virtute hucusque animavarat,

maverat, triduo pòst inter funera sua funus etiam ipsa deprehenditur. Sed tamen ne tu, ne luctu credas hoc factum Roma. Hanc enim ego, vel nullam aliam Matronam gaudio emori potuisse Livio credam. *Ex Surio.*

Funiculus Fidei, Spei & Charitatis, qui difficile rumpitur, compedita tenet humilium corda, nec patitur illa extolli, aut à virtutum tramite deviare, quin potiùs elevat ad summa & conjungit Deo, facitq; gustare gaudia sempiterna. S. Laur. Just. de humil.

S. THEODOTE CUM FILIIS MM.
2. *Augusti.*

NUmerabat THEODOTE in viduo thoro filios, quos è conjuge demortuo genuerat, duos, quos vero Christi amore adoptaverat, vinctos ac captivos longè plurimos. Talem Diocletianus Leucadio, qui mirè ejus nuptias ambiebat, tradit, qui dum nullis eam blanditiis capi videt, & domum ducere jam desperat, vinculis certè captam ad Bithyniæ tribunal adducit. Hic matris pectus per filiorum latus oppugnaturus EVODIVM primò, tum minimum natu filium cuniculis verborum subruere annititur. His ubi nihil proficere se videt, in apertam vim, verbera atrociſſima prorumpit. Sed plena animis verba, quibus mater ad constantiam suos firmabat, plus poterant apud filios, quàm verbera tyranni. Intereà Hyrtacus homo non jam sceleratus sed scelus, pudicitiæ matronali manum afferre attentat. Sed qui pro hâc tuendâ excubabat Angelus, irruentem ita pugno excepit, ut quantumvis impudentis vultum largo sanguine erubescere tamen faceret. Post hæc Præses matri geminam mortẽ minatur, dum hanc sub oculis ejus

ejus filiis geminis intentat. Sed illa Spartanâ voce hoc unicum votum ſuum eſſe dicebat, bis antè, quàm ſemel mori, & filiorum prius oculos, quàm ſuos claudere; ſcire ſe ad hoc filios genuiſſe, ut eſſent qui pro patriâ, Cælo, occumberent. Ergo in flammantem fornacem unà omnes injiciuntur. Et ecce continuò Superi probarunt & ad ſeſe rapuerunt aurum. *Ex actis S. Anaſtaſiæ.*

Cùm ſis adoleſcens, ſilentium & diligentiam cole: diligentia enim te gratum conſervat; ſilentium autem animæ lucem tuetur, nec ſplendorem ejus tenebris obrui ſinit; ſemper denique & in omni actione comes tua ſit humilitas. S.Ephrem de vita ſpirit.

S. PETRUS EPISC. *3.Auguſti.*

EX principum Salernitanorũ ſtirpe ajunt oriundum PETRVM. Sed ut in nobiliorem etiam familiam tranſiret D.Benedicti, non dubitavit purpuram cum cucullo mutare. Attulit tamen hic alteram illi purpuram, cùm Pont.Anagniæ ab Alex. Pont.Max.datus eſt. Sed nos illud multò pluris facimus, Cælitibus tam familiarẽ PETRVM fuiſſe. Etenim cùm dubitatio ſuborta eſſet Agnanienſibus, num D.Magni oſſa penes ſe haberent, eam ex omnium animo delevit ipſe Magnus, & teſtis ſuus ipſe veriſſimus feminæ à paralyſi afflictæ (excubare eam PETRVS ad tumbam Divi juſſerat) ſub noctem conſpicuus ſuam præſentiam Epiſcopo, ſimul ſanitatem ægræ nuntiavit. Idem D. Magnus PETRO oranti viſus iter illi Conſtantinopolim indixit & ſimul itineris rationem edixit, ut quòd valetudinem Imperatori allaturus, & invicem, quidquid poſtulaſſet, eſſet ablaturus. Itur ergo Conſtantinopolim ad Michaëlem. Sed negat hic

ſe

se vel Anagniam vel Medicum D. Magnum nosse. Ut igitur nosceret, nocte insequenti cum morte luctanti Imp. spectandum se obtulit ipse Magnus & cum Magno VIRGO Maxima, monuitque PETRO crederet, medicinam morbo facturo. Accersitur igitur hic, & valetudini restituitur Michaël. Rogas, quâ medicinâ? Saluberrimo MARIÆ & Magni nomine. Pretium operæ porrò PETRVS suæ Anagniam hoc retulit, ut sumptus Imp. Michaël faceret in ædem maximam ædificandam suffecturos. Sed neque hæc licèt magnifica explere oculos potuit PETRI. Ad cæli igitur templa abiit. Eòdem tendis? per nostra in illa itur. *Ex Ferrar.*

Exhibeamus nos sicut Dei ministros in multâ patientiâ, diffundentes odorem illius circumquaque, adversa tolerando: sicut enim aromata odorem suum, cùm incenduntur, expandunt, sic in nobis quod virtutibus redolet, per patientiam innotescit. S. Laur. Just. lign. vitę.

S. DOMINICUS CONF. 4. *Augusti.*

ALterum ecce orbis labantis columen DOMINICVM. Certè Innoc. Pont. Max. subjicere humeros ruinam meditanti Lateranensi ædi vidit. Certè flagrantem à tergemino vitio orbem totidem telis castigaturo FILIO MATER clypeum cum FRANCISCO DOMINICVM objecit; ut jam minus mirer necdum natum sive ore facem, sive fronte stellam prætulisse. Et verò etiam hodie lucet in Filiis, qui dum sanctioribus rosis lilium (VIRGINEM) colunt, dignos se probant, quos (quemadmodum ipse DOMINICVS habuit videre) velut pullos suos nunc pallii sui alis foveat MAGNA MATER, nunc dormientes invisat benè precabunda. Illud omnium bono ex *Virgine* Divus intellexit,

lexit, toties advocationem pro nobis in cælis ad Filii pedes facere, quoties è terris ADVOCATAM solenni formulâ *clamamus*, ut qui rei non clamant, sibi, non Advocatæ adscribant, si pereant. Porro DOMINICVS quatuor omnino Insulas, quas alii tam studiosè capiti quærunt, generoso fastu pedibus ipse subdidit; ter noctu pœnas à tergo suo, pro se primùm, tum pro viventibus in graviori noxâ, demum pro agentibus in igne piaculari manibus expopoſcit. Mitto in homines, dæmonas, adeoque Superos imperium; quippe cùm toties jam hos exoraret quos oraret. Illud memorandum, qui MARIÆ vixerat, non sine MARIA demortuum esse. Affuit hæc, neque sola, sed inter Filii & Cælitum comitatum ad astra abduxit. Viam inquiris? per Rosaria ivit DOMINICVS. *Ex vitâ.*

Nemo gratuletur homini, qui prosperatur in viâ suâ, cujus peccatis deest ultor, & adest laudator. Major hîc ira Domini est: irritavit enim Dominum peccator. Vt ista patiatur: id est correctionis flagella non patiatur. Augustſuper Psal. 7.

DEDICATIO S. MARIÆ AD NIVES.

5. Augusti.

ANnus agebatur Christianus supra CCC. LXV. quando Romæ civis fuit patricii sanguinis, & huic JOANNES vocabulum. MARIAM puto expectas Mariane, cùm JOANNEM audis? Rem loqueris. Fuit huic conjux digna conjuge suo, fuere opes ingentes, sed spes natorum nulla, & in his etiam nepotum decollaverat. Tandem, quid ô! quid terris, ait JOANNES, ignobiles & mecum morituros hæredes quæro? quin cælo adsciſco? & an explere dignioribus nominibus ceras possum?

possum? Certè opibus unica MARIA digna omnibus est. Imò JOANNES non sum, si hæredem MARIAM non scribo. Eja igitur Virgo, tu sola jam tabulas imple. Filio si careo, certè tu non cares, qui cum animum æternùm oblectem. Audiit JOANNEM MARIA, & assem omnem in montem Exquilinum conferre jussit templo exædificando eo in loco, quem postero mane nivibus insignem esset factura. Et erat tunc æstus longè maximus & faciliùs utique grandinem quàm nives daturus. Adit tamen JOANNES locum, & reperit undique niveo vellere vestitum. Sed & Liberius Pont. Max. in somno à VIRGINE monitus accedit & fundamenta templi jacit, quod per omnem orbem hodie clarum MARIÆ MAIORIS nomen gerit. Miraris, Sodalis, miraculum? laudas templum? At tu castas ostende sis mihi in animis nives plures; plura ego VIRGINIS templa monstrabo. *Ex Brev.*

Meritò in te ô Maria virgo respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis quicquid creaverat, recreavit. S. Bern. serm. 2. in festo Pentecost.

S. OSVVALDUS REX C. 5. *Augusti.*

PUrpuram qui bis tingunt, etiam OSWALDVM laudabunt, Angliæ Regem, qui suam suo iterum sanguine tinxit. Dubium planè reliquit, an Christi hostes vicerit, an ab his victus deinde sit glorioſiùs. Pugnaturus cum parvâ manu contra ingentes Britonum copias, trophæum tamen ausus est ante victoriam ponere Crucem, quam adorasse illi cum suis, vicisse fuit. Abhinc regni Christiani proferendi cupidissimus dignum rege

munus

munus est arbitratus, dicenti ad populum Aidano Antistiti interpretem assistere. Pium animum illud prodit, quòd sub solemnes Paschatis dies non modò qui mensæ illati erant, cibos, sed ipsam etiam argenteam lancem in frusta cedere & absumi à rogatoribus voluerit. Aidanus, quem tum mensæ adhibuerat OSWALDVS, tam benignam manum amplexatus atque exosculatus fertur jussisse nunquàm exinde putrescere. Et parere hæc visa est, cùm cæso sub annum DC.LII. à barbaris domino, loco infami unà cum capite suspensa annum integrum integra (uti & deinceps) perduravit. Ipse OSWALDVS tunc quoque cùm in acie occumberet, supinis pro more in cælum manibus orare in genibus deprehensus est, eodemque loco ad hominis altitudinem egesta humus omnes morbos vicit, ut vel ideo voluisse illic cadere OSWALDVS videatur, quò ægri tot inde surgerent. *Ex Sur. & Graf.*

Vide rationem; facilè judicabis parricidiali crimine contemni pauperes nostro arbitrio; quos nullo videmus à nobis DEI *opere discretos.* S. Paulin. ad Aletium ep. 31.

S. AFRA MARTYR. *5. Augusti.*

QUam neque Naso dedit Metamorphosin, nos damus ex Venere Dianam, AFRAM inquam Augustæ Vindelicorũ probrum primò, pòst unicum decus. Magdalim diceres alteram, nisi quos hæc lacrimis, illa ignibus etiam ignes plecteret. Diis devota omnem jam pudorem malè prodigalitaverat, cùm Narcissus Præsul fidem Christianam exul circumferens tectis impuris successit. Hic AFRA, dum prædam captat, precabundi primò ad mensam modestiâ, dehinc verborum de Deo,

Deo, quibus cibos identidem condiebat, suavitate illecta ipsa capitur; simul amoribus nuntium mittit, simul Christo totam se dedit, exemploque suo mox matrem Hilariam & scelerum nuper socias tres ancillulas trahit. Tantum odor castus unius Narcissi potuit! Doluit sanè hoc nequam genio, qui propalam visendus multis questus est animam olim suam AFRAM sibi extorqueri. Hæc interea opes malè partas benè inter pauperes dividens, vitamque veterem castissimis coloribus emendans, jubetur à prætore Cajo, misso Christo, ad Veneris sacra redire, Vulcano, ni pareat, sacrificanda. Maluit hujus quàm illius ignes ferre. Itaque palo alligata cùm è pyrâ ardente fumos dæmonis æstusque Cupidinis risisset, flammas intercælo se intulit, quò mox mater etiam & ternæ famulæ, quòd lacrimas rogo & tumulo AFRÆ affudissent, alio ex rogo evolarunt. Ipsa Venus puto mirabatur ad tot ignes frigere sese. *Ex Surio.*

Dum carnalis vita corrigitur, & usque ad abstinentiæ atque orationis studium pervenitur, quasi jam in altari caro incenditur, ut inde in omnipotentis DEI *sacrificium redoleat.* Greg. in Moralib.

SS. JUSTUS & PASTOR MM.

6. Augusti.

IVSTVM & PASTOREM germanos fratres: duo sidera, Castorem & Pollucem dicerem, nisi fæliciori sorte unà uterque è cælo adolescentiæ præluceret. Involverat velut turbo omnem Hispaniam furor Daciani, & Complutum jam pervenerat; cùm hi pueruli, abjectis ultrò tabellis, è ludo literario in campum prodire properarunt, factis ostensuri, quantum in Christianâ Philosophiâ

phiâ profeciſſent. Dixiſſes ad gremium matris currere, ita ad carnificum manipulos parili curſu contendebant. Dacianus ubi hæc inaudiit, virgis cædi imperavit. Sed illi ad imbellem ſcholæ metum ridere ſcilicet; ſupplicia hæc timidæ ætatis dicere, quæ ſæpè nec pueris lacrimas excuterent. Alia itaque tormenta promeret, Tyranno digna, & cum iis rem ſibi cogitaret, qui prætextam cum ſuperſtitione jam poſuiſſent. Et verò victoriam jam tum deſperans Dacianus non admiſſos educi extra urbem ad ſupplicium juſſit. Illi in amplexus ruere, novo more frater fratri mortem gratulari; hoc demum Chriſtianæ Philoſophiæ eſſe, mortem pro Chriſto contemnere; hoc germani fratris, germano immori, nec fatis disjungi, quos uterus matris junxiſſet. Ita animoſi, & pleni, quæ in vultum etiam promicabat, lætitiâ, caput ſecuri ſubdiderunt. Age nunc, quid ad hos diſcipulos Complutum, vel ipſe Cordubenſis Philoſophus? Certè Dacianus quamprimùm aliò ſe contulit, non auſus porrò cum viris congredi, tam turpiter à pueris victus. *Ex Baron. & Lippeloo.*

Si vires tuæ in pugnando ſint parvæ, Chriſtum invoca adjutorem. Cùm te perſpexerit fideliter invocantem, qui pro te pependit in ligno, & hic victoriam, & coronam victoriæ præparabit in cælo. S. Aug. l. de ſymb.

S. ALBERTUS C. 7. *Auguſti.*

ETiam ALBERTI ſplendorem prævia ab utero matris lux indicavit. Et rectius MARIÆ quam hujus filium dixeris, quippe quem ſterili eâ lege illa dedit, ut bonâ fide ſuo ſervitio olim hæc redderet. Moram ipſis, quibus jungere ſe ALBERTVS parabat, Carmelitis quos vocant, interponentibus,

graviter nihilominùs Deipara parentes objurgavit. Nimirum furtum hoc esse, cælo dicatum terris velle mancipare. quid simiæ catulum amarent? parum interesse veneno an amplexu partũ enecarent. ut dare prolem, ita auferre, cùm luberet, Superos posse. Audite parentes omnes: his monitis illi manum Deo, filium omnibus disciplinis excultum, posthabitis etiam regiæ puellæ nuptiis, religioni dederunt: quoque magis jam Virgini sacrificium placeret, suismet manibus ad ejus aram candidissimam hostiam stiterunt. Hìc ALBERTVS orcum rivalem sponsæ vultum præ se ferentem res sibi scilicet jussit suas habere. Subinde fatigatis obsidione & fame civibus tres cum commeatu triremes cælo remige impetravit. Hebræos complures aquarum vi abreptos in sicco destituit sicco ipse pede undas percurrens. Jam mortẽ, quam cæsti voce edoctus obiit anno M.CC.XCII. æs campanum sponte sonans, integritatem corpusculi odor suavissimus, beatitatem animi duo Angeli prodiderunt, qui dubiis an ut Cælitem colerent, an ut mortuum lugerent hominibus, sub initium rei divinæ illa verba *Os justi* præiverunt. Nostras mortes ô quàm rectè lugemus! *Ex Surio.*

Quicquid illud est, quod offerre paras, MARIÆ *commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quò influxit.* S. Bern.

S. MYRO EPISC. 8. *Augusti.*

NUllæ ceræ ornarunt MYRONEM, sed virtutes multæ, quas quidem neque numerare in hâc pagellâ possumus, uti nec pauperes, quos pulchro ordine stantes per atria quotidie laudare nobilem ejus manum vidisses. Seminabat ille in hos, quid-

quid

quid ager, quem colebat, dives dediſſet; in fures etiam liberalis. Nam fortè ex his XII. in horreum ſe penetraverant MYRONIS. Ibi cùm ſaccos frumento, ſcelere animum oneraſſent, injecit Deus furacibus manibus arcana vincula, crevitque in tantum facinoris pondus, ut ne humo jam tollere onus poſſent. Intervenit interea MYRO, & cùm illi trepidi alia vincula ſperarent, ille miſſionem dedit, & tergo improborum non, quod meruerant, patibulum, ſed ſaccos, de quibus diximus, benè fartos ſuâ manu impoſuit, emiſitque gravi ſupplicio mactatos. Interea nihil deceſſit de MYRONIS opibus, quas ille ſcilicet eo loco, ad quem fures non adrepunt, cælo recondebat. Sub hæc virtus ſacerdotio, mox Epiſcopatu & miraculis eſt honorata. Nam & per medium fluvium Tritonem viam ſibi fecit, & miſſo pòſt, pro ſuo in illum imperio, ſcipione, coire iterum Moyſes noſter juſſit. Sed & Herculem in illo agnoviſſes, cùm ingens monſtrum draconem clavâ, hoc eſt, oratione dejecit. Exinde reliquam vitam tranſegit tumulis Divorum exornandis, dum centenarius eundem honorem etiam ipſe meruit. *Ex Menæis.*

Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit: videbit diem malum, qui diem judicii ſine advocatione paupertatis intrârit: ſine causâ accuſant peccata, quem pauper excuſat. Excuſari non poteſt, quem fames pauperis accuſarit. S. Pet. Chryſol. ſerm. 14.

SS. FIRMUS & RUSTICUS MM.

9. Auguſti.

SOciarunt & pugnas & triumphos FIRMVS & RVSTICVS, ipſamque adeò, quod vitio aliis datur, patriam Veronam triumpharunt. Verberi-

bus hæc primò pugnavit, sed illi glorioſum ducebant patriæ plagas oſtentare acceptas à patriâ. Jam in carcerem cùm deſcenderent, Capitolium videbantur petere. In carcere cùm cibum victoribus Tyrannus victus negaret, triumphales epulas Angeli pararunt. Ad has in teſtarum fragminibus velut in roſis ſuaviter illi accubabant. Fame ſic pulsâ ſanguinem ſitiebant fundere. Et verò gladio cæſi hunc quoque libarunt. Porrò funus utriuſque Cælites curarunt mercatorum os habitumque induti, & nobiles merces (oſſa Divorum) non procul Carthagine depoſuerunt. Horum pretium indicavit genius malus ex alieno ore locutus, præſentiaque horum mirè diſcruciatus. Itaque in Iſtriam tranſlata corpora. Sed & Iſtri tanti hæc æſtimarunt, ut expetenti Veronæ (cui imbrem cælum tam diu negaturum ſe edixerat, dum in urbem Divi exules revocarentur) non aliter vendere voluerint, quàm auro tanto appenſo, quantum corpora penderent. Sed faverunt patriæ potiùs licèt ingratæ Martyres, cumque ad libellam examinarentur, tam leves ſe præſtiterunt, ut ex corrogato auro triens ſufficeret. At verò tunc primùm magni ponderis apud patriam fuerunt. *Ex Mombrit. & Pet. de Natal.*

Homo quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus eſſe de cælis? ergo cæleſtem vitam monſtra in habitatione terrenâ; quia ſi quid in te geſſerit terrena cogitatio, cælo maculam, cæleſti generi injuriam inuliſti. S. Pet. Chryſ. ſerm. 71.

S. LAURENTIUS M. 10. *Auguſti.*

DUcebatur ad mortem Sixtus Pont. Max. & ecce LAVRENTIVS expoſtulare cum hoc cœpit,

cœpit, non quòd ad præmia iret, sed quòd sine filio pater iret. Enimverò qui ad aram socius fuerit, ad crucem se futurum. Ad hæc Sixtus: Suum esse præire, ministri sequi; suum, hæredem vitæ relinquere, cujus si fuisset, propediem etiam mortis futurum; thesauros interim Ecclesiæ tyranni manibus subduceret. His lætior LAVRENTIVS confestim opes omnes sacras in pauperum sinus abdit, hi cælo condunt. Valerianum deinde hiantem & inhiantem ad templum ducit, & pauperē longo ordine de ponte gregem monstrans, hi inquit, thesauri, quos orbis habet, sunt maximi. quin tu hos ambis avarus, hos foves, &, si sapis, his tuum etiam jungis ærarium. Hic Imperator virgas, flagra, ignes inclamare, & hæc omnia continuò LAVRENTIO carnifices admovere, ut jam abeuntem animam Deo martyr commendaret. Sed è Cælitibus adfuit, qui sudorem Athletæ & sanguinem linteo abstergeret. Tyrannus interim os LAVRENTII saxis, hic verò aures tyranni verbis liberrimis pulsavit. Ad extremum craticulæ super injectus, & lento igne tostus, non tamen insultare Valeriano destitit, sed subinde arridens illi, *verte* exclamavit, *& manduca*. Et ille quidem hoc epulo indignus fuit. At cæli, quos jam dudum odor nobilissimi convivii exciverat, ad se tam nobile ferculum rapuerunt, & convivas, si modò placet, etiam nos habere peroptant. *Ex Lip. & Baron.*

Quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium? ejus exemplo provocamur ad martyrium, & accendimur ad fidem, incalescimus ad devotionem, & si in nobis persecutoris flamma deest, fidei tamen flamma non deest. S. Aug. serm. de S. Laurent.

S. ALEXANDER EP. 11. Augusti.

IN uno vultu & Philosophum, & Carbonarium, & Episcopum, & Christi Martyrem agnosce. Poterat equidem ALEXANDER inter sapientiæ candidatos facilè princeps esse, cùm ipsi jam honores suum clientem ambirent. Sed maluit ille honestiore ambitu sordidatus cælum prensare & inter silvas abditus, quibus stultissima mundi vota notaret damnaretque, carbones facere. Interea advenit Gregorius Pont. (is qui à magnis mirisq; factis nomen habet) Comanis Præsulem daturus. Hîc cùm omnium vota in opulentos & genere ac clientelis nobiles spectarent, unus Gregorius virtutem potiùs ait in solium extollendam, ubi ubi demum illa etiam sub lacero pallio latitaret. Quin igitur (cum risu è turbâ nescio quis subdit) dictatorem ab aratro nobis, aut certè à carbonibus suis ALEXANDRVM adduci imperas, splendentemque jam antè à rogo suo infulâ insuper exornas? Enimverò Numine ita suggerente jubet adduci hominem Pontifex: mox indolem & modestiam altiùs æstimans pro imperio vitæ ordinem sibi explicare; eâ intellectâ & sordibus absterſis mitrâ indui, indutum ad concionem dicere jubet. Tunc enimverò ALEXANDRVM Præsulem suum cives jam non inviti salutarunt, finiitque cum plausu fabula. Ille cùm sanctè diu munus suum administrasset, à fidei hostibus demum igne exustus iterum carbones dedit, sed quibus Ecclesia hunc diem pulchriùs quàm gemmis suos olim antiquitas signat. *Ex S. Gregor. Thaum. & Virid. Rader.*

Omnes delectat celsitudo; sed humilitas gradus est.

Quid

Quid tendis pedem ultra te? cadere vis, non ascendere; à gradu incipe, & ascendisti. Aug. epist. 18.

S. SUSANNA VIRG. MART.
11. *Augusti.*

VNam lex vetus nobis SVSANNAM laudat, pudicitiæ matronalis exemplar; multò rectiùs nos alteram, virginitatis speculum & post sanguinem pro Christo fusum longè pulchriorem illâ alterâ. Quare oculos etiam Maximiani in se, sed longè antè Christi rapuit; cujus thalamo ut servaret sese, illius amores contempsit. Quid, quòd eos, qui conciliare SVSANNAM Maximiano adlaborarunt, priùs SVSANNA Christo conciliavit? Eam ob rem cùm grave virgini certamen immineret, ab Imperatrice Serenâ (Christo clàm jam tunc addicta hæc erat) in aulam evocata est. Ibi cùm totos dies precibus se & adhortationibus mutuis armassent, in pugnam denique proditura SVSANNA domum concessit. Nec multò pòst adfuit Maximianus & malis auspiciis amoris ædes castas necquicquam oppugnavit. Nam rectiùs SVSANNA Angeli ductu pugnavit, qui ab ædibus repulit profanum. Successit Maximiano Imp. Diocletianus, Macedonio misso, qui ad Deorum sacrificium velut ad fœdus invitaret tam fortiter decertantem. Sed nimirum geminum hostem triumphare etiam hæc SVSANNA debebat. Et verò triumphavit, rectiusque Deo ipsam humi afflictam dæmonis statuam sacrificavit. Mox eidem post multa verbera gladio cæsa sanguinem etiam suum litavit. Istum peplo suo excepit Serena, domumque veluti ingentem thesaurum reportavit. Et reverà purpuram, qualem nunquam antehac

etsi Imperatrix, & in eâ tot gemmas, quot guttas portabat. *Ex Surio.*

O anima, quæ in te Christum habes, attende tibi, tibi ipsi vaca: immortalis est Christus sponsus tuus; cave eum deseras, ne ab eo derelicta diligas inimicum tuum ab omni justitiæ pulchritudine remotissimum. S. Ephrem de exercitat.

S. CLARA V. 12. *Augusti.*

FRanciſci illuſtris partus virgo CLARA eſt, mater eadem omnium virginum, quæ Franciſci inſtitutũ æmulantur, jam antè parenti ſuæ, quàm naſceretur, à Chriſto è cruce laudata. Ergo unicum ſexûs ſui miraculum ea facere molles virgunculas docuit, quæ multi in viris miramur, pauci imitamur. Aſperrimam vitæ rationem, atque ultimam, quam in ordinem ſuum invexit, paupertatem cordi DEO eſſe, vel tunc probavit, quando abundare in vacuo etiam vaſe oleum fecit, & dimidium panem quinquaginta omnino virginibus ſufficere. Neque erravero, puto, ſi Moyſi etiam feminam æquiparavero. Certè obſidione gravi cùm Aſſiſium cingeretur, precibus ante Euchariſticum epulum CLARA depugnans omnes in fugam hoſtes egit, certiorque de victoriâ ab ipſomet ſponſo Chriſto eſt facta. Ab hoc aliàs nunc ad naſcentis cunas, nunc ad patientis tormenta ſpectanda cùm evocata eſſet, Crucis deinceps ſigno ita uſa eſt, ut contra morbos Alexiteriorum, contra orci minas Panopliæ vicem eſſet. Jam moriens uti è terris cum purpurato ſenatu ſummum Pont. ita è cælis cum candido virginum agmine virginum Reginam, & cum hac ſummum Numen ad ſe pertraxit; itaque in cælo

fuit,

fuit, antequàm fuit. *Ex Surio.*

Sanguine Agni servatur domus à percussione Angeli: & aquâ maris rubri extinguuntur inimici, quæ sunt mysteria Ecclesiæ Christi. Hieron. super Luc.

S. CASSIANUS EP. ET MART.
13. *Augusti.*

PUlchriùs longè CASSIANVS post Pontificatum, quem apud Brixentas gesserat, quàm post Regnum olim Dionysius, ludum in foro Cornelii exul aperuit, non ignarus has demum illas esse rasas tabulas, è quibus nec senectus mores expungat, quos olim infantia inscripsit. Sed heu quoties juventus indignum tuis Doctoribus Minerva ingrata persolvis? Rapitur ecce ad judices CASSIANVS, & impietatis in Deos damnatus pueris traditur excarnificandus. Nulla mora. Convolant velut ad ferias literarias pessimè feriati, & ad pœnas magistrum nudum discipuli vocant. Pars tabulas capiti illidunt franguntque, pars graphiis, nunc punctim, nunc verso stylo cæsim invadunt, vulnera identidem convitiis interpolantes. Alii nunc demum sibi literatum videri præceptorem clamare; alii rogare, num rubrica hæc placeret? num amplus satis latusque stylus esset? satne acutum foret epigramma, quod exararent? Alii denique hortari se mutuò, ne otiosi essent; hoc præceptoris semper unicum præceptum fuisse, nunquam stylum ponere, semper aliquid scriptitare. Et fortè unus è turbâ aliquis: ingrati non erimus CASSIANE magister, multas fateor tibi debemus, sed, hem! quas accepimus omnes reddimus, & cum fœnore, plagas. Quærebat interea per mille vulnera exitum ingens anima, nec re-

periebat, usque dum omnia in unum confusa victrici in cælum viam fecerunt. *Ex Prudent.*

Spem tuam omni horâ in Deo pone, & quidquid tibi accesserit, sive bonum sive malum, ex toto corde semper dic, Deus in adjutorium meum intende. Si vis salvus esse, versiculus iste de corde tuo non recedat : cum ipso dormi, & cum ipso vigila. S. Aug. serm. 1. de Jejun.

S. RADEGUNDIS REGINA.
13. *Augusti.*

SAlve nitidissimum coronæ Gallicæ lilium, salve RADEGVNDIS! & tu Mariane, eia mecum odoribus pascere; quibus cælum gaudet. Superi! Regis filia, & Regi nupta ecce mendicabulis famulatur; opobalsama ducit pædorem & nauteam: exesa scabie capita & quas lingua nominare fugit ultimas sordes dignas gemmas putat, quas regiâ manu tractet. Inter delicias esurit, inter falerna sitit: purpuram pulchrè cilicio suffulcit: superbit tergemino torque, sed ferreo, sed carni nudæ jam innato potiùs quàm illigato, quid? Anne regnum etiam calcat generosa? ecce aulam Asceterio, Clotarii lectum Christi thalamo permutat. Quid amplius a feminâ sperem? & tamen nescio quid amplius amor ingeniosus meditatur. En flammas hic subdit, manum armat, æneam candentemque plus à suis quàm alienis ignibus Christi effigiem corpori inurit, dum cordi cupit. Falleris ô RADEGVNDIS si animo insculptum necdum credis. inde prototypon manus sunt mutuatæ. Nimirum hæc cælo vim faciunt. Adest Deus amatus & amantis etiam ipse vultum indutus blanditiis amantem demulcet, & coronæ suæ pulcherrimum eam unionem appellat. Sed & paranymphi Angeli

sponsæ

sponsæ morienti adsunt, & cantu ah nimiùm suavi animulam evocant. Quid ô Angeli! quid suum terris lilium eripitis? Ah alia saltem cælo semina spargite. despero. imò ex horto Mariano spero. *Ex Surio.*

Christus opprobria, irrisiones, contumelias, alapas, sputa, flagella, spineam coronam crucemq; sustinuit. Et nos miseri ad nostram confusionem uno sermone fatigamur, uno verbo dejicimur? Isidor. de summo bono.

B. STANISLAUS KOSTKA.

14. *Augusti.*

STANISLAVS ex illustri apud Polonos Koskarum familiâ, cùm Viennæ Rhetoricæ operam daret, Mariam ferè laudandam sibi sumpsit, latum videlicet oratori campum. A fratre majore etiam verbera passus non tamen ideò minùs aut virtutem coluit, aut sacrum epulum frequentavit, ad quod semper pridiano jejunio famem acuebat. Inde hoc ipsum ægro, cùm ter irruentem in se Stygis Cerberum Crucis signo fugasset, D. Barbara inter Angelos ministravit; mox ipsa MATER languentem recreavit, collocato puero JESV in decumbentis lectulo; abiens deinde monuit, Societati JESV nomen daret. Cui rei cùm obicem posituri essent frater ac parentes, fugâ elapsus Dilingæ in convictorum ædibus tam nobilis hospes mediastinum egit: Romæ in Societatem receptus iis divini amoris facibus arsit, ut recreare frigidâ pectus æstuans fuerit necesse. Itaque cælo jam maturus cùm prælegi sibi patronorum nomina (menstruorum præcipuè) jussisset, nunc in JESV effigie vulnera, nunc in MARIÆ, ubera deosculans, & utriusque nomina inclamans expiravit,

pridie VIRGINIS ASSVMPTÆ; quam num amaret rogatus, quid ni, inquiebat, MARIAM amem matrem meam? ita enim eam appellitabat novos semper de illâ titulos & magnifica verba excogitans. Utique igitur MARIA mater STANISLAI, sed & filius STANISLAVS MARIÆ fuit. Utinam plures fratres numeraret! *Ex Franc. Sacchino.*

Panem cæleſtem ſpiritualiter manducate, innocentiam ad altare portate. Mentiri Deo potes, Deum fallere non potes; novit ille quid agas: intus te videt, intus te examinat, intus inſpicit, intus judicat, aut damnat, aut coronat. S. Aug. tract. 26. ſuper Joann.

ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRG.
15. Auguſti.

AGe penna, quid humi repis, dum VIRGINEM laudas? altiùs vola, & ſupra cælos laudibus hodie merentem tolle. Sequimini Sodales, ſi germani MARIÆ pulli eſtis. Creſcebant, & oculos cæli multùm delectabant primi Eccleſiæ floſculi, cùm hos è cælo filius, in terris MATER foveret. Sed denique ille matrem terris, hæc filium cælis invidebat. Ergo igitur iterum boni nuntii bajulus Gabriel adeſt, & ad ſuaviſſimum mortis ſomnum invitat. Adſunt interim divino nutu, qui toto orbe diviſi erant Apoſtoli, & lectulum abiturientis ambiunt. Cerneres pro virgine certantem cum cælo terram. Hinc filii lacrimis retinent, & amplexu morantur; illinc ſuaviſſimi Cælitum moduli animam beatam proliciunt, trahuntque ah! ſponte properantem. Suſcipit proinde matrem filius, ſinumque pro ſinu rependens illuc evehit, unde unum illa Deum ſuſpicit, alia omnia deſpicit. Solabatur terra luctus ſuos opimo

ſpolio,

spolio, corpusculo Virgineo, sed etiam hoc brevi spolianda. Etenim cùm, ita Numine volente, seriùs è XII. proceribus Thomas adveniſſet, & amiſſam Matrem etiam in tumulo mœstus quæreret, præter lintea, tam magni thesauri nuper involucra, nihil reperit; quòd cælum etiam Corpus subduxiſſet. Ah liceat amplexis pedes, & in hederæ morem alligatis dicere; Nunc, si terram nauseas, Virgo, Scande Cælum. *Ex Brev. Rom. &c.*

Præceſſit nos Regina noſtra, præceſſit, & tam gloriosè ſuſcepta eſt, ut fiducialiter ſequantur Dominam ſervuli clamantes, trahe nos poſt te; in odore unguentorum tuorum curremus. S. Bern. ſerm. 1. de Aſſ. B. M. V.

S. ARNULPHUS EP. *16. Auguſti.*

SÆpè matres & viva filiorum funera malè rident & malè lugent mortua; id quod ARNVLPHI etiam mater primò factitabat, dum quem primum enixa est filium, spem unicam familiæ, sed morte intempestivâ sublatum non posse deflere satis sibi videbatur. Sed monuit bonus Genius æquo animo ferret, quod non posset non ferre; qui maximè oculis arriderent flores, hos primos carpi. Non invideret filio Cæli contubernium, in omnia vitia, si porrò iviſſet, atque adeò latronum societatem abripiendo. Potiùs nascituri àlterius filii spe animum erigeret, qui vitæ sanctioris famâ orbem esset impleturus. Atque hic ARNVLPHVS noster fuit, aulam primò & militiam, tum monasticen secutus, eo semper vitæ tenore, ut dubium pænè fecerit, sanctiórne miles an monachus fuerit. Ex hoc Abbas, ex Abbate Pontifex Sueſſione ita se gessit, ut extremùm ægro ter concussum cubiculum ter spectaculum objecerit jucundiſſimum

morituro. Nam primò videre Apostolorum Principem habuit, qui noxarum veniam largissimam nunciabat: mox cælestium agminum Primipilum, qui commeatum in cælum promittebat; demum ipsam cæli Reginam, quæ festo sibi, quo cælo recepta fuit, die, recipiendum cælo etiam ipsum indicavit. Tanti, ô Superi! tanti ægrotare etiam mihi foret! *Ex Surio.*

Pretiosa mors sanctorum, pretiosa planè, tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janua & perfectæ securitatis ingressus. Bern. in epist.

S. ROCHUS CONF. 16. *Augusti.*

NAscitur ROCHVS loco perillustri in Galliâ, portentosâ Cruce à matre rubens: ætatis anno duodecimo amissis parentibus etiam opes in pauperes abjicit; ipse ditione suâ patruo commissâ, Italiam Religionis caussâ petit. Hìc dum laborantibus peste servitium suum addicit, magnâ omnium admiratione quàm plurimos sanitati Crucis signo restituit. Secundùm hæc divinitus edoctus, quibus malis porrò exercendus esset, acutâ primùm febri tentatur, mox sagittâ coxam trajicitur. Sanus boni Angeli ope, dum in patriam repedat, iterum æger ex itinere sub arbore decumbit, annonam in dies singulos panem unum cane subministrante. Redux denique in suam ditionem, eandem domi, quàm foris fortunam, hoc est iniquam reperit. Grassantibus enim per ea tempora ubique bellis, pro exploratore habitus captusque ab ipso patruo hospitio publicitus, hoc est, carcere excipitur. Hoc cùm mille modis absolvere seipsum posset, quinque ipsos tamen annos delite-

scit.

scit. Tandem cùm nomen tabulæ suum inscripsisset, simul amplam sponsionem, quâ cælum omnibus peste correptis medicinam ROCHI intercessionem fore edixerat, peste ipse Medicus pestiferorum decedit. Sed tanti fuit, ut liber animus è gemino carcere evolaret. *Ex Lippeloo.*

Quomodo tenebas sacculum, ne tibi extorqueatur à fure, sic custodi innocentiam, ne tibi extorqueatur à diabolo; sit illa certum patrimonium tuum, de qua sunt divites & pauperes. Quid tibi prodest lucrum auri, & damnum innocentiæ? ergo custodi innocentiam. S. Aug. serm. 3. sup. ps. 36.

S. MAMMAS M. 17. *Augusti.*

QUi puerum MAMMANTEM Martyrem miraris, noveris lac Martyris bibisse. In carcere quippe natus primas cunas vincula habuit, primùm ridere inter utrumque parentem mortuum visus est, cùm pater ante ejus ortum, mater non multò pòst obiissent. Talem matronæ commendavit Angelus educandum. Mox cùm annum ageret quintum decimum, virum jam se tyranno & contra verbera Spartanum, contra ignes Romanum præbuit. Undis deinde suffocando iterum Genius Tutelaris adfuit, actisque in fugam tortoribus Martyrem in montem duxit. Hìc generosus puer tot jam penè nutrices, quot silva feras numeravit; cùm hæ ultrò Divi mulgentis manum ambirent, iisdemque deliciis & famem nobilem & sitim pellerent. Atque hujus miraculi fama cùm aures Præsidis pulsasset, equites misit, qui MAMMANTEM sisterent. Excepit MAMMAS ignaros, primumque lacte & caseo, tum ipse ferarum spectaculo recreatos in urbem est secutus. Iterum ergo

go plagis sævitum, sed quas inter rideret MAMMAS; iterum fornax succensa, sed in quâ quartum puerum Babylon agnosceret. Feris quoque cùm objectus esset, ursus parduſque sudorem Athletæ abstergebant; leone interim, qui comes Martyri è monte iverat, in carnifices grassante. Denique tridente confossus MAMMAS ilia effusa extra urbem extulit, & moriturus ipse sepulchrum spelunca subiit. *Ex Metaphr.*

Terram nesciat, amorem carnis ignoret, nihil in sevitiis licere permittat, qui se Dei filium credit; actu, vitâ, moribus, tanto generi respondeat; ne iterum ad terrena descendens ad tanti genitoris tendat injuriam. S. Pet. Chrys. serm. 68.

SS. PAULUS & JULIANA MM.
17. *Augusti.*

PTolemaidem urbem Aurelianus Imperator ingrediebatur, Christianos, si ita Diis placeret, triumphaturus; cùm inter effusos obviam cives PAVLVM conspexit signo Crucis contra minas improbas se armantem. Primum igitur impetum Tyrannus in hunc fecit, suspensumque cædi atrociter imperavit. Interea Soror PAVLI adest JVLIANA geminâ planè virtute, & iisdem armis in hostem armata. Ea verbis pro innocentiâ germani pugnans acriter in tyrannum invehitur. At hic eodem supplicio jubet affligi. Sed aërem verberabant carnifices. Hinc in liquatam flammis picem mittuntur; sed ingressos Bajas crederes. Mox in sellas imponuntur ab igne subjecto ardentes; sed illi inter pœnas has verè otiosi assidebant. Ergo in carcerem compinguntur fame longâ expugnandi. Sed ecce nocte intempestâ Angelus adest & ex-

pe-

peditis è vinculis epulum triumphale ſtruit. Ab hoc veteres iterum pugnas pugnant, inter viperas incolumes, inter omnia tormenta ſalvi. Illud JVLIANÆ peculiare, è lupanari pudorem ſalvum aſportaſſe, Angeli præſidio, qui luce inſolenti, quotquot vim inferre Virgini meditabantur, omnes excæcavit. Reſtituit tamen illa facinus deteſtantibus oculos, & poſt victos iterum ignes gladio cæſa novo more & ſpectaculo nunquam Romæ viſo cũ Fratre Soror triumphavit. *Ex Metaphr.*

Tale viri Chriſtiani Apoſtolus voluit eſſe convivium, ut magis fides Chriſti, quàm prandii ſagina comedatur; & plus reficiat hominem Dominici nominis frequens invocatio, quàm epularum multiplex & copioſa collatio, meliuſq; paſcat religio, quàm ſagina. S. Max. hom. 2. de Carn. Hoſt.

S. CLARA DE MONTE FALCO V.
17. *Auguſti.*

COrculum videre te Cæli puta, quiſquis Cor hoc CLARÆ vides tantâ verecundiâ Virgunculæ, ut loqui aliter, quàm vultu velato, religionem profeſſo germano erubuerit, vulnus etiam à tali oculo timens, quid imò facinus non niſi lacrimis expiandum rata imprudentem in ſomno pedem lectulo extuliſſe. Huic pudori tuendo noctes pervigilavit; infandis flammis cilicia objecit; Cupidinem flagris, virgis & urticis terruit; hoſtem verò inteſtinum ultimâ fame domuit, linguamque ita frenavit, vel ſemel tantùm, matris alloquendæ gratiâ, ſilentium in vitâ fregerit. Huic virtuti inſidias facturus Veterator Joannam ſororem (vitæ tam ſanctæ Magiſtram) mentitus eſt, & virginitatem cum velo juſſit exuere, ni vitâ vellet

let exui. Sed rejectâ hâc adulterinâ sorore, vitæ doctor deinceps Christus succeſſit. Hic modò CLARÆ vel è Matris ſinu oſculum, vel ſeipſum manibus ſuis cibum ferre, vel ſtipem mendicus auferre; modò Agnelli formâ caſtiſſimæ colludere, modò denique cum Cruce Sponſi habitu adeſſe, & locum huic in corde expetere. Atque tunc nobilem illam, & quam in grandi demortuæ corde admirabundus Orbis ſpectavit, peractam cælaturam credimus, quæ præter ternos ejuſdem inter ſe ponderis globos (nobile Sanctiſſimæ Triadis ſymbolum) omnia Sponſi patientis arma exhibuit. In nobis nil tale ideò Cælum ſculpit, quia dura heu! nimis ſaxa gerimus. *Ex monum. Eccl. Mont Falc.*

Infige pectori tuo, cordi tuo ſignaculum Crucifixi; infige & brachio tuo, ut opera tua peccato mortua ſint. Nihil in his criminis reviviſcat, nihil erroris reſurgat. Ambroſ. in pſ. 118.

S. AGAPITVS M. 18. *Auguſti.*

ETiam AGAPITI citiùs annos, qui XV. tantùm fuere, quàm pugnas numeres. Nervis enim primò diriſſimè cæſus talem ſe præbuit, ut Sparta ſuum diceret, niſi Præneſte ſibi vindicaret. Mox in carcere quatuor diebus ſine omni cibo degens ſuo ſucco, hoc eſt, cæli deliciis vixit. Inde iterum protractus vivos carbones in capite circumtulit, pulchrè ipſo ſupplicio ſuo coronatus. Sub hæc veſtibus ſpoliatus omnibus, adductam ſe jam expeditiorem credidit. Ab equuleo ex pedibus pendulus gaviſus eſt è terrâ ſublatum cælo ſe propiorem eſſe. Flagris peſſimè acceptus nuditatem tunc domeſticâ purpurâ texit, ſanguine. Jam ubi fumum pendenti Antiochus præſes ſubjecit, riſit etiam hunc

hunc, ut cujus consilia omnia denique in fumum abirent. Tum verò geminari verbera, & perfundi pectus bulliente à flammis aquâ, & pugnis frangi malas Athletæ tyrannus jussit. Sed hic, non ille etiam hæc sensit supplicia, vi divinâ è tribunali mox etiam è vitâ exturbatus. Aurelianus ergo Imp. morte AGAPITI Antiocho suo parentaturus ad bestias damnavit invictum. Sed hæ cùm pedes victoris lamberent, docuerunt humanitatem in feras, feritatem in tyrannum immigrasse. Tandem AGAPITVS decollatus intra geminas columnas dicere sine mendacio Herculi potuit PLVS ULTRA. *Ex Ferrario.*

Si membris integris & valentibus flores, noli corporis robore & viribus gloriari; sed considera quot & quanta corpori pericula immineant; quamvis enim ad exiguum tempus corpus nostrum firmum sit, tamen quid posterior partitura sit dies, ignoramus. S. Ephrem. de Vit. spir.

S. LUDOVICUS EPISC. 19. *Augusti.*

LVDOVICVM Caroli Regis Siciliæ primò, pòst S. Francisci filium tenes. Puerulus somnum statis humi precationibus interpellavit. Caponem, quò pauperum præda esset, pio furto è mensâ ablatum, cùm parens id subodoraretur, in rosas vertit. Arma ludicra tractantem cùm equus abjecisset, vicissim mundum ludibrio habiturus arma ipse & equos abjecit. Quare quo die soror in manum hominis convenit, ipse sacris initiatus virginitatem Deo despondit, dæmonemque sub fele insidiantem signo Crucis elusit. Æger voto ad D. Virginem facto è morbo surrexit, & in D. Francisci familiam abiit. Inde ad Pontificatum Tolosanum evectus est. VIRGINEM uti in omni vitâ, ita

ita in morte frequentissimè salutavit. Causam rogatus id solùm respondit: *Morientem illa juvabit me.* Neque falsus est. Visus inter Angelorum manus in cælos evolare, auditæque ejuscemodi voces: *Sic fit servienti Deo in munditie & puritate.* A morte multi propitium mortales habuere. Inter hos Dionysium Lusitanorum regem numerant, quem ursus ex equo in ultimum periculum dejecerat. Sed in tempore LVDOVICVS è cælo adfuit, monstravitque Dionysio, quì pugione mortem à se in ursum averteret: Hoc beneficium LVDOVICI gratumque Dionysii animum Ædes sacra extructa & in Æde Epigraphe hæc (LVDOVICO SERVATORI) loquitur. *Ex Lippeloo.*

Si vis terrenas bestias non timere, si vis evitare aves rapaces, voraces vultures, hoc est, aves aëreas, quæ sunt nequitiæ spirituales, elevare à terrâ, terrena defere, sume alas columbæ, sume pennas divini solis fulgore radiatas. S. Pet. Chrys. serm. 98.

S. SEBALDUS CONF. 19. *Augusti.*

REgius sanguis SEBALDVS Sponsam non impari conditione domum duxerat Virgo Virginem & pietatis amans amantissimam ejusdem. Ei sub primam noctem ob oculos SEBALDVS posuit SPONSAM VIRGINEM SPONSVMQVE JOSEPHVM, quos utique non nisi Virgo amor junxisset. Hos olim jam ostendisse, posse lilia casta etiam è thalamo Virgine surgere. Tam gratum cælo odorem nisi ipsa invideret, statuisse se hæc miracula iterum orbi ostendere. Nihil poterant gratius audire Virginis aures. Itaque bonum factum! alteræ nuptiæ eâdem nocte fiunt, & virginitas conjugio copulatur. Subinde Romam SEBALDVS

abit,

abit, & in viâ ecce castitati cibum potumque è cælo Ales ministrat. In reditu apud Ratisponenses foco, cùm ligna deessent, glacies inservit, & adeò virtuti jam unda flammas præbet. Quid? pallio instrato Istrum trajicit (Nymphis credo castitati plaudentibus) talisque nauta oculos alteri nautæ immeritò effossos restituit. Moritur deinde anno D.CC.XL. cùm vitam solam propter Norimbergam egisset. Funus feri tauri duxerunt. Adeò omnia alia domat, quisquis carnem. *Ex Bav. S. Raderi.*

Ah quando tantum Deo, quantum mundo? quando tantùm cælo, quantum terræ? quando tantum virtuti, quantum vitiis fragilitas humana famulatur? Totus homo sic carni deditur, ut nihil in se, quod divinis bonis deserviat, derelinquat. S. Pet. Chrys. serm. 114.

S. BERNARDUS ABB. 20. *Augusti.*

BERNARDVS est, ille (invidete Mariani) Dei collactaneus, quem mater cùm utero ferret, catellum putavit, sed pro Ecclesiâ latraturum. Puero puer CHRISTVS nocte Natalitiâ visus est, nobilius omni die spectaculum. Adolescens quòd oculum in feminam defixisset, in rigentes aquas insiliit, incendia aquis præventurus. Aliàs cùm ejus pudori insidias hospita strueret, *latrones, latrones* iterum iterumque clamavit, ratus diris simos prædones esse, qui animum castitate exuerent. Hinc ad Cistercience Monasterium XXX. secum socios traxit. Hos inter cùm fratres omnes BERNARDI præter Nivardum natu minimum essent, & huic Guido natu maximus inter valedicendum dixisset: *Eia frater te unum jam hæreditas paterna spectat*; supra omnes senes doctè puerulus respondit:

dit: *Pulchrè verò assem dividitis; vobis cælum habetis, mihi terram reliquam facitis: at hoc fide profectò minimè germanâ.* Mox cùm per ætatem licuit, fratres secutus litem de cælo illis non ingratam fecit. Eruditionem BERNARDI loquuntur ejus Volumina meros favos spirantia, tum præcipuè cùm de melleâ VIRGINE sermo est; ut meritò ex hujus uberibus hausisse hoc nectar credamus. Sed & nobis iidem fontes essent, si eadem cum BERNARDO sitis esset. *Ex vitâ ejusdem.*

Mundus transit & concupiscentia ejus, & relinquere hæc magis expedit, quàm relinqui. Sed nec inutilis commutatio, pro eo, qui super omnia est, omnia reliquisse. S. Bernard. sup. illud. Eu. Ecce nos.

S. STEPHANUS REX. 20. *Augusti.*

STEPHANO nomen necdum nato ipse STEPHANVS Protomartyr indidit. Sponsam duxit Giselam D. Henrici Imp. sororem. Hæc illi Emericum, cæterùm Christo omnes Ungaros peperit. Tutelam sibi regnoque suo æternam *Castrorum Aciem ordinatam* VIRGINEM MATREM legit. Hujus enim auxilio copias Conradi Imp. jam Ungariæ imminentes avertit. Ipse inter omnes milites maximè sanctas Vigilias nocturnas habuit, sed preces inter; visumque sub his ipsum aliquando tabernaculum regium Angelis bajulis humo sustolli, & tunc per aërem mox per omnium hominum ora volare. Trophæa pietatis suæ templa ac cœnobia per totum orbem sparsit. Miseros ingenti charitate complexus non dubitavit deademate ornatum caput manusque sceptro armatas ad horum pedes abluendos demittere, sportulamque inclientes ipse dispensare. Quare factum aliquando,

do, ut certantibus his stipem auferre, barba etiam regis spolium manibus appetentium cederet. Et hoc ipsum conquestus familiariter VIRGINI STEPHANVS fertur, duriùs ab ejus militibus se acceptum, quàm ab hostibus sperare potuisset. Sed pilúmne ille amitteret, qui liberalem manum multis annis à morte integram orbi ostendit? Hanc obiit ipso VIRGINIS assumptæ die. Huic moriturus unicè iterùm se regnumque commendavit. Felices Ungari, si testamenti STEPHANI meminerunt! *Ex Surio.*

Si est ascendendi ad superna possibilitas, si est facultas vivendi in cælestibus, quare non cælo mutamus terram? quare non caducis emimus æterna? quare non periturîs manentia comparamus? S. Pet. Chrysol. serm. 124.

S. BASSA CUM FF. MM. 21. *Augusti.*

BASSA non tam tergemino filiorum partu, quàm morte felix vixit sub ea tempora, quibus Maximiani ferro longè plurimi Martyres vixerunt, Dæmonum sacrificulo, hoc est, agna lupo juncta. Sed & filii matrem vultu, non patrem retulerunt, utpote omnes Christiani. Eam ob rem unà in jus iniquissimum rapti, accusante ipso filios patre, & uxorem marito damnante. Primùm ex equuleo pendere viderunt cæli & laudarunt THEOGNIVM membris lacerum, animo integerrimum. Alterum AGAPIVM virgæ non puerum sed virum probarunt & sine cute jam suâ fortiorem quàm in alienis exuviis Herculem. Alia item tormenta tertium fratrem sanè Germanum probarunt. Omnes igitur eodem gladio cæsi, eâdem palmâ coronati: ad quem nuncium BASSA plus ali-

aſiquanto exſiliit gaudio, quàm ſi uno die viciſſe omnes in Olympicis audiiſſet. Interea hanc carcere & fame vexatam Angeli cibo ſuo recrearunt, ut ſuum terræ jam minimè invideret BASSA. E carceribus ubi prodiit, ignem, aquas, lapidantium manus & Deos ipſos humi dejectos femina triumphavit. Triumphum ſplendidiorem feræ immiſſæ reddiderunt, quas cicurare virtus potuit, non tyrannum, qui toto mari obruere triumphum BASSÆ voluit. Sed in fluctus abjectam matrem glorioſi è cælo filii naviculâ excepere & ad portum incolumem deduxere. Verùm illa potiùs cæleſte litus ſpectabat. Atque ad hoc octiduo pòſt etſi cruribus fractis & ſine capite, enatavit tamen per ſanguinem ſuum. *Ex Men.*

Subducti terris ſpeculemur cælum, ut ducatu ſignorum cæleſtium, gubernante Chriſto, flante Spiritu ſancto, evictis voluptatum ſpumis, ſuperatis vitiorum fluctibus, atque omnium delictorum naufragiis evitatis, lucrum vitæ & gaudia Reſurrectionis intremus. S. Pet. Chryſ. ſerm. 8.

S. SYMPHORIANUS M. 22. Auguſti.

ANno poſt Deum hominem CC. XXIII. SYMPHORIANVS juventutis Auguſtoduni in Galliâ princeps, quòd cultum Diis negaſſet, juſſu Heraclii, qui pro Valeriano illic furebat, in vincula eſt abreptus, ſed quæ ille digna nobilitate Chriſtianâ monilia putavit. Pugnabat in fortiſſimum juvenem geminâ acie tyrannus: hinc agmen minæ, verbera, flagra, illinc blanditiæ, munera ac promiſſa ducebant: perrupit tamen martyr utrumque cornu, & illud conſtantiâ, hoc etiam riſu vicit fuditque. Sed victorem peſſimus judex

ad

ad gladium damnavit. At SYMPHORIANVS præferri sibi secures non in supplicium sed triumphum putavit, quem augustissimum mater triumphantis fecit, dum his vocibus è tecto & ipsa triumphans, acclamavit. Io! fili, triumpha! Io! tecum mater triumpho! quid enim? Certè victorem filium, præferri secures, & sequi victum tyrannum video. Sed cur sine purpurâ? fallor; an tuus hanc cruor dabit. Et cur sine coronâ? iterum fallor, cælum hanc dabit, nec è mortali lauro dabit. Superi! filio jam supervivere matrem juvat, juvat oculos claudere. Audite votum novum sidera, & tu fili, i, sanguine subscribe. Hæc aut similia mater: filius interim cælestè jam Capitolium victor tenebat. *Ex Surio.*

Queris aurum, &, si volueris, fortè non habebis; Deum cùm volueris, habebis; quia & antequam velles, venit ad te; & cùm aversa voluntate esses, vocavit te; cùm conversus esses, terruit te; & cùm territus consiteris, consolatus est te. S. Aug. sup. Ps. 32.

S. BERNARDUS SENENS. CONF.
22. *Augusti.*

SEnis oriundum sive JOANNEM sive BERNARDVM dicas, nunquàm nomen mentietur, semper virginis clientem loquetur. JOANNES à puero adigetatus, cùm mansuetiorum musarum ductu d Themidis adyta penetrasset, & quas didicerat nodò leges cum plausu jam doceret, quò rectiùs umana perspiceret, in oculorum gravissimam gnitudinem incidit. Placuit à MARIA veriori Cynthiâ lumen mendicare; huic, si oculos illa reddat, totum hominem vovet. Voti damnato dies interim appetebat, quo disputandum pro

more in publico erat. Hîc dum Codicem, dum Digesta frequens corona hiat, ille alia omnia ingressus dicere contra legem hominumque vanitatem declamat; eam vel cœcutientibus nuper oculis se ait pervidisse; ne mirarentur, si hi redditiâ VIRGINE humana omnia despicerent deinceps, è cælo esse: sequerentur illi oculatum nunc Doctorem, qui lippientem nuper. Finem orationi fuga dedit in montem olivis nobilem, quò pluribus jam concurrentibus, JOANNES scalas è cælo, & in his descendere beatos genios vidit, secumque candidatos quàm plurimos ad VIRGINEM FILIVMQVE VIRGINIS abducere, quod visum nequaquam somnium esse tunc credidit, cùm Pontificis auctoritate vestem pro suis ex cæli sententiâ candidam, leges à D. Benedicto sancitas, Ordini nomen à MARIA de Monte Oliveti, ipse BERNARDI accepit. Obiit dum socciis, à peste infectis oculos pius claudit ipsissimus ocellus cæli, ex quo utinam ô MARIANI Argum faceretis! *Ex Chron. ejusd. Ord.*

Quantum illi laudandi atque prædicandi, qui dignati non sunt cum mundo florente florere; tantum increpandi & accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat. August. epist. 45.

S. ANTHUSA VIRG. 22. *Augusti.*

ANTHVSAM patria Seleucia, in hac nobiles parentes, apud hos raræ opes, & cum his rarior forma commẽdabat. Sed illa additura aliquid formositatis etiam animo, Christiani fontis balneas suspirabat, & lavari à Tharsensi Antistite Athanasio exoptabat. Quare veluti ad nutricem invisura currum comite uno alteróve servulo conscendit. In-

Interea monitoribus & comitibus Angelis usus Athanasius obviam venit virgini, & ad primum congressum fontem precibus suis dedit, tum deinde ANTHVSÆ corpus undis, animum gaudiis perfudit. Et ut sciret, quem hîc colorem in tam sanctis thermis induisset, adfuêre gemini cælites, qui veste & ipsâ candidâ candidissimam animulam donarunt. Hac illa superba facilè auream, quam gerebat, contempsit, exutamque Athanasio, ille miseris dedit. Talis denique nutricem adiit, quæ cùm pretium vestis non intelligeret imprudens, culpavit scilicet virginis in tantâ nobilitate modestiam. At hæc clàm matre ad Episcopum revertit, & quòd sciret facilè innocentiæ vestem sordes trahere, impetravit alteram & setis horridam, quâ tegeret priorem & indemnem servaret. Quin, ut ne domestici fures hanc raperent amici, in silvas exportavit. Sed & nutrices pro unâ illâ tot illîc invenit, quot feras, quæ triginta & duos annos aluêre hospitem. Immortua est rupi (lectus hic illi erat) adversùs plurimos insultus dæmonis mali ipsa etiam rupes. *Ex Menæis.*

Caro pretiosis indumentis cooperta quid aliud est, quàm caro fœtida, corruptibilis, necnon ex omni corporis meatu scaturiens in saniem, quam non valet sustinere visus, olfactus percipere, neque ipsa hominis natura perferre? S. Laur. Just. l. de Humil.

SS. CLAUDIUS, ASTERIUS, NEON MM. 23. *Augusti.*

POtest Ægæa hodie invidiam Romæ facere, & tergeminos fratres & ipsa suos jactare, Horatiis vel ideò fortiores, quòd vivus è pugnâ nullus abierit, omnes ceciderint victores. Illis nomina

sunt CLAVDIVS, ASTERIVS & NEON, dissimilia vocabula, cæterùm virtus sub pectore eadem planè & constantia. Primò singuli, tum totâ fraternâ acie pugnarunt; nec in tres solùm hostes, sed in totas carnificum cohortes. Videlicet ad servilem metum, virgas, cederent Christi milites? Risum hæ, non gemitum expressere. Jam unci ferrei & ungulæ bubulique nervi in lacerato corpore integrum animum prodiderunt. Prunis & cum prunis tyranno insultarunt etiam. Tædas corpori admotas fortior ignis extinxit DEI amor. Ex equuleo verò velut è cathedrâ, pulcherrima & dignissima Philosophiâ Christianâ oracula ediderunt. Post tot igitur pugnas meritò denique in crucē triumphavit nobilis fratrum ternio. Neque obfuit triumpho huic, quòd corpora feris avibus præda cederent, cùm nobilissimam eorum partem animam beatiores jam volucres abstulissent. *Ex Lippeloo.*

Renatus & à Deo adoptatus in filium imaginem, tui porta auctoris, non majestate, qua solus est, sed innocentiâ, simplicitate, mansuetudine, patientiâ, humilitate, misericordiâ, qua dignatus est nobis fieri & esse communis. S. Pet. Chrys. serm. 117.

S. PHILIPPUS ORD. SERV. B. M. V.

23. *Augusti.*

MUltam multi servitutem serviunt, nulli honestiorem, quàm qui servos se VIRGINIS gloriantur. Horum ædem, quæ Florentiæ est & MARIÆ ab Angelo Salutatæ fert nomen, ingressus PHILIPPVS noster, dum illa ad alium Philippum verba leguntur, Philippe accede & adjunge te ad currum istum, videt cæli Dominam aureo

in

in curru à beatis mentibus ſtipari, ab ove & leone trahi, videt cæleſte donum atri coloris veſtem ſibi porrigere. Prodigium hoc alterum ſub noctem excepit, cùm ab eâdem DOMINA ſervos ejus accedere eſt juſſus. Et verò acceſſit pulcherrima appendix, egitque aliquandiu in ſpelæo nomine ipſius hodie nobilitato, & fonte, quem ego è lacrimis, quas oppidò multas illic fudit, enatum credo. Inde famâ nominis ſui factorumque tam inclaruit, ut iis permoti purpurati Romæ Patres ad clavum Eccleſiæ vocare cogitarint; ſed ille ſummos honores humili fugâ eluſit, & Arretii cùm fame ultimâ ſocii premerentur, ante imaginem HERÆ ſuæ in Saturnalia ſportas geminas candidiſſimis panibus onuſtas abſtulit. Ad extremum è Germaniâ (quò magno hujus bono Rudolphus Imp. invitârat) Florentiam redux primò omnium VIRGINIS templum ingreſſus, & ante ejus aram in genua abjectus, *Hæc requies mea* exclamavit. Vatem ſibi fuiſſe, ipſo Aſſumptæ in cælos DOMINÆ die morbus, tum octavo ab illo mors oſtendit. Vitæ teſtimonium ad tumbam ejus claudi mancique, quin adeò muti mortuique loquuntur. *Ex Archang. Ianio.*

Agnoſcit Virgo, & diligit diligentes ſe, & propè eſt in veritate invocantibus ſe, præſertim his, quos videt conformes ſibi factos in caſtitate, & humilitate, & totam ſpem ſuam, poſt filium ſuum, in eâ poſuerint, & toto corde quæſierint. S. Bern. in ſerm. ſuper Salve Regina.

S. BARTHOLOMÆUS AP. 24. *Auguſt.*

SUnt, qui BARTHOLOMÆVM in purpurâ natum velint. Sanè obiiſſe purpuratum nemo negaverit. Ut Deum in vota ſua flecteret, genua centies

die, toties noctu fertur flexisse. Cùm deinde orbis XII. viris in totidem provincias cessisset, subigendis CHRISTO populis, diu collega Philippo fuit; post hujus verò triumphum, in Indiam & Armeniam majorem movit. Hîc loci ad ejus facundiam continuò malorum dæmonum simulachra obmutuerunt, & torqueri se immaniter à BARTHOLOMÆO clamitarunt. Proinde orci larvas è cive, itemque Regis Polymii filiâ facilè abegit. Eam ob rem cùm Rex onustos illi auro gemmisq; camelos transmisisset, remissis omnibus, eidem significari jussit, minimè harum rerum mercatorem se agere, sed animarum, quas si cælo intulisset, tum demum lucrum ingens se fecisse existimaturum. His igitur Rex permotus non difficulter manus illi dedit, à quo ipsi Dii victos se esse faterentur; traxitque suo exemplo cum liberis regni benè magnam partem. At Astyages Regis frater nimiùm quantum hoc nuntio exacerbatus, pellem vivo detraxit BARTHOLOMÆO, & capite truncavit. Quid ad hæc vos, qui pellem lautè ac nitidè habetis, qui aqualiculo fulcitis? necdum angustam ad cæli atria portam creditis? *Ex Brev. Petro de Natal. & Lippeloo.*

Non caret regiâ potestate, qui corpori suo novit rationabiliter imperare: verè enim dominator est terra, qui carnem suam regit legibus disciplinæ. S. Aug. l. de verâ innocentiâ.

S. AUDOENUS EP. 24. *Augusti.*

ANulum Dagoberti Regis AVDOENVS curabat, ipse anuli pulcherrima gemma. Officio suo tunc se fungi arbitrabatur, si Regem sui commonefeciisset. Pauperum pater amantissimus, sui ju-

judex severissimus carnem nudam cilicio tegebat, cilicium aureâ veste dissimulabat, hoc sanctior, quò superbior. As paternus inter illum & fratres ita dispensatus, ut omnem pauperes monachique acciperent. Ipsi quoque rebus humanis omnibus vale dixerunt, & vel inter monachos aulici, vel quod magis mirere, inter aulicos monachi vixerunt. Episcopus Rothomagensis creatus Hispanias septem annorum siccitate vexatas lacrimis primò, mox imbre beato recreavit. Monumenta pietatis templa ac cœnobia plurima reliquit, prodigiis non rarò adjutus. Ita templum meditanti locum crux per aërem visa rutilare igneaque columna ostendit. Aliàs commercium, quod illi cum cælo erat, literæ inde missæ prodiderunt, quibus monebatur, ne D. Marculphi caput à reliquis ossibus (ut quidem cogitabat) separaret. Saxum ingens, quod loco movere multa boum juga non poterant, duabus buculis obsequens habuit. Id cùm insideret per contemptum mulierecula, discludi è suis orbibus oculos suos vidit. Quid, quòd laudes AVDOENI ranæ templo vicinæ locutæ sunt, cùm obstrepentes divinis officiis tacere jussæ imperio Divi paruerunt? At nostro ævo ranas garrulas in ipsum templum videas penetrare. *Ex Surio.*

Angusta via est, quæ ducit ad regnum. quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus, tanquam onustum animal transire non poterit. Tam enim angusta est diviti porta cælestis, quàm est camelo acus foramen. S. Max. serm. de S. Mich.

S. GREGORIUS CUM SOCIIS C.
24. *Augusti.*

QUo tempore rerum Constantius potiebatur, multumque Arrianis ipse etiam Arrianus favebat, reperire tergeminos fuit milites (GREGORIVM, THEODORVM & LEONEM dixerunt) qui pluris facerent sacramentum quod Deo, quàm quod hæretico dixerant. Proin cùm pro Fide sanâ aut mori fortiter, aut pulchrè certè vivere apud animum suum constituissent, in Samum Insulam trajecerunt, ibique templi nescio cujus rudera velut castra novæ suæ militiæ insederunt. Hîc nimirum semper illi in acie contra orcum stare, aut egregii certè triarii inter preces in genua subsidere, quin imò inde ad superos excurrere, cælumque jam non invitum lacrimis & gemitibus tam diu expugnare, quoad emeritis uno eodemque die omnibus beatam vacationem mors felix dedit. Fortè in vicino homo agebat nobilitate opibusque potens, sed cujus felicitatem fortuna leprâ horridâ aspersérat. Huic pro valetudine pristinâ supplicanti cælites nostri se objecerunt, monuerunteque, ut corpora, quæ ferarum injuriis ad id usque temporis exposita jacebant, terris mandaret; ita fore, ut cum his lepram etiam sepeliret. Enimverò cùm studiosè medicos suos ille quæreret, ducem denique pastorem & odorem (quem mirum corpora spargebant) secutus, invenit tandē; & cùm primùm oscula his cœpit figere, simul lepram cœpit abstergere. Jamque gratus singulis Divis tumulum, æternum deinde omnibus monumentum monasterium extruxit. *Ex Pet. de Natal.*

Rex noster Christus non tam nitorem vestium, quàm ani-

animorum requirit affectum : non inſpicit ornamenta corporum, ſed conſiderat merita cordium ; nec cinguli operoſitatem miratur, ſed caſtimoniæ libidinem reſtringentis pudicitiam miratur. S. Max. in Vig. Nat.

S. GENESIUS MIMUS M. 25. *Auguſti.*

CUm Comœdias hucuſque & riſum dediſſet GENESIVS, tandem poſuit hodie ſoccos, & cothurnos indutus tragœdiam & ſanguinem dedit. Nempe doctiſſimus Mimus, cùm mores rituſque Chriſtianos ad amuſſim perdidiciſſet, fabulamque oculis Diocletiani dare inſtituiſſet, æger in theatro procumbit, aquaſque luſtrales multis gemitibus ſuſpirat. Adſunt ex compoſito ſocii & undas petenti ſimul Imperatori ac populo riſum propinant. Intereà ſeriò rem agit, aliaque ſpectacula GENESIO cælum facit. oſtendit benè longum ſcelerum, quæ patraverat, catalogum, atque his, modò velit, ſpongiam baptiſmum promittit. Hîc enimverò Chriſtum GENESIVS conclamat, & Chriſtianum ſe jactat, nimis benè ſimulare jam doctus. Igitur riſus, plauſus muneraque miſſa Mimi artes laudabant. Imperator quoque ludos poſt ludos ſperans milites mittit, qui GENESIVM (Chriſtianum ſcilicet) ad tribunal raperent. Sed hic ſecutus oſtendit reipsâ Diocletiano, etiam poſt poſitam perſonam, Chriſtianum ſe eſſe. Tum enimverò in furorem abire ille, palàm faſſus ſanguinem ſe geſtire bibere GENESII. Et dedit hic ſanguinem ex equuleo pendens, ferreiſque uncis lacer & tædis uſtulatus. Jamque ultimus actus è fabulâ reſtabat. Hunc more jam apud Martyres recepto mors gladio abſolvit. Et nimirum luxit tunc Roma delicias amiſſas. at Superi tunc primùm Mi-

mo etiam ipsi adridebant. *Ex Surio & Baron.*

Cesset vitiorum pruritus pestifer, discutiatur à sensibus caligo tota pompæ sæcularis, abjiciatur à mentibus mundanæ cupiditatis illusio, appetatur paupertas Christi, sanctitas animæ custodiatur, ut imago Creatoris nostri portetur & clarescat in nobis. S. Pet. Chrys. Serm. 117.

S. LUDOVICUS REX C. 25. Augusti.

VItam omnem LVDOVICI noveris, si leges noveris, quas sibi primò, tum deinde filio dixit. Harum capita habe. I. Deum præ omnibus amato. II. Peccatum mortiferum ceu anguem fugito. III. Adversis ne deprimitor. IV. néve prosperis extollitor. V. Animæ plagas spiritali medico crebrò nudato, & medicinam quamvis asperam nullam respuito. VI. In precandi studio assiduus esto. VII. Animum in miseros pium & liberalem gerito. VIII. Cùm animo malè est, in consilium quàm mox virum bonum adhibeto. IX. Boni tibi nunquàm non adsunto, mali semper exsunto. X. Bonum omne amplectitor, malum omne detestator. XI. De Deo loquentibus aures lubenter dato. XII. obtrectationibus verò obserato. XIII. Deum Divosque impunè, te Rege, nulli lacessunto. XIV. Gratus Deo in primis, sed & hominibus esse memento. XV. Pro tribunali æquus esto, & pauperum querimonias ne negligito. XVI. In caussâ tuâ, dum res non liquet, contra te stato. XVII. Aliena ocyùs restituito. Clero & Religiosis pro scuto esto. XVIII. Parentibus amorē deferto. XIX. Bella si contra Principes Christianos gerere necessitas suadet, sacris parcito. XX. Lites pro viribus dirimito. XXI. In Magistratus sedulò inquirito.

XXII.

XXII. Pont. Max. ut par est, reveretor. XXIII. Impensæ modestiam ne excedunto. XXIV. Pro me, ubi obiero, sacra fieri curato. *Ex Surio.*

Amat Deus disciplinam; perversa autem & falsa innocentia est, laxare habenas peccatis. Valdè perniciosè sentit filius patris lenitatem, ut justè posteà sentiat Dei severitatem, & hoc non solus, sed cum dissoluto patre suo. S. Augustinus sup. Ps. 30.

SS. IRENÆUS & ABUNDIUS MM.

26. Augusti.

QUid auro te vestis homo, si nobiles animas etiam in cœno latentes Numen amat? quid opobalsama spiras, quando etiam inter latrinas (parce, si Superis parcis, & mihi) suavè tamen olet virtus? Age & qui nares sordidis rebus, ne aures nominibus nega: docebunt te hæc alta negligi à cælo, infima eligi. Erat IRENÆVS conditione vitæ homo omnium ultimus Romæ (in cloacas fortunæ munus detruserat) in tantis sordibus tamen candidissimum animum eumque Christianum circumtulit. Fortè D. Concordiæ corpus exanime, heu! non digno sepulchro, cloacâ tumulatur. Quærit hoc pietas Christiana, quærit & impietas Porphyrii militis; illa virtutis odore, hæc avaritiæ illecta, & nummos in vestibus & gemmas subodorata. Atque hæc sua consilia Porphyrius IRENÆO detegit. Itur, eruitur Concordia nullâ spurcitie aspersa. Sed aurum & gemmam Porphyrius excæcatus ab avaritiâ nullam videt. At hoc abeunte, IRENÆO merum aurum & una gemma totum corpus martyris visum. Igitur ABVNDIVM in auxilium vocat, & ad Justinum Presb. thesaurum fert; ille terrâ abscondit. Sed & merces sua IRENÆO &

ABVNDIO constitit. Vivi enim in cloacam demersi à Valeriano animas pulcherrimâ tamen morte posuerunt. Itaque etiam sanctior ludit fortuna, quando non jam ab aratro sed è cloacâ ad purpuram & ad Martyrum purpuram vocat. *Ex actis D. Laurentii.*

Quantò quis altiùs se per tumorem mentis erigit, tantò magis in imo despicabiliùs jacet. E' contrario eò honorabiliùs humilis coram Deo provehitur ad summa, quò per vilem sui æstimationem se vilipendendo magis collocat in profundo. S. Laur. Just. de Humil.

SS. AURELIUS & NATALIA MM.
27. *Augusti.*

O *Quàm pulchra est casta generatio!* quæ tantum splendorem etiam thalamo conciliat. Audi orbis, &, si vides, hunc juxta mecum vide. Sustulerat jam AVRELIVS è conjuge NATALIA geminam prolem; abhinc ergo castitati placuit, non liberis vacare. Sed & cælo hoc cumprimis placuit, cujus oculos nulla alia tam facilè virtus, ut castitas rapit. Certè ocellus cæli Christus inter Angelorum comitatus visus descendere, & hic quidem benedicere cubantibus, illi tapete candido etiam pavimentũ, quod tam pudici pedes premebant, vestire. Virginum etiam Regina ad spectaculum Superis tam jucundum delapsa cælo, solari in non viduo lecto viduos conjuges voluit. O Superi! quæ ego somnia tam castè dormientiũ fuisse putem, ubi lectum VIRGO MATER & VIRGO FILIVS sternere veluti non dubitavit? quàm molliter credam cubuisse, cùm suas Angeli plumas cælo afferrent? Et audi quàm suavibus somniis cælum demulserit castos. Cùm adsem in pauperes & mar-

martyres erogassent, ex his florâ laurâque AVRELIÆ per somnum visæ utrique præmium operæ martyrii palmam sunt pollicitæ. Non fefellit tam sanctus Morpheus. Ducti ad supplicium cum plurimis aliis (ex quibus uni scala in cælum se porrigens viam scilicet ostendit) caput truncandum pro fide præbuerunt, duplici dehinc titulo beati, cùm & conjuges & martyres audiunt, iidemque & casti & fortes. *Ex Surio.*

O quàm beata mens, quæ propter sui innocentiam in conspectu invictissimi æternique Regis astare non veretur, & ad quam velut in proprium thalamum cælestis festivè declinat sponsus! S. Lau. Just. de cast. con. c. 14.

S. CÆSARIUS CONF. 27. *Augusti.*

QUisquis flores aut fraga legis inter Poëtarum vireta, heu! cave tibi; *latet anguis in herbâ.* Vides indormire CÆSARIVM serpentis amplexibus? Non Æsculapius erat hic, sed Apollo, profanus inquam codex, cui noctem quandoque invigilabat ille, cùm precibus debuisset. In somnis ostendit cælum, serpentis non libri volumina esse, quibus incumberet. Quare manibus hæc excussit. Tu quoque, quæ in sinu hos angues imò in oculis geris legendo, cavebis, iterùm moneo, juventus. Cæterùm puer CÆSARIVS non semel prætextam posuit, ut pauperes hanc acciperent, domi deinde spoliatum se à prætereuntibus commentus, cùm interim ultrò in has prædonum manus accurreret. E mundo cùm abiret, inconsultis id parentibus (ne viam obsiderent) fecit. Abhinc mundo mortuum quis negabit, quando ubi Abbas ad Episcopatum Arelatensem quærebatur, tumulo, quo se absconderat, fuit extrahendus? Multis sæ-

piùs calumniis appetitus, exilio mulctatus, vinculis oneratus, unis tamẽ beneficiis ſemper certavit. Certè calumniatorem lapidibus obruendum ſervavit, civicamque ex hoſte meruit. Rex ipſe Theodoricus cùm reum ad tribunal vocaſſet, ubi ad inſtar Angeli ſplendentem intuitus eſt, habere exinde patronum ſuum apud DEVM maluit. Ejus dona (uti & vaſa ſacra veſteſque) omnia in captivorum ſubſidia dilapidavit, veros Eccleſiæ theſauros animos eſſe reputans. Abiit tandem mortuus è vivis, cùm priùs ipſe mortuum ad vivos reduxiſſet. *Ex Lippeloo.*

Dæmonum cibus eſt carmina Poëtarum, ſecularis ſapientia, Rhetoricorum pompa verborum. Hæc ſua omnes ſuavitate delectant, & dum aures verſibus dulci moderatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, & pectoris interna devinciunt. S.Hieron.in parab.fil.prod.

S. MARGARITA VIDUA. 28.*Auguſti.*

NObilem hanc MARGARITAM fortuna ad gregis, quem paupercula paſcebat, pedes abjecit. Et tamen ſplendor illius ex ipſo cælo Chriſtum accivit, ut pauperem & ipſe indutus ſtipem peteret. Nec abnuit illa, ſed panem, quem unicum habebat, illi tradidit non parvo lucello. Nàm continuò Chriſtus ex oculis abiens ſuaviſſimo òdore MARGARITAM perfudit. Hoc interim probè paſta cùm domum deinde veniſſet, & mater negaret in penu panem eſſe, protulit tamen inde MARGARITA talem, qui candore & ſapore cælum loqueretur, famemq; non familiæ modò, ſed totius viciniæ unicus placaret. A morte mariti (nam nubere coëgerant parentes) tota in pietatis ſtudia abiit.

abiit. Lectum sarmenta sternebant, cervicem lapis fulciebat molle semper castitati pulvinar. Caput omniaque in mensâ panis, cella fons fuit. Calcei nulli, vestis ei unica, præter cilicinam, quâ pectus ita astringebat, ut sanguis expressus in saniem abiret; sed hac illa formosissima Superis videbatur. Intereà primo manè sacris aderat, reliquum diem visendis ægris, & rogandâ, quam pauper in pauperes erogaret, stipe non malè comburebat. Mortis diem à cælo edocta cùm à matre filia mnemosynon expeteret, calceos suos illa promisit. Et nimirum, ajebat hæc, illos, quos nullos habes? imò, illa, quos mors donabit. Et ecce dum defunctam intuetur filia, videt tenuissimis membranis calceatam. Detracta ea spolia salutem morbidis plurimis tulerunt. Et quid jam dubitas virtus ad cælum etiam per medias spinas currere, quando contra has te cælum calceabit? *Ex Ferrar.*

Quàm præclara possessio sit humilitatis, ii norunt, qui jugum illius ferre non erubescunt. Nudus & sine calceis ingredi potiùs elige, quàm humilitate spoliari: nam humilitatis studiosos Deus ipse protegit atque defendit. S. Ephrem de vit. spirit.

S. AUGUSTINUS EP. 28. *Augusti.*

AVGVSTINVS ubi manus Deo & D. Ambrosio dedit, in Africam redux & sacerdos primùm, mox Pontifex Hipponensis factus, patrem se Catholicis omnibus, hostem hæreticis acerrimum exhibuit, quorum manus divino præsidio sæpiùs evasit. Mores improbos suorum liberrimè pro concione carpsit, illorum præsertim, qui sacris vel à principio non adessent, vel ante finem subducerent sese; quique non Deo loqui in templo, sed homini-

hominibus confabulari consuessent. Mensa ejus, quæ frugalis erat, & vasis vel ligneis vel testaceis superba, quoslibet hospites admittebat, si illos excipias, quos asscripti hi versiculi proscribebant:

Quisquis amat dictis alienam rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Supremùm æger Davidis carmina, quæ à pœnitentiâ nomen habent, parietibus cubiculi inscribi voluit, interque earum commentationes mortem sanctissimè obivit, & Ecclesiæ hæreditatem amplissimam eloquentiam suam & profundissimam doctrinam reliquit; illud puto juventuti legavit, quod in libr. XXII. de civit. Dei c. 8. narrat; matrem scilicet filios immorigeros diris devovisse; vota cælum audisse; & illos vagos, & horrendâ omnium membrorum concussione tremebundos orbem pererrasse; ex his denique duos ad aram D. Stephani sibi redditos esse. Superi! si improba mater in improbos filios tantum potuit, eheu! Mariani, quid in immorigeros MARIA MATER poterit? *Ex vitâ & ipsius D. Augustini libris.*

Si terrenos parentes tanto affectu diligimus, qui parvo tempore pro nobis sustinuerunt labores, nónne cælestis pater magis amandus est, qui pro nobis crucifixus est? Nam quidquid parentum nostrorum circa nos fuit obsequium, ejus est beneficium. S. Aug. l. de salut. docum.

DECOLLATIO S. JOANNIS BAPT.
29. *Augusti.*

NAtalitias hoc die Herodes epulas dedit, quas rectiùs funebres vocabimus. Aut enim nullas, aut istas sol fugit, quas sanguine humano heu! nimiùm nobili crudelitas condivit. Nam cùm ad reliquas mensæ illecebras filia etiam accessisset, & saltu

saltu leviculo terram plausisset, ecce tibi præmium pedes caput maximi vatis JOANNIS abstulerunt. Nec satis erat, per mensam tam delicatum ferculum ambulare, & oculorum gulæ facere satis. Extraxit conjux adultera palato suo linguam (illam gratissimam Suadæ sedem) & mille nunc convitiis, nunc acu mille locis fodit scelesta. Sed profectò pessimè acu rem tetigit. Nunquam enim magis viva etiam crudelitatem Regis, quàm tunc fuit locuta, & meritò deinde divinum VERBVM loqui tyranno renuit, cujus vocem decollaverat. Ipsa saltatricula pœnas si seras, serias certè luit, quando astrictas gelu aquas transiens, ruptâ sub pedibus impiis glacie, abscindendum crustis caput dedit, etiam tunc portentosum in modum subsiliens, & choreas, quibus viva assueverat, mortua etiam continuans, manifestum omnibus mortalibus documentum, quàm non multo saltu opus sit, ut in orcum devolvamur. At dicet nonnemo, ergóne odiosam pede calcare terram non liceat? imò verò calcanda illa est, & pede utroque, sed graviore, & cui cælum non orcus arrideat. *Ex Bar. & Martyrol.*

Si Ioannes tantus, Ioannes talis, tantâ eremo separatus à feminis, feminarum pericula non evasit, quis est, qui inter feminas vivens evasurum se sine labore, maximo, maximâ sine cautione confidit, nisi qui sancto ditur spiritu? S. Chrysol. serm. 2. de Decoll. S. Joann.

S. BONONIUS ABB. 30. *Augusti.*

OPtima Philosophiæ pars est mortis meditatio; hæc BONONIVM puerum mundo mori docuit, quâ quidem morte ad vitam nihil est salubrius. Hinc Ægypti deserta petiit tantamque sanctiorum civium frequentiam invexit, ut in

solitu-

solitudinem urbes, in urbes solitudinem diceres migrasse. Ipse totam Ægyptum concionabundus obibat, Christoq; longè plurimos jungebat, mercatores præsertim, quibus tempestate aliquando jactatis post preces fusas solem & cum sole fidei lucem ostendit. Ob id cùm Alexandriæ in summo honore jam esset, iterum Ægypti intima petiit. Hîc illi tectum cælum, cubile terra, culcitra cilicium, cervical lapis fuit. Huic etiam invigilabat potiùs quàm indormiebat; quò molliùs tamen jaceret, lectulum hunc suum lacrimis quotidie lavabat. Verùm è privato hoc pulvere extractus in arenam à Petro Vercellensi Antistite, cui una cum pluribus aliis capto libertatem apud barbarum Regem exoraverat, Cœnobitis Lacedensibus præesse jussus est, dum vitâ simul & munere est functus. Porrò quem adgeniculari ad tumulum Divi cernis, fraternæ cædis reus est. Hunc cùm supplicem Sacerdos quidem, sed non conscientia absolveret, annos plures à domesticis furiis agitatus malaciam tandem animo apud cineres BONONII reperit. Veniam nuntiarunt ruptæ ultrò manicæ, quas reus ipse dextro & cædis auctori brachio induxerat. Hæ nunc licet è ferro sint, an non pulchriùs tamẽ suspensæ tumulo BONONIVM ornant, quàm Manliani, quos olim abjecerat, torques facturi fuissent? *Ex Gabr. Palæoto.*

Licet ceciderís, licet fueris in scelera devolutus, vide ne desperes; remansit tibi unde piissimo satisfacias creditori. Absolvi vis? ama. Charitas cooperiet multitudinem peccatorum. S. Petr. Chrysol. Serm. 94.

S. AIDANUS EP. 31. *Augusti.*

HIc ille AIDANVS est Lindisfarnensis Pontifex, quem ad Angliæ regnum Christo subjiciendum

ciendum purpurato interprete usum (Oswaldo Rege) suprà diximus. Nimirum tot Apostolos ferè olim Anglia, quot Reges habuit. Sed quæ in alia etiam regna dives fuit, hodie externæ culturæ est indiga. Cæterùm AIDANVS, uti multùm Regibus, ita plus aliquantò familiaris mendicabulis fuit. Ex his cùm uni equum donasset phaleris regiis superbum, & Oswini (frater is erat Regis) nobile donum, succensuit nonnihil Oswaldus & objurgavit AIDANVM. At cùm hic pauca pro se dixisset, atque id tantùm quæsivisset ex Oswaldo, plúsne equum hominis mancipium, quàm in paupere homine Dominum Christum adamaret? continuò in sese primò Rex, mox deinde in genua coram AIDANO descendit, & à Pontificiâ tiarâ veniam Regiæ coronæ rogavit. Et abstulit non hanc tantùm, sed mortis etiam beatæ nuntium, cùm modestissimo Rege non digna jam esse superba regna dictitaret AIDANVS. Porrò cùm hic in iratum mare oleum immisisset, oleo mitius etiam mare vidisses. Flammas quoque, quas tyrannus Penda urbi injicere parabat, in suas partes traxit, & aversas ab urbe in hostes armavit. Ita victor è vitâ abiit non sine triumpho, quem D. Cuthbertus tunc puer ducere illum in cælum vidit multo lumine nobilem. O triumphum tuum AIDANE sequi etiam nos pileati olim possimus! *Ex ven. Bedæ hist. Eccl. l. 3.*

Per misericordias pauperum misericordiam paremus, ut possimus esse de pœnâ liberi, & de salute securi: gratis misericordiam sperat ibi, qui hîc non fecerit misericordiam: qui facit misericordiam, currit ad præmium; qui non facit, decurrit ad pœnam. S. P. Chrys. serm. 8.

SEP-

SEPTEMBER.

S. ÆGIDIUS CONF. 1.Septembris.

STemma in ÆGIDIO regium indoles munifica prodidit. Nam puer prætextam exuit, ut pauperem ægrum indueret. Et hic quidem morbum cum centonibus posuit, at ille nudus cætera, ut virtutem & miraculum saltem tegeret, ablatam sibi vestem à nescio quo non satis noto homine piè commentus est. Eodem scilicet furto assem omnem paternum abstulerunt egeni, quando Gallias ÆGIDIVS petiit, & post multa prodigia easdem cum cervâ latebras habitavit. Atque, ut qui matrem deseritis, alia cælo ubera esse sciatis, hæc famelico eadem cerva præbuit. Exclamare hîc Roma potuisset: ecce fera hominis hospes, ecce homo feræ asylon. Etenim cùm nutricem frequens venatorum corona cingeret, tutelam sinum ÆGIDII & preces habuit, quibus ad teli jactum damnati canes allatrare prædam potuerunt, non prehendere. Ipse Rex Clodoveus libertatem cervæ, ÆGIDIO fortuitâ sagittâ tunc vulnerato cœnobium, cœnobio dotem regiam donavit, sibi unam erroris veniam oravit. Et verò non hujus modò sed gravioris etiam sceleris impetravit, quod quidem studiosè ille occultavit, sed ÆGIDIVS sub divinis scheda annotatum è cælo accepit, nunquàm delendum, nisi stylum Rex vertisset. Divus porrò noster satis jam à terrâ lactatus ad perennes beatitatis fontes contendit, quos adeò appetivisse quid mirum est? à nutrice suâ cervâ sitim hanc bibit.

Ex Lippeloo & Pet. de Natal.

Vendere

Vendere patrimonia & dare pauperibus ſtultitia huic ſæculo, ſed ſapientia DEO *eſt. Vt contrà divitiis incubare, pecuniam fœnore augere, terminos dilatare violentiâ, induſtria & quæſtus apud ſæculũ, ſed apud* DEVM *crimen & pœna eſt.* S. Paulin. epiſt. 2.

S. ANTONINUS M. 2. *Septembris.*

POterat ANTONINVS è Galliis oriundus ſorte ſuâ contentus nobilem & in digitis anulum & in pedibus lunulam jactare, ſed nimiùm quantum ambitioſus purpuram inſuper auſus eſt ſperare, quam ut cælum illi lubentiùs pingeret, non dubitavit, oſtro deficiente, ſanguinem promittere. Incredibile enim dictu eſt, quàm inde à puero pro Chriſto hunc fundere geſtierit. Et verò non paſſus repulſam eſt, æternâ præſertim virginitate candidatus: ſed ſacerdotio initiatus cùm baculi ictu populis ad Chriſtiana ſacra adductis undas dediſſet, ipſe altero, ſed gladii, ictu promiſſum diu cruorem dedit, utque hic copioſior flueret, corpus in partes ſectum, partes in aquas ſparſæ. Sed præclarum oſtrum, martyris inquam ſanguis omnis in undis officioſus coivit; ipſæ undæ ut ne tumulo ANTONINVM prohiberent, penitus abſceſſere. Jam caput nobile volucres cæli mentes aquilas nactutæ, naviculâ ad Principis Feſti, quem Chriſto martyr pepererat, regiam uſque, ſecundo flumine, deduxerunt. At Feſtus Divi ædes templum & capitis ſacri monumentum eſſe juſſit. Nos etiam pro merito ANTONINVM laudaremus, ſi vel unam illi, de quibus diximus, volucres pennam dediſſent. *Ex Mombritio & Petro de Natalibus.*

Noli contemnere plebejum, quia nobilis es, noli deſpicere ſervum, quia potens es; noli pauperem faſtidire, quia

quia dives es: nunquid nobilior, nunquid potentior, nunquid ditior es Christo? ille pro te illa, quæ tu despicis, elegit. S. Ambros. super Psalm. Beati.

S. AIGULPHUS MART. 3. *Septembris.*

HUmiles cunas AIGVLPHVS magnis virtutibus nobilitavit, monachus primò Floriacensis, tum Abbas Lirinensis factus. Unus certè dignus à Deo habitus est, qui, somno monitore, opima illa spolia (ossa D. Benedicti) Cassino in Gallias asportaret. Cæterùm invidia Arcadium quendam, & suo minimè dignum nomine Columbum, (Pseudomonachum utrumque) excivit, qui virum & monasterio & vitâ ejicerent. Excepit AIGVLPHVS amico convivio hostes, & cæsus atque in vincula datus, licet ab ipso custode ad fugiendum animaretur, turpi fugæ glorioſum carcerem prætulit. Inde captivus cum suis abductus, cùm tempestate diebus XL. jactarentur, solus portum sibi petere visus est. Et petebat, sed beatitatis; quam quia jam unam & animo spirabant & ore loquebantur, linguam Columbus primò jussit præscindi, tum omnibus radicitus evelli. Etiam tum disertè loquentibus laudes DEO, quin AIGVLPHO ad concionem mirâ facundiâ dicenti erui etiam oculos mandavit, gratulaturos puto sibi, quòd abhinc monstrum hoc, tyrannum monachũ visuri non essent. Ad extremũ in insulam ejecti gladioque sunt cæsi. Ne tamen improbitas ob successus sibi plauderet, adfuit in somnis Columbo ipse AIGVLPHVS, & sanguinis sui guttâ in scelerati pectore ac tergo geminos circulos descripsit. Ex his supplici unum duntaxat reliquit, certissimum mortis omen, quã Rex Clodoveus meritissimum affecit. Nam ut

omnes

omnes scriptores taceant, facinoris immanitatem exectæ linguæ loquuntur. *Ex Graſ.*

Vidit Deus opera tua, recurſus & excurſus flagitiorum tuorum, & continuit iram ſuam. Cælum non fulminavit, aqua non ſubmerſit, non abſorpſit tellus; & cùm omnis terra ſit plena gloriâ Domini, non reveritus es præſentem Dominum, & coram tantâ munditiâ immunditias tuas exercere. S.Pet.Dam.ſerm.de Char.

S. ALBERTUS C. *3.Septembris.*

ABſque ventis adverſis fuiſſet, nunquam animum ALBERTVS ad cælum appuliſſet, uſque adeò malè Favonios ſæpè vocamus. Natus in magnas opes, majores has artibus non bonis effecerat, ſtultuſque cælum dudum auro vendiderat. Ut tamen divitiis divitias, hoc eſt lutum luto adderet, velis remiſque per lacum Verbanum contendit. Verùm exorta repentè ingens procella alias ſcilicet oculis undas Cocyti objecit, alium nautam Charontem. Ergo cùm omnia jam unicum naulum crederet, & orco debitum, vota cum velis vertit, & ut viveret, cælo vovit deinceps vivere. Arriſit continuò votis cælum, ut audiſſe hæc ſcires. Sed ecce in ipſo portu naufragium. Opes omnes (ne time lector) in miſeros abjicit, inde conjuge inter velatas virgines abditâ, montem non ſine ingenti labore conſcendit, qui in eum, de quo mentionem fecimus, lacum excurrit. Hîc cælo propior cum DEO jam commercia habuit, & commeatum à præternavigantibus demiſsâ ſportâ lagenulaque accepit tam diu, dum Angeli denique victum è cælo miniſtrarent. Itaque cùm Superûm hoſpes necquicquam ab hominibus jam mendicaret, mortuum rati ſunt accolæ. Sed

vivere splendor casæ imminens ostendit, & pestis à vicinis populis ALBERTI & D.Catharinæ, cui templum ponere Angelus jusserat, precibus propulsata. Eidem templo illatus ALBERTVS, ambrosiam, quâ, cùm viveret, pastus erat, mortuus etiam spiravit. *Ex vitâ B. Alberti.*

Dilige totâ animâ Dominum Deum tuum, sponsum tuum, vitam tuam, solatium tuum, consilium tuum, & refugium tuum. Dilige illum, qui tibi est quidquid amabile aut optabile esse potest: dilige eum castè, devotè & sanctè; non verbo, non linguâ, sed opere, & veritate. S.Bern.op.de char.c.31.

B. ROSA VIRGO. 4.*Septembris.*

ROSAM etiam in autumno donamus, unam eandemque & castis nivibus & verecundâ purpurâ formosam. Protulit Viterbium Italiæ urbs, fovit D.Francisci hortus, &, ne malè alii, bene cælum carpsit. Hæc inquam ROSA, ut contra procaces manus se armaret, à primis annis omnibus corporis afflictationibus se dedit. E gravissimo morbo decumbens & jam jam moritura cùm ea de alterâ vitâ disseruisset, quæ oculis tunc coram intuebatur, testesque dictorum sorores jam olim defunctas nomine quamque compellasset, VIRGO MATER intervenit, & porro vivere, sed inter eas jussit, quæ Magnum Franciscum sub Minorum veste sequuntur. Quod cùm è morbo recreata ROSA egregiè præstitisset, denuò ad eam Magna MATER invisit. Et sufficere poterat id spectaculum, sed illa alterum objecit, FILIVM tormentis olim omnibus exercitum, qui nimirum tot plagis saucius cor amantis etiam ipsum tam sauciavit, ut tum denique verè inter spinas ROSAM dixisses.

dixisses. Sub idem tempus cùm Friderici II. Imperat. factionem castigasset, cum omni familiâ urbe ejecta Sorianum venit. Sed exilium leve Angeli & non multò pòst morte Friderici libera patria fecerunt. Placuit tamẽ etiam præ hâc cælum, quod quò faciliùs videret, circa annũ M.CC.LIV. oculos clausit. *Ex vitâ apud Moniales D. Rosæ.*

Nulla vel brevis hora subrepat, in quâ non habeas memoriam Filii Dei pro tuâ miseriâ, & suâ misericordiâ Crucifixi. Quid faciet Dominus majestatis, si nos, qui cinis & pulvis sumus, tantæ misericordiæ videris ingratos? S.Bern op.de char.c.32.

S. EUDOXIUS M. *5.Septembris.*

CLamat EVDOXIVS illud hodie nobis: *Exeat aulâ, qui pius esse cupit.* Certè quòd pietatem Christianam coleret, licèt aulæ Imperatoriæ comes, aulâ tamen ejectus est. Sed neque extra hanc ferre in EVDOXIO Diocletianus potuit probitatem, sed in vincula jussit abripi, quasi verò vinciri virtus posset. EVDOXIVS ubi adesse exploratores intellexit, nec dum notus mensæ admovit suæ, lautèque & perquàm liberaliter habuit. Inde suus ipse jam proditor, lubens volens ad Imperatorem abiit, pugnasque edidit, quas sperare a voluntario Christi milite posset. Sed neque solus in aciem prodiit. Prodiere cum Duce tam forti mille centum & quatuor, qui omnes ad tyranni pedes cum superstitione primò balteum, mox vitam etiam projecerunt. Atque hi quidem præivere triumphantem EVDOXIVM, qui ex equuleo veluti è triumphali curru accepta pro cæli patriâ vulnera jactabat. Secuti deinde sunt amici integerrimi MACARIVS & ZENO, hic in ipso loco supplicii ab

EVDOXIO, ille à BASILISSA EVDOXII conjuge ad triumphi pompam invitatus. Itaque non sæpè cælum tot armatos unà recepit. Agite tamen, ô Sodales Mariani! non ideo subire cæli mœnia minùs contendite; liberalior DEVS Romulo est; coronam auferet, etiam qui ultimus transcenderit. *Ex Metaphr.*

Si fidem & fiduciam tuam jactes in livores & vulnera Crucifixi, & in tuæ salutis usum convertas memoriam Dominicæ passionis, erit sanguis ipsius pretium redemptionis tuæ, mors ejus convertetur ad vitam, dolor ejus in gaudium tuum, in tuum honorem ejus opprobria. S.Bern.de char.c.34.

S. ELEUTHERIUS ABB. *6.Septembris.*

MInimam laudem à nostro calamo ELEVTHERIVS accipiet, qui maximam jam olim à Magno Gregorio accepit. Summa est, D.Gregorium sub ultimum verni jejunii diem, inediæ, ob imbecilliorem stomachum, succubiturum fuisse, nisi pulpam latranti ELEVTHERIVS preces suas objecisset. Id beneficium Gregorius non modò stylo sed facundâ etiam picturâ in templo locutus est. Quin & mortuum ajunt ab ELEVTHERIO precibus denuò animatum; sed nos dæmoni ereptam prædam laudamus. Fortè ex itinere Divus ad sacrum Virginum Asceterium diverterat, in quo puer agebat atri genii obses. Non ausus est eâ nocte malus hospes puerum torquere, sanctiorem hospitem veritus. Itaque ille domum patronum suum sequitur. Hîc etiam pacem crederes: sed induciæ tantùm erant. Dum enim ELEVTHERIVS alieni cœnobii vires elevat, suas laudat, redux velut ex insidiis hostis solo adolescentulum

affligit miserisque modis discruciat. Sed obfuit provocasse ELEVTHERIVM. Neque enim hic priùs cum suis pugnare precibus desiit, quàm penitùs statione non suâ orcum pepulisset. Nunc similes pugnas cur non spectamus? ánne quos dæmon timeat, ELEVTHERII, an quos agitet, pueri desunt? *Ex Grasio.*

Quoties honor nobis nolentibus ingeritur, necessarium est ut in pavimento cordis sub districto disciplinæ pede calcetur, & velut venenatus serpens in ipso suggestionis capite ictum sentiat, ne in extremo bonæ operationis calcaneum movere præsumat. S.Petr.Damian.

S. STEPHANUS EPISC. 7.*Septembris.*

ASpera & inculta terrarum habitare D.Brunonem ajunt. Viridaria rectiùs dicerent, quæ tam nobiles nobis floscules submittunt. Atque hem tibi ex his STEPHANVM Lugduni Galliarum nobili familiâ satum! Hic vitæ reliquæ in ipsis cunis bullaque præludens, quem diem patienti Christo dicamus, materni lactis abstinentiâ sanctum habuit. Amorem suum Christum sub pane latentem quoties contemplatus fuit, putasses æstu absumendũ, nisi lacrimis, quibus diffluebat, hunc temperasset; dixisses Crucifixo immortuum, nisi vitam suspiria prodidissent; denique existimasses cælo precabundum interesse, nisi hoc descendere ad STEPHANVM vidisses, Angelo misso. Jam tempestates fugatas, desperabundos cælo, ægros sanitati, mortuos vitæ redditos taceo. Unum idque utile juventæ, quod Pontifex jam Diensis edidit, facinus narrabo. Dixerat graviter in omnia vitia, illud præsertim, quo festos Divorũ dies aleis, choreis & id genus ludicris vulgus amat profanare.

Cùm aures necquicquam diu pulsasset, dæmoni denique malo, qui ad eas nugas impellere animas adsolet, pro concione imperavit, positâ larvâ palàm sese ostenderet. Enimverò paruit tam horribilis, ut jam magistri sui puderet in ludo discipulos, facilèque cum illo etiam hunc damnarent. Sed, ô Superi, invenit hodie iterùm discipulos pessimus Doctor. Juvat chartas minimè doctâ pictas manu crepare. juvat aleam (vel salutis) jacere; juvat terrā plaudere, & ne serò pereamus, ad orcum non jam imus; currimus, saltamus. *Ex Surio.*

Quod Sirenes fuisse finguntur, id verè sunt illecebræ cupiditatum, & blandimenta vitiorum: habent enim in specie lenocinium, in gustu venenum, quorum usus in crimine, pretium in morte numeratur. S. Paulin. ep. 35.

NATIV. B. M. V. 8. *Septembris.*

POtuit denique post longissimæ noctis tenebras solem hoc die tellus sperare, quando tot votis jam olim exoptatam nasci *Auroram* vidit, MARIAM inquam, quæ Joachimo atque Annâ prognata lucem primò vidit dicam? an videndam orbi propinavit hodie. Certè festum agere hunc diem multis jam retrò seculis Christianus orbis instituit, idque cælo auctore. Nam ferunt Anachoreten hâc ipsâ luce quotannis audire cælestes illos Amphiones solitasse, qui lætissimis modulis omnem latè aërem exhilararent; sed & Paulum quendam annis permultis sub eam noctem, quæ diem *Virginis* natalem præit, vidisse sidus ingens cælo se demittere, & festivis ignibus ædem Lauretanam exornare: utrumque porrò Angelis doctoribus didicisse, id ob *Cunarum virginearum* memoriam Superos factitare. Echo itaque solùm est omnis

omnis hodie mortalium plausus, quam cælum suis concentibus provocat, utinam vel ad ultima hujus vota responsura! scintilla est, ab æthere in animos hominum illapsa, utinam in incendia abitura! Bene profectò Innoc.IV. quòd à morte Cælestini IV. Pontif.Max. creatio, quam Frideric.II. Imperat. turbare nitebatur, VIRGINIS ope feliciter successisset, patronæ cúnas omnibus annis dies VIII. celebrari jussit. Sed hoc etiam parum esse, audacter dico. Felices illæ Cunæ, illæ linguæ, in quibus quotidie MARIA cum aurorâ nascitur, cum sole vivit, & neque cum die emoritur. *Ex Duran. Beleth. Vincent. Turfell.*

Studeamus seculi hujus blandimenta despicere, carnis incentiva reprimere, Crucem Christi assiduè in mente portare, quatenus dum nunc gladio Mariæ transfigimur, cum ipsâ de æternæ felicitatis dulcedine saturemur. P. Damian. serm. 2. de Natal. B.M.V.

S. ADRIANUS MART. 8. *Septembris.*

MAppam dixisset martyrum sanguinem, qui hunc mitti vidisset, tam ad pugnam Christianos olim passim excivit. Ita ADRIANVM ex equestri ordine virum, ut Christo militaret, eadem prælia, martyrum glorioſa & invicta in tormentis constantia, accenderunt. Et vicisse etiam se ratus est, cùm manus tyranno dedit vinculis ligandas, ex quibus cùm aliquot post dies cum bonâ veniâ egressus ædes suas repeteret, conjunx ejus Natalia fortissima matrona transfugam è sanctis castris adventare rata tecto excluſit, nec priùs admisit, quàm fidem se DEO servasse ostenderet. Quin ipsa in vincula reduxit maritum, ipsa cùm cæsus ilia effunderet, dictis firmavit. Et quia femi-

nis aditus ad ergastula martyrum jam negabatur, positis capillis, ut viro femina animos adderet, virum induit, cumque membris truncandi jam Christi milites essent, id scilicet à carnifice multis precibus blanditiisque exoravit, ut primas conjux teneret; ab hoc verò, ut sponte manus securi subjiceret. Ipsa dexteram ADRIANI legens thesauri loco (& erat) asservavit. Nec multò pòst cùm ADRIANVS ad cælitum gaudia Nataliam etiam invitasset, conjugi suo conjunx iterùm & æternùm juncta est. Quamvis quid conjuges dico, quando in utroque virum agnovimus? *Ex Surio.*

Quæ collatio tui est ad ineffabilem, ad incomparabilem, ad incomprehensibilem Deum? nihil ei ad mensuram meriti retribuere potes, si in retributionē eorum, quæ pro te sustinuit, te millies mille annis gehennali incendio cruciares. S.Bern.op.de char.c.27.

S. CORBINIANUS EP. *8.Septembris.*

CORBINIANVM fugientem è Galliâ honor Romæ assecutus in totius orbis oculis insulâ mactatum in patriam remisit. Iterum Romam dum fugit, ursum qui clitellarium equum interceptum absumpserat, vicariam sibi operam jubet addicere, & cum equo equi etiam sarcinas ferre. Reduci per Bavariam Grimoaldus Dux hospitium offert. At negat ille impudicitiæ stabulum hospitium sibi fore, pelleret, quam uxoris loco haberet, Pilitrudem, fratris nuper conjugem. Advolant, ecce, uterque, & infâmes nuptias ejurant. Subinde CORBINIANVS ad epulum vocatur. Adest, benè precatur, assidet. Sed dum Grimoaldus bucceam cani objectat (audite qui canes plures quàm pauperes alitis) eversâ mensâ è diætâ se proripit, detestatus

testatus epulas, quibus quidem Præsul dixisset benè, sed canes accubuissent: se deinceps cum hominibus cœnaturum. Non multò pòst in Strigem offendit, audit incantationibus Pilitrudis filio salutem attulisse, invicem ingentia munera abstulisse. Enimverò jubet omnia in prædam egenis cedere, debitaque superstitioni stipendia probra & plagas numerat; mox paratas capiti à Pilitrude insidias effugit, sed non perinde etiam hæc cæli iras. Nam primò filium, mox etiam maritum vitâ videt exturbari. Ipsam longum funus vivumque, captivam; Galli abducunt; exulem dein in Italiam asellus asportat. At CORBINIANI tumulum suis cælum funalibus ornavit, Frisinga pro Asylo habet. *Ex tom.1. Annal. Boio.*

Debemus animo præmeditari, quod aliquando futuri sumus, quod, velimus nolimus, abesse longiùs non potest: nam si nongentos vitæ excederemus annos, tamen nihil esset præterita longitudo, quæ esse desîsset. S.Hieron.ep.3.

S. BONFILIUS ORD. SERV. B. M. V.
8. *Septembris.*

QUid Roma pileum, quid secundùm libertatem vindicias crepas? ego iterum illos laudo, qui pulchram servitutem sub Mariæ nomine circumferunt. Tu felicissima servitutis cunabula audi. Fuit jam olim nobilis inter cives Florentinos Societas VIRGINI sacra. Hi dum ex more festum cælo translatæ diem agunt, BONFILIVS pars magna & ipse horum, quinique alii faces subdi pectori senserunt, quibus, ut se totos VIRGINI manciparent, inflammabantur. Nec mora, vitam opesque veteres cum veste ponunt, & novus ipso

Natæ VIRGINIS die, peculiaris eidem cœtus enascitur, Artingi primò is loci Antistitis, tum Innocent. IV. Pont. Max. auctoritate probatus: cumque stipem colligentes infantes facundo miraculo *Servos* VIRGINIS clamitarent, id hodieque scilicet nomen ferunt. Jam incrementa ordinis promisit vitis, quæ sub vernum tempus sata, mox DOMINÆ luce (quâ Salutatâ ab Angelo colimus) & florem & gemmam adeoque uvam exhibuit. Sed & vestes servis suis Deipara obtulit pullas, quibus & FILIVM patientem & viduam MATREM lugerent. BONFILIO deinde ad pileum voce cælesti evocato testimonium sanctitatis in vultu splẽdor, in toto corpore odor dixerunt, & justa hominibus permixti Cælites illis verbis cecinerunt; *Subvenite Sancti* DEI, *& exaudite.* Tales exequias *servi* VIRGINIS merentur, alias sperate qui liberti, qui libertini amatis audire. *Ex Ordin. ipsius monum.*

Considera quanta sit dignitas nostra, quantaque nobis proportio sit cum Mariâ: Concepit Maria Christum in carne, deferimus & nos illum in mente. Rèficiebat Maria Christum, cùm teneris labris lac exprimeret uberum, reficimus & nos variis bonorum deliciis operum. S. Pet. Dam. serm. 2. de Nativ. B. V.

S. AUDOMARUS EP. 9. *Septembris.*

COepit AVDOMARVS tunc vivere, cùm desiit mater; quando nimirum à morte hujus cum patre mori mundo inter Ascetas occepit. Jucundum credo videre cælo erat, patrem unà & filium in eâdem virtutis scholâ discere, miraculo eò majori, quòd ad hanc filius patrem duxerat. Quid jam mirum, si mira alia quàm plurima patravit AVDOMARVS, si radiare è ligno crucem, si exsurgere

gere è lectulis ægros, è vinculis captivos jussit? Nos duo tantùm scribemus, quorũ pueri unum, alterum bis pueri senes legant. Episcopus jam Morinensis adolescenti interdixerat, ne cymbâ in aquis luderet. Risit ille, & lusit. Sed inobsequentem venti fluctusque in altum, inde è Galliâ in Saxoniam usque ejecerunt, & ut contra immorigerum conjurasse cum aquis terram agnosceret, latrones in littore venientẽ præstolabantur. Quid ageret sine velis, sine remis puer nauta? Nempe remi preces, vela divi apud DEVM AVDOMARI merita fuerunt. His ille in patrium portum invectus, naulum Navarcho suo obsequium dehinc persolvit. Hic cùm amissos senio oculos ad D. Vedasti tumulum recepisset, mox facti pœnitens cùm non videret, an ex re animi esset videre, precatus est DEVM, iterum eriperet, si noceret, lumen. Eripuit, & in cælum abituro duces Angelos misit. Ibi ille cæcus nunc DEVM videt. *Ex Surio.*

Indue te, quæso, veste innocentiæ, orna te quasi veste polymitâ varietate virtutum, & qui te fidei annulo subarrhavit, in te odorare lætetur aromata gratiarum. S. Bernard. de char. cap. 31.

S. SALVIUS EPISC. 10. *Septembris.*

MEritò hodie plaudimus SALVIO, qui bellè omnes personas egit in eâdem vitæ fabulâ, Judex, Monachus, Abbas, Episcopus. Et ne eventus sive Comicos, sive Tragicos desideres, bis vivus, bis mortuus. Unicam scenam spectа. Concluserat, cùm Abbatem exuisset, angustâ cellâ sese. Sed natus cælo animus libertatem morte quæsivit reperitque. Jam extulerant mortuum, jam tumulo inferebant, cùm è ferali capulo se tollens simul

simul vivere iterum, simul vitæ illacrimari cœpit. Heu! eheu! ubi? hominum & Cælitum fidem! ubi sum? imò eheu! ubi fui? unde, ah! excidi? felix mors, quæ vivere me feceras? infelix nimiùm vita, quæ mori iterum me cogis! Juvat, ô juvat iterum mori! Narrat deinde à morte ad beatas delicias abductum se inter Angelorum & Divorum comitatum, jam ambrosiam gustasse, jam nectar illud libasse; sed quod opera ejus porrò terris necessaria diceretur, ad vitam iterum damnatum esse. Et nimirum ex ergastulo suo ad Pontificatum Albigensem extractus pauperibus patrem, captivis vindicem se libertatis præbuit. Vaticiniis insuper clarus Regiis ædibus quandoque nudum gladium imminere conspexit, qui geminos Regios filios intra vicesimum diem sustulit. Quòd tamen mortuum se crederet, quamdiu vivebat, sui funeris ipse vates & vespillo tumulo se compósuit, & bis victor cælo subiit, viæ utique, quàm nuper iverat, minimè jam ignarus. *Ex Greg. Turon.*

Hunc sequamur, huic militemus, cui conjunctus nunquam disjungitur miles, qui militantibus sibi gloriam vitæ æternæ, honorem regni cælestis & divitias hæreditatis suæ & divinæ cognitionis consortium perenne largitur. S. Paul. Epist. 36.

S. NICOLAUS TOLENT. CONF.
10. *Septembris.*

SEptennis NICOLAUS solenne deinceps habuit tres in hebdomade dies, interque eos illum etiam, quem VIRGINI dicamus, pane cibario & fontanâ victitare. In Canonicorum deinde Collegium ascitus, cùm illa pro concione D. Joannis audisset

audisset (*Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*) quasi uni illi dictum esset, extemplò ad eos Anachoretas abiit, qui D. Augustinum æmulantur. Ibi facilè ostendit, quàm mundum mundiqúe omnia odisset. Sacerdos ubi primùm litare cœpit, è piacularibus flammis umbra adfuit, abduxitque ad immania tormentorum ergastula. Ibi simul hæc, simul sociæ umbræ omnes patronum sibi NICOLAVM legerunt; pro quibus cùm ille ad aram aliquoties dixisset, partem longè maximam à suppliciis absolvit. Sub hæc cùm eum è cognatis unus aliquis à Religionis amore abducere & mundo iterum conciliare pessimè conciliatus adniteretur, surdum scilicet reperit. At faciles aures invenerunt è cælo vates, qui obiturum feliciter NICOLAVM Tolentini cecinerunt. Eò enim ocyùs abiit, stellâ duce, quæ ibi demum constitit, ubi tumulatus posteà fuit. Morituro jamjam Christus cum Matre & D. Augustino obvius venit, cùm sex ante mortem mensibus quotidie sub noctem Angelorum concentus audisset, manifesto indicio, quàm non longè à cælo abesset. *Ex Surio.*

Vis scire quales Dominus quærat ornatus? Habeto Prudentiam, Iustitiam, Temperantiam, Fortitudinem; his cæli plagis includere; hæc te quadriga velut aurigam Christi ad metam concita ferat: nihil hoc monili pretiosius. S. Hieron. ep. 2.

SS. MENODORA, METRODORA, NYMPHODORA, VV. MM. 10. *Sept.*

ITerum Virgines Martyres aspicis, hoc est, rosas & candore & purpurâ suâ nobiles, pulcherrima virtutis mixturâ MENODORA est, METRODORA

& NYMPHODORA sorores & è Bithyniâ oriundæ. Hæ quò securior sive ab apertâ vi, sive proditione pudor foret, collem omnes desertũ insederunt, munimentum virtutis ingens & propugnaculum. Solæ tamen, etsi maximè volebant, minimè potuerunt esse: virtus enim, ut ferè fit hospites, ex omni loco excivit; & fuere crebra miracula ad convocandam multitudinem tubæ instar. Sed uti inter spectatores alios admiratores castitas, ita alios hostes habet. Inter hos infestissimũ Frontonem vidisses omnibus machinis oppugnare virginitatis castrum. At huic animus etiam crevit in pugnâ, auditaque inter omnia tormenta una eademque omnium vox velut tessera pugnantium: *Agnosces Christe sponsas tuas coram Patre, quem coram hominibus neque sanguine fateri erubescimus.* Interea MENODORA inter virgas moriendo vincit, & salvum virginitatis scutum patriæ cælo ostentat. Sororibus ad demortuæ conspectum etiam animus accedit. Quare post faces ardentes & equuleum METRODORA, post uncos ferreos NYMPHODORA vectibus cæsæ geminarunt triumphum, in quo dum corpora in flammas projiciuntur, alia flamma cælo delapsa judicem omnemque tortorum manipulum momento in cineres vertit. At ex illis aliis flammis tergeminus cælo Phœnix prodiit & vanitatis accusavit, scilicet poëtas, unicum tantùm esse jurantes. *Ex Surio.*

Sicut peccati cogitatio decolorat, affectio vulnerat, sic consensus omnino animam necat: caveamus ergo cogitationes inutiles, ut animarum nostrarum facies decora permaneat; quòd si noxia cogitatio subierit, laboremus citiùs abluere sordes, quibus nos maculari conspicimus. S. Bern. serm. de car. Cut. & Oss.

S. EU-

S. EUPHROSYNUS C. 11. *Septembris.*

MAla cape sis ex Elysiis hortis, quid horres? securus cape. Non illa sunt, à quibus primi parentis dentes obstupuerunt. Nec Eva mater, sed EVPHROSYNVS porrigit, ille quidem terræ filius & inter monachos ad culinæ nidorem damnatus, sed cujus labores cælo impendio sapiebant. Ostendit hoc sacerdoti & ipsi integerrimæ vitæ, quanti eos faciat, quos imprudens nihili facit tellus. Sordebant huic jam diu humana, & nauseabat mortalia immortalis animus; illas gustare delicias avebat, quas alieno gustu miselli perdidimus. Neque negavit DEVS, sed votis tam piis satisfacturus, extasi abreptum in felicissimos hortos transtulit. Ibi dum ille gaudiis inundatur, EVPHROSYNVM nostrum videt non jam ignobilis terræ colonum. Atque ut ne somnum crederet somniúmve, accipit ab eo laudata à nobis poma, quæ vel odore suavissimo patriam suam loquerentur. Interea ære campano ad preces matutinas vocante sibi redditur Sacerdos, & dum ad templum properat, involuta pallio poma reperit: mox ubi eadem omnia ex EVPHROSYNO intelligit, Ascetis munera portentosa & in his virtutem EVPHROSYNI prædicat. Et nobiles quidem illi fructus fructus alios quotidie miracula proferebant, at EVPHROSYNVS proditus fugâ se subduxit. Et quò, ais, fugit ille? Nempe si sic illi Paradisus patebat, gratis jam quæris. *Ex Men. Græcis.*

Nihil est, benedicte fili, quod possit aut debeat præferri ei, qui est verus Dominus, & verus Pater, & Imperator æternus. Cui enim rectiùs vitam nostram impen-

dimus, quàm illi à quo accepimus? cui si in hoc sæculo militaverimus, tunc ad ipsum transire merebimur. S. Paulin. ep. 39.

S. THEODORA POENITENS.
11. *Septembris.*

VIrum an feminam spectâsse te, lector autumas? utrumque, si mihi credis. Nam femina, puto, fuit THEODORA, cùm lapsa est, vir, cùm surrexit. Id te vita docebit. Tenebat illa matronas inter Alexandriæ principem locum. Sed ex hoc lena eademque venefica turpiter dejecit, cùm quæ Sol occidens non spectat scelera impunè perpetrari suasit, itaque adulterium persuasit: ac si unum solummodo cælum oculum haberet & mediâ etiam in nocte Argus non esset. Vidit ipsa THEODORA crimen, cùm primùm lux animo aborta est, & quò ruborem absconderet, cœnobio se abdidit, utque viros effugeret, inter viros virum se venditavit. Et jam lacrimas quibus facinus piabat, vel Crocodilus probaverat, dum dorso innoxiam per fluctus tulit; jam silvæ, per quas invidi monachi intempestâ nocte miserant à feris devorandam, virum & ipsæ crediderant; cùm loco pellere dæmon malus aggressus, non quidem virum negavit THEODORAM, sed tamen infamis mulierculæ operâ patrem mentitus est. Poterat se ipsam absolvere THEODORA sexum fatendo, sed maluit suum sub alieno scelere scelus luere. Itaque pulsa cum infante septem ipsos annos propter Monasterii fores jacuit cæli hominumque injuriis exposita. Denique cætera miracula, & morientis apud cælites gloria Cœnobiarchæ ostensa, adductusque eodem temporis articulo maritus, mors ipsa

ipsa denique palam orbi fecerunt feminam fuisse THEODORAM, sed quam viri imitarentur. *Ex Metaphrast.*

Meliora mihi amici vulnera, quæ Christus accepit ut sanaret me, quàm voluntaria inimici oscula, quibus mihi per illecebrus delectationum caro malesuada blanditur, ut quasi parricidiali Judæ osculo paratis in captivitatem meam prodat inimicis. S. Paulin. ep. 2.

S. GUIDO CONF. 12. *Septembris.*

ETiam GVIDONEM humili genere natum ad astra virtus evexit, tutissima eorum scala, qui generosi humi obrepere detrectant. Natalem terram Brabantia dedit. Puer non priùs animo hilari esse unquàm potuit, quam aut preces Deo, aut egeno stipem dedisset, quam ubi non habuit, ipse scilicet coëgit, mendicorum mendicabulum. Adolescens VIRGINIS templo operam suam æditimus addixit, gnarus cæli portam esse, quam curaret. A tam sancto munere cùm à mercatore persuasus mare conscendisset, & ventos & Superos adversos sensit, quin remo manum tamdiu eximere non potuit, quousque hanc redux VIRGINIS aræ supplicem tetendit, manifesto in hujus transfugas exemplo. Sanctius postmodùm iter instituit, cùm Romam & Hierosolymas aliosque Christianis vestigiis nobiles locos petiit, septemque ipsos annos talem se, quales omnes sumus, peregrinum vendidit. Hinc cùm fesso DEVS quietem donare vellet, in lectulum dejecit. Hoc cùm æger Anderlaci decumberet, columba è cælo multo lumine coruscа advolavit, simul vox audita est, quæ *ad coronam dilectum* invitavit. Enimverò lubens paruit. Orbe scilicet pererrato, restabat

ut astra viseret ; quam viam an illi juvenes insistant, qui Gallias nunc & Italias petunt, tibi, qui hæc legis, judicium esto. *Ex Surio.*

Quâ præsumptione non diliges illum, qui te non diligentem dilexit, qui te peccantem non despexit ? Vide quæso quâ compensatione, quo merito summæ & æternæ respondeas Trinitati. S.Bern.op.de char.c.27.

S. MAURILIUS EP. 13.*Septembris.*

MAVRILIO patria Mediolanum, parentes illinc nobiles, vitæ Magister D. Martinus fuere. Ab hoc & sacerdotio & infulâ Andegavensi condecoratus est, factumque calculo suo candidissima columba probavit capiti MAVRILII obvolitans. Mitto plurima prodigia. Vos qui animas, qui juventam curatis, ad unicum animum advertite. Parvulus, isque moriturus sacro chrismate firmandus erat. Dum sacris MAVRILIVS plusculum immoratur, emoritur ille. Nimirum hoc suum facinus Pontifex credere, non expiandum, nisi munere abdicato. Proinde se judice exul clam navim conscendit ; lapsisque in mare, quas secum ferebat, templi clavibus, vovet non priùs patriam visurum, quàm claves amissas. Mox trajecto mari servum se viro principi addicit, hortumque colit ille nuper Italiæ unicus flosculus. Jam annis omnino septem totâ Europâ à suis quæsitus, Angeli demum indicio inventus est. Tot preces precibusque mistæ lacrimæ, redditæque à pisce, qui navim insilierat, claves, & promissa puero à Deo vita, reditum tandem persuaserunt. Nempe primò omnium ad tumulum est itum, ubi unà Divus à precibus & puer à morte surrexit, infulæ etiam hæres MAVRILII, cujus ulti-

ultima moribundi ad astantes illa vox perhibetur, *cogitarent, quas gererent animas, pretioso, ah! nimiùm lyiro, Christi sanguine emptas esse.* O juventus Parthenia, etiam tu animo hæc volveres! Tantillo animas non venderes. *Ex Surio.*

Quomodo redamabis, anima, vitæ tuæ gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, solicitum gubernatorem, copiosum redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem, glorificatorem? S. Bern. op. de Char. c. 5.

EXALTATIO S. CRUCIS.
14. *Septembris.*

SI minùs bellare feliciter, certè prædari novit COSRHOAS, qui cùm captam toties Hierosolymam ipse etiam cepisset, prædam nimiùm quantum magnam Crucem Servatoris in Persidem asportavit. Doluit Christianus Imp. Heraclius spolia hæc Christianis detracta esse, & cælo auctore armis commune omnibus Christianis dedecus aggressus abolere, ternas copias COSRHOÆ totidemque Duces felici Marte devicit, fortissimè Christianis utpote pro signis suis dimicantibus. COSRHOAS dum fugâ Tigrim trajicit, socium regni filium minorem Mardesam sibi adsciscit. Id maximus natu Syroës impatienter ferens gemino parricidio & fratrem & parentem sustulit, pactusque regnum cum Heraclio pro cruce est stultissimus mercator. Hanc porrò Heraclius cùm imperatorio habitu fulgens eò ferre vellet, quò primò Servator tulerat, nec tamen, occultâ vi gradum morante, progredi jam posset, monuit Præsul Zacharias fastum ponere & aurum nimis animo

mo oneroſum ; neſcire crucem purpuram , niſi quæ de Chriſti ſanguine ruberet , ſed neque coronam noſſe, quam ſpinæ non ornarent. Aliter ergo triumphandum ſibi eſſe intelligens Heraclius, nudus pedes & plebejam togam indutus facilè jam pedem promovit , & ſublimem crucem loco ſuo & honori reſtituit. Hæc EXALTATÆ CRVCIS feſta initia ajunt. Nego ego, & cum bonâ pace Heraclii , ea Chriſto primitus adſcribo. *Ex Brev. & Baron.*

Intuere ne mortiferam crucem efficias , in quâ facias Filium Dei amaris doloribus interire : ſuperbia ſuperiùs , inferiùs Luxuria ; à dextris proſperatio iniquitatis , à ſiniſtris adverſitatis deſperatio , ſpinas, clavos & lanceam Filio Virginis repræſentant. S. Pet. Dam. ſer. 1. de Exaltat. S. Crucis.

S. AICHARDUS ABBAS. 15. *Septembris.*

INgens duellum matrem inter & patrem feliciſſimè AICHARDVS ſuſtulit. Dum enim hic militiæ , illa Deo devotum vellet filium , hic pulchræ litis arbiter, ut ex æquo rem componeret, utrumque præſtitit , & ad militiam abiit , ſed religioſam & DEO ſacram. In hâc cùm egregiè diu adverſus Orcum depugnaſſet , & in fundo paterno victrici VIRGINI ædem , hoc eſt, propugnaculum ſibi exædificaſſet , Dux demum nongentis monachis datus eſt. Inter fortia ejus facta memorant in fugam actum non ſemel hominum hoſtem , ſive crucis telo , cum arbore dejectâ obruere Chriſti milites vellet ; ſive aquâ luſtrali, cùm hâc omnibus ſuorum cubiculis exegit. Poſt multas maximaſque pugnas beatam vacationem tandem pro ſuis à DEO petiit. Annuit hic & Angelum bonum miſit,

misit, qui post longam cum malo luctam bacillo mediam partem tam sancti exercitus signavit. Erat hoc rude emeritos donasse. Nam de morte & ipsi moniti, cùm quatuor dierum jejunio corpus curassent, & sacris omnibus se armassent, ultimum pugnarunt, eodemque die, vultu (ut victores scires) læto & præfulgido omnes cælum triumphantes ingressi sunt. Sed & AICHARDVS tunc secutus est. Cur enim à triumpho Dux excluderetur? *Ex Grasio.*

Deputat Deus Virtutes Angelicas humanæ custodiæ, & infelix homo relictâ puritate virtutum, squaloribus se polluit vitiorum: & Angelus fœtorem ac inhonestam purulentiæ nauseam invitus tolerat, etsi cælestis imperii lege constrictus obedientiam non omittat. S. Pet. Dam. l. 1. ep. 15.

S. EDITHA V. 16. *Septembris.*

FErax olim Divorum tellus Anglia, quàm eheu! degenerasti. sponte tuâ ferebas fructus olim, quos jam non nisi gladiis sulcata, & sanguine rigata donas. Illos inter EDITHA numeratur Edgari Regis filia & Christi sponsa, cui amores suos primis annis devovit, paranymphos novo more leprosos diligens, quos, quò deformiores aspectu erant, hoc formosiores & digniores se putabat; ut jam cælo id muneris ambiente, non dubitaret Angelus pauperem præ se ferre. Porrò in deliciis EDITHÆ Crux fuit, quam cùm pingere toties manu Dunstanus Antistes vidisset, pollicem prehendens nunquàm tabo obnoxium esse jussit. Id quod posteà factum vidit Anglia, cùm à morte (quæ ut suavis esset, cantu suo Angeli fecerunt) trigesimo die matri, tum anno tertio decimo

Dun

Dunstano spectandam se dedit, monuitque corpusculum tolleret integrum tunc etiam, si membra, quibus in molli ætate ad levitatem abusa esset, exciperet. Itum & inspectum monumentum est, fidemque fecerunt præter oculos, pedes & manus, omnia reliqua à tabo immunia membra. Sed & in dextrâ pollex à putredine fuit eximius. Quid? quòd cùm miraculum Canutus Rex rideret, relato iterum loco media sepulchro se extulit, manumque injicere improbo paravit? Supplicem tamen & in gratiam recepit, & inter undas posteà servavit. Magni hæc olim Anglia miracula faciebat, pluris ego Angliam, si in vitam nobis EDITHAS revocaret. *Ex Graf.*

A tuâ dignitate nimis enormiter & ignominiosè te dejicis, si transitorias & inanes pulchritudines appetis. Mundus propter te factus est; ideo mundum non ames, quia Mundus non est te dignus, cùm sis eo longè dignior. S. Bern. opusc. de Char. 29.

S. LAMBERTUS EP. M. 17. Septembris.

LAMBERTVM Trajectensi mitrâ ornatum Theodoricus Rex in exilium expulit. Ille cùm in Monasterium Stabulense se recepisset, tum denique in patriâ sibi visus est vivere, exilium omnium miserrimum maximumque mundum ratus. Obsequio sancto fasces suos ita submisit, ut Abbatis imperio, sævissimâ hiemo, sub cruce precando noctem transegerit, unico contra frigoris asperitatem cilicio armatus: sed hoc scilicet divini in pectore ignes propulsarunt, quos in reducis vultu splendor insolens prodidit. septimo abhinc anno cùm Pipinus Rex Trajectensibus Pontificē suum, Pontifici solium suum reddidisset, hic tum gra-

gratum se fore existimans, si regiæ famæ & saluti consuleret, liberrimis verbis ob pellicem Alpaida castigavit, hanc neque poculo neque alloquio, licèt multùm ambiret, dignatus. Ostendit etiam hæc, quid mulier irata & pellix posset; & germano adnitente Dodone, LAMBERTVM cum sociis obtruncavit. Sed & cælum iratum ostendit, quid contra impios posset. Et Dodoni quidem putrescenti humum etiam negatam scribunt: eum verò, qui Divo lethale vulnus inflixit, duello & fratrem peremisse, & peremptum ab eodem fuisse; omnes denique scelerum socios aut mortuos illicò esse, aut diu, hoc est miserè, vixisse. Illud omnino memorabile, odium, quo infandos amores persequebatur LAMBERTVS, ab animo etiam in corpus demortui transisse, & cùm passim exanimi oscula ferret vulgus, arcanâ vi solas ab his pellices exclusas esse. Atque hujus odii tam sancti hæredem te hodie LAMBERTVS vult, Mariane. *Ex Surio & Grass.*

Quid suavius homini, quid jucundius, quàm mundum contemnere, & se reputare seculo celsiorem, atque in bonæ conscientiæ vertice consistentem mundum habere sub pedibus, & nihil in eo videre quod appetat, cui invideat, quem metuat? S. Bern. op. de Char. c. 18.

S. SATYRUS C. 17. *Septembris.*

AMbrosium in SATYRO vides. Nam frater hic illius fuit, non virtute modò sed vultu quoque & habitu corporis tam germanus, ut familiarium etiam oculos falleret. Et nescirent hi sæpius, quemnam ex duobus alloquerentur, nisi amor & vitæ morumque similitudo, adeoque animorum consensus unum jam pridem ex geminis fecis-

feciſſent. Erat porrò in SATYRO ea animi ſimplicitas, ut columbam; ea prudentia, ut ſerpentem; virtutum fragrantia tanta & copia, ut hortum jure dixiſſes. His ille præſidiis inſtructus rem fratris domeſticam ita adminiſtrabat, ut pietas familiam duceret. Eripi ſibi oculos credebat Ambroſius, cùm ex oculis SATYRVS abiret. Abibat tamen, cùm negotia id exigebant. Et ecce navim conſcendit SATYRVS, ſed non ſine armamentis. E collo Angelorum panem ſuſpendit. Mox venti inſurgunt & fluctus navim expugnant. At SATYRO naufrago non commeatus, non vela, remi, malus, non anchora deeſt, omnia hæc adſunt in SS. Euchariſtiâ. Illo ſuccollante, quem collo ipſe ferebat, emergit; &, Anathema templo ipſum Servatorem ſuum gratus donat. Credidit in portu ſe eſſe; & fuit, non tunc quidem, ſed paulò pòſt, cùm beatâ morte defunctus eſt. Verùm tunc naufragum Ambroſium lacrimis vidiſſes. *Ex ipſo D. Ambroſ.*

Beatus qui ſanctæ Communioni atque orationi tanquam cæleſtis Angelus incumbit, & mundis quotidie cogitationibus vacat, neque aditum præbet improbo dæmoni, ut animum ſuum expugnet & abducat à Deo Servatore, S. Ephrem. in Beatitud.

S. HILDEGARDIS V. 17. *Septembris.*

NEſcio quid de HILDEGARDE ſentiendum, mundúmne deſerüerit, an potiùs nunquàm fuerit in mundo; quippe IIX. annorum virguncula inter virgines ſacras adlecta. Cæleſtia ab ipſis cunis videre habuit, nutuque hæc prodidit, quando ſermone non potuit. Literas, quas nunquàm didicit, ſcripſit tamen, eaſque non ſuâ linguâ: atque ut cantaturam ſcires olim, quod canere alii deſpe-

desperabunt, carmen, jam tunc absque doctore scitissimè modulabatur. Vatum etiam sacrorum oracula fideique nostræ volumina legebat & explicabat puella, ut ipsissimam seculi illius Sibyllam Bernardus laudaret, & in concilio Rhemensi Eugenius PP. probaret. Cæterùm visa cælestia morbus comitabatur ferè continuus, qui castigabat scilicet timidam, quoties prodere hominibus monita cælo data negligeret; fuitque, cùm lecto affixam ita undique oppugnarunt dolores, ut cedere anima & velle deditionem facere jam jam videretur. Sed præsidio Angeli venerunt è Primipili Michaëlis cohorte, qui atros Genios unaque morbos omnes in fugam egerunt. Dum porrò vixit, mira egit innumera, lynceoque vultu ipsas cordis latebras inspexit, sensaque animi obtutu suo deprehendit. Funus illustravit iris gemina in cælo visa, hanc lux coronabat lunæ circulum referens, quem itidem crux ornabat, multiplici mox incremento innumera. Id miraculum super defunctæ domum descendit. Et ascendere nos dubitamus tam familiariter invitati? *Ex Surio.*

Beatus qui puris cordis oculis Deum semper intuetur, quique bonis ac honestis colloquiis delectatur, & à pravis ac turpibus, quæ bonos mores corrumpunt, abhorret; quoniam minimè fiet diaboli mancipium. S. Ephr. in Beatitud.

S. FERREOLUS M. 18. *Septembris.*

ANnum à Christi ortu tertium supra trecentesimum victoriis suis nobilem fecit FERREOLVS, non tam militum quàm Martyrum antesignanus. Hostis, quî cum ei bellandum erat, atrox & versipellis Crispinus Procos: fuit, ut qui

modò

modò insidias (blanditias) admovit, modò aperto Marte (tormentis) pugnavit. Utraque vel eluſit prudenter vel vicit fortiter FERREOLVS. Et poterat facilè pacem cum hoſte componere, ſi vel ſemel ſacrificaſſet. Sed maluit ſuum ſanguinem Chriſto, quàm vel alienum Diis improbis litare. Et jam tota agmina carnificum vicerat, cùm ferro oneratus in carceres triumphans abiit. Inde ruptis cæleſti ope vinculis, per ſopitas cuſtodias & portas patentes ad Rhodanum evaſit, quem cùm Angelis ſuccollantibus tranſnataſſet, retractus à fugâ ultimam nobiliſſimamque pugnam edidit. Nam capite D. Juliani Commilitis objecto, juſſus eſt aut ſuam mutare, aut ſimilem expectare ſententiam. Ille charum caput amplexatus multumque diſſuaviatus, ſanguinem ſanguini, caput capiti, tumulumque tumulo ſociavit. Hunc ajunt multis pòſt annis D. Mamerti operâ adapertum, FERREOLI, & in manibus FERREOLI, Juliani caput, utrumque integrum oſtendiſſe. Exemplo vel Græciâ Judice ſupra omnes Pylades & Oreſtes amico. *Ex Sur. & Pet. de Natal.*

Beata eſſet noſtra conditio, ſi æquè DEO *& hominibus vel diſplicere timeremus, vel curaremus placere: ſi tantum præcepta Chriſti, quantum populi ſibila vererentur; & ſi tanti laus quæ ex* DEO *eſt, quanti iſti de vulgo plauſus, emeretur.* S. Paulin. ep. 31.

S. JANUARIUS CUM SOC. MM.
19. *Septembris.*

VIdit JANVARIVS Beneventanus Pont. flammam cælo lapſam caput Soſii Diaconi lambere. Eo prodigio excitatus accurrit, Soſiumque oſculis & amplexu impeditum Martyrem ſaluta-

lutavit, Martyr etiam ipse futurus. Etenim ad annum Christi CCC. XLV. à Timotheo in furnum tertio jam die succensum conjectus est. Nimirum qui puerorum olim inter flammas modulos mirati sunt, magis nunc inter easdem senem Cygnum JANVARIVM obstupuissent, cui, ut omnibus numeris suis constaret musica, voces suas Angeli junxerunt. Innoxium itaque ex equuleo suspendi tyrannus imperat. Sed vel omnibus laceratis nervis fortis tamen paruit. Jam cùm victorem victus ante currum Puteolos egisset, bravium scilicet speravit JANVARIVS. A cursu ad carceres reductus, familiarem suum illìc Sosium reperit. Mox ad bestias damnatus virtute suâ omnes cicuravit, præter Proconsul. qui cùm capitis sententiam in Divum pronuntiasset, oculis repentè orbatus, tunc demum errorem suum vidit, jamque propitium Numen sibi à JANVARIO oravit. Sed diceres omnem, quam bestiæ posuerant feritatem, in unum judicem coisse. Vix enim JANVARIVS lumen ingrato reddidit, cùm hic gladio illi abstulit. Aspexere tamen fidei lucem, quam videns videre respuit Timotheus, quinque millia hominum. *Ex Baron.*

Vacat tibi ut Philosophus sis; non vacat tibi ut Christianus sis? verte potiùs sententiam, verte facundiam: sis Dei Philosophus, & Dei vates, non quærendo sed imitando Deum: sapiens, ut non tam lingua quàm vita ruditus, tam differas magna quàm facias. S. Paulin. p. 35.

S. EUSTACHIUS M. 20. *Septembris.*

EVSTACHIVS, olim Placidus (cujus vel nomen Romani Imperii hostes debellabat) dum fe-

ras sectatur, Christum inter cervi cornua conspicuum habet, domumque nobile venationis spolium FIDEM portat. Ab eo tempore etiam Christiani Jobum suum habuerunt. Nam opes & familiam eversam mitto. Ab exilio exordior. In hoc conjugem impurus nauta sub oculis avehit, mox ipsos oculos (filios geminos) illum quidem leo, hunc lupus rapit. Jam ille tantorum nuper exercituum Imp. pecoris fit Dictator, classicum bubus canit, dux oves præit, baculo in lupos pugnat. Sed proditus demum à cicatrice, ad Traianum iterum, ad exercitus ab aratro abducitur. Et vide mihi sis fortunæ ludum. Merent sub illo Agapius & Theopistus, quos dentibus ferarum opiliones olim excusserant, ipsissimi filii EVSTACHII; hi dum alter alteri pueritiam suam narrant, & repentè fratres se mutuò salutant, audit hæc è vicino mater (cujus pudicitiæ Deus consuluit, impio nautâ extincto) & utrumque ad ducem rapit, petitque, filios sibi vindicet. Hîc insperato EVSTACHIVS pro se pronunciat, agnitusque & uxorem & filios sibi addicit. Victor deinde Romam ingressus, ipsos in triumphum Deos ducit. Dum enim his sacrificare renuit, ad bestias cum suis damnatur, innoxius denique tauro Phalaridis includitur. In hoc mugire ipsum alii credebant, sed ille fortunam ridebat. *Ex Surio.*

Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet, adducetur cum suis stultus Plato discipulis, Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis & ridebis, & dices, Ecce crucifixus Deus meus; ecce judex qui obvolutus pannis in præsepio vagiit. S. Hier. ep. 1.

S. MAL

S. MATTHÆUS AP. & EV. 21. Septembris.

VIdit Judæa hodie clarum inter pauca miraculum: Camelum scilicet per angustias acus se penetrantem. MATTHÆVS fuit, è prædivite Publicano impiger CHRISTI sectator, cujus etiam vitam literis descriptam reliquit, maximam posteris hæreditatem. In Æthiopia multa illi lucta cum Magis fuit, qui geminos aliquando in Divum dracones emiserunt, sed quos ille quàm mox cicures in loca sola amandavit. Cum his monstris etiam perfidia exulavit. Nam cùm insuper filium regis demortuum ad vitam revocasset, permota hujuscemodi miris regni longè maxima pars CHRISTVM amplexa est. Sed cùm regnum adiisset, qui Iphigeniam jam olim Deo desponsam copulare sibi sacrilegus pertentaret, MATTHÆVS, quòd palàm impium procum damnaret, dum ad aram facit, securi cæsus ipse victima sacerdos cadit. Continuò Iphigenia virginitatis Patrono templum ponit. Hic Rex non amore jam modò, sed irâ etiam ardens, ignes Virginis ædibus subjicit. Sed iterum pro pudore Angelo è cælis & D. MATTHÆO pugnantibus, flamma ad tyranni tecta evolans vix locum dedit, ut cum filio se subduceret. Nimirum mors illi minimè sicca debebatur. Sui ipsius carnifex suum denique hausit sanguinem, qui alienum semper sitiverat, regnumque Iphigeniæ germano reliquit, sub quo (utpote Christiano) liberè jam colere Æthiopia MATTHÆVM cœpit, cui quidem nos illud palmarium dicimus, quòd purioribus undis primus non frustra Æthiopes laverit. *Ex Lippeloo.*

Agnosce te peccatorem, ut tecum prandeat Christus,

intra cum peccatoribus convivium Domini tui, ut possis non esse peccator. Agnosce Christum, audi Dominum tuum, audi cœlestem medicum: si vis curam, agnosce languorem; si cupis misericordiam, confitere peccatum. P.Chrysol.serm.2.de S.Matth.

S. MAURITIUS CUM SOC. MM.
22.*Septembris.*

VOcaverat ex Thebæâ legione jam semel iterumque ad supplicium decimum quemque Maximianus, cùm ita ad reliquos dux MAVRITIVS: Libavimus milites hodie sanguinem nostrum, nondum litavimus. Sed bonum factum! litabimus, ubi nostrum cum sociorum cruore miscebimus. Illos è cælo jam spectare vos, è cælo audire credite. Quid enim? erubescite. primus è nobis cælum subiit, quisquis decimus cecidit. Proinde si viri estis, uni semper novem invidetis. Me non ducem putate, nisi ad mortem moriendo vos duxero; vos modò mortem triumphalem portam credite. Nimirum uno jam ore omnes Maximianum incusare; quid tam parcè biberet, quem tam sitiret sanguinem? Indulgeret improbæ siti, quando sibi tantumdem sanguinis in divite venâ ac sociis bulliret. Si crimen esset Dius non sacrificare, crimen hoc omnium esse. cur pauci luerent, quod omnes peccassent? Itaque cingit omnis exercitus fortissimam phalangem, mactatque omnem; cùm ecce veteranus supervenit, clamat, frustra veteranum se dici, si præmia juvenes præripiant; frustra tot stipendia numerare, si nullam martyrii palmam. per emeritam denique senectam orat, sequi saltem triumphantes in cælum Thebæos liceret, quos præire tarda ætas prohibuisset.

buisset. Et annuit etiam huic Maximianus, in hoc uno adversus Christi cultores liberalis. Et profectò in nullis puto canis tam pulchrè vel sanguis rubuit, vel laurus viruit. *Ex Surio.*

Solerter animus ante actionis suæ primordia cuncta debet adversa meditari; ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid acciderit, providus superet; & quidquid non accesserit, lucrum putet. S. Greg. 5. Mor.

S. PHOCAS M. 22. *Septembris.*

HOrtum PHOCAS dum vixit, coluit. Horti pulcherrimam rosam ipsum non malè horti cultorem dixero, tunc præcipuè, ubi suo se sanguine rigavit. Cæterùm patria illi Sinope fuit, ferax olim philosophorum urbs: quibus quidem omnibus vel opum vel mortis contemptu certavit olitor noster. Etenim quidquid hortus ferebat, prudentiùs PHOCAS in miseros hospitesque, quàm ille olim in mare abjecit. Jam verò pro Christo moriens haud paulò elegantiùs Christianæ philosophiæ sanguine, quàm nostrates philosophi atramento, subscripsit. Sed audite vos qui fortiter declamatis, molliter morimini, in lectulis & mensis sapientes. Adsunt spiculatores, qui PHOCAM ad gladium quærunt. Tecto, mensâ hic ipse excipit, & hospitalitatis tesseram securus cum hostibus communicat. Interea quærunt hi quis PHOCAS? ubi agat? quibus consiliis capi, necari possit? Nimirum ait PHOCAS, hunc nulli æquè ac sibi notum, nec longè abesse, & verò postero die traditurum se PHOCAM sine turbis in manus ipsorum. Interim tumulum sibi parat suus pridie vespillo, postridie proditor. Cohorruere satelli-

tes, & Jovem hoſpitalem reveriti, manus hoſpitis ſui ſanguine lavare reformidarunt. Sed ille nullam aliam ſymbolam quàm cædem ſuam oravit. Accepit ergo hanc, & tumulo ſuo eſt conditus. Noverat jam, noverat reſurgere flores terrâ obrutos. *Ex Surio.*

Stude cognoſcere te; quia multò melior & laudabilior es, ſi te cognoſcis, quàm ſi, te neglecto, cognoſceres curſum ſiderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium, & haberes omnium cæleſtium & terreſtrium ſapientiam. S. Bern. l. Med. c. 5.

S. EMMERANUS M. & P. 22. *Septembris.*

ORtum hoc ſidus in Aquitaniâ eſt: luxit diu Bojariæ, ſed numquam clariùs, quàm cùm occidit. Res in hunc modum geſta. Uta Theodonis IV. Bojorum Ducis filia, dum ſtupri conſuetudinem cum Sigebaldo juvene cætera nobili habet, ecce uterus intumeſcens ſcelus prodit; ipſa EMMERANO, dum patrem eum dicit, mortem parit. Landbertus enim Utæ germanus ſcalarum radiis illigato manuum pedumque digitos, aures item nareſque & quæ natura velavit, articulatim omnia præſecat, eruit oculos, linguam denique ſtirpitus avellit. Sed etiam ſine hac cùm loqueretur EMMERANVS, quid aliud loquebatur, quàm innocentem ſe mori? Quid? terra & illa quæ ſanguinis imbres biberat, & illa quæ tumulum prima dederat, numquam non virenti ceſpite lætaj aër, qui ipſos XL. dies nefas flevit, quod homofecerat; undæ Danubii & ipſæ cæli lacrimis exundantes; lampadum ignes, qui in eâ pompâ, quâ Ratiſponam ſacra lipſana advecta ſunt, inter omnes ventos pluviaſque pertinaciter emicabant; mira

mira denique alia innumera, an non totidem integritatis testes sunt ab omni naturâ submissi? Nec pro EMMERANO solùm, etiam contra EMMERANI hostes Numen pronunciavit. Correpti insaniâ carnifices. Uta Landbertusque exules, illa inter Italos, hic inter Hunnos perierunt, vindictâ in seros etiam posteros grassante, quorum omnium vel cita vel longa mors, hoc est misera vita fuit, ut ita non minùs diu, quàm sæpè moriens innocenti tyrannus parentaret. *Ex tom.1. Bavar.S. & tom.1. Annal.Boic.*

Tu, ô Christiane, quæris vindicari de adversario tuo, qui tibi forsan injuriam fecit? attende Christum medicum ægritudinis tuæ: propter te pependit in ligno, & nondum est vindicatus; & tu vis vindicari, & non vis tantum & talem Magistrum imitari. Aug. s.2. de SS.

S. PROIECTUS EP. 23. *Septembris.*

NIhil jam novi, si laudes suas infantia in utero loquitur. Ita PROIECTVS noster gravidæ parenti visus est in somnis per latus nasci, & dextrâ lilium præ se ferre triumphans. Sensit certè patria (Forum Cornelii fuit) virtutis odorem, & laudavit animum etiam lilio candidiorem. Ipse literis bonis imbutus Episcopo Cornelio adfuit, & cùm in stipem pauperum non nisi duo denarii supereſſent, loculos vacuos tanto miraculo infarsit, ut in totius paupertinæ cohortis stipendia suppeterent. Aliàs cùm tres hospites alii hospites riderent à carnium esu sibi temperantes, nec moniti ipsi à risu temperarent; collapsum repentè cœnaculum est, risu omnibus, præter tres, quos diximus, & PROIECTVM, emortuis. Subinde mortuus etiam Cornelius viduam insulam reliquit. Et tulisset

hanc jam tunc ad PROIECTVM populus, nisi alterius ambitio præripuisset. Huic ipsi tamen optatam prædam mors intra XXV. dies eripuit, ut alter sibi delatam, cùm fatalem esse capiti non merenti videret, ultrò ad PROIECTVM remitteret. Tunc demum infula locum se dignum credidit nactam esse, quando non tam ipsa lilium, quàm lilium ipsam coronavit. *Ex Ferrar.*

Si pro temporali curâ ægri medicis obediunt, servam arduam parcitatem; quare pro sempiternâ salute sit durum Christo moderatis obedire jejuniis, corpus gubernare mensurâ, mentem regere parcitate, sensum sobrietate frenare? S. Pet. Chrys. serm. 41.

S. THECLA V. & M. 23 *Septembris.*

PRinceps earum virginum THECLA memoratur, quæ candidum animi pudorem martyrii purpurâ exornarunt. Hæc à Magno Paulo fidem Iconii edocta, cùm ab ejus ore dies noctesque è fenestrâ penderet, facilè misso, qui ei è primâ nobilitate fuit, sponso, Christo amores suos addixit. Quam ipsam ob caussam cùm castitatis magister Paulus in vincula esset datus, gemmis omnique mundo muliebri distractis, aditum sibi ad eum mercata est, eas demum gemmas æstimans, quas è Pauli ore legeret. Et vide in virgine Herculem. Capta cicuravit, quibus objecta fuit, leones; domuit, quibus alligata fuit, tauros; vicit undarum, quibus immissa est, monstra; triumphavit, quos conscenderat, ignes; & flammæ, quæ nec Herculi pepercerant, virgini pepercere: ut sciant, qui castitatem eunt occisum, omnibus monstris insaniores se esse. Cæterùm tot victoriis inclita Seleuciã venit, ubi cùm ægris compluribus salu-

salutiferam manum porrigeret, medici, quibus, quòd nullam jam lucelli spem viderent, oculi scilicet dolebant, in virginem infames adolescentulos armarunt. Hos lenones cùm fugeret, quæ nec leones fugerat, jam jam comprehendendæ sinum rupes discedens præbuit, clausæque castitati & asylon & tumulus fuit. Itaque qui pudori periclitanti non consulit, hunc ego etiam rupe duriorem dicam. *Ex D. Basil. & Metaphr.*

Inter omnia certamina Christianorum sola sunt dura prælia castitatis; ubi quotidiana est pugna, & rara victoria: gravem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur, & semper timetur. S. Aug. l. de Hon. mul.

S. GERARDUS EP. M. 24. *Septembris.*

GEnuêre Venetiæ GERARDVM magno suo honori, majori Ungariæ bono. Nam per hanc illi dum iter est ad sacras Solymæ terras, hospitem intercepit Rex D. Stephanus, & detentum amicâ vigenti Episcopum dedit. Nihil illi post Christi honorem prius, quàm Matris hujus cultus, quem toto regno magnâ animi sui voluptate, fructu hominum quàm maximo, disseminavit. Pietatis in MARIAM illud argumentum esto, quòd ante ejus aram numquam non binos ministros excubare voluit, qui thuris odore eam honorarent, & fumo tam pio proderent, quibus Virginem castissimè ardebat, ignes sanctissimos. Adhæc nemo unus fuit, qui ab offenso veniam non exorasset, simul interposito Patronæ MARIÆ nomine orasset: ut jam nominis hujus characteres totidem calculos candidos dixisses, quibus omnes apud illum rei absolverentur. Jam ut corpus in virtutis

palæstrâ exerceret, noctu silvas & ex silvis ligna petebat, leprosis interim in lectulo Episcopi vicem dormientibus. Hostibus, qui regi Petro regnum, quod Stephanus suâ morte illi in manus tradiderat, vi eripuerant, malam mortem, sibi optimam vaticinatus est & sanguine comparandam. Et verò anno MXLII. à globo impiorum cinctus, lapidibus primò est appetitus: sed, quia innoxius hos scuto Crucis excipiebat, post currum eversum hastâ transfixus est, cùm pro parricidis suis, Christi & Stephani exemplo, è genibus peroraſſet. *Ex Surio.*

Beatus qui ab omni abhorret turpitudine peccatorum, seq; hostiam viventem & Domino acceptam offert. Beatus qui semper in seipso Dei memoriam colit: erit enim totus velut Angelus cælestis in terra cum reverentia & amore sacrificans Domino. S. Ephrem in Beatitud.

B. PUER CONSTANTINOPOLITANUS.

25. *Septembris.*

QUid hodie primùm miramur desipere hæreticos? jam olim barbatos horum Magistros & ferulâ dignissimos ad rudem pueritiam erudiendos cælum ablegavit. Ita Petro Fulloni, qui Eutychetis œstro afflatus unicam tantùm in Christo naturam, adeoque mortalem DEVM somniabat, doctorem puerum multò antè providit. Nam cùm sub Theodosii Junioris tempora terræ motu totus orbis, sed Constantinopolis potissimùm, VI. ipsos menses laboraret, præter nobilissima urbis ædificia tectaque & sacra & profana dejecta, animi insuper omnium ita sunt consternati, ut cum ipso Imp. suo urbs urbem desereret, campos-

que

que habitaret. Illud tamen civium bono factum, quòd tellus sic mota mentes hominum non tam ad metum quàm pietatem movit. Ipse Theodosius Imp. in togâ privatâ sordidus & pedes nudus dies noctesque Superos veniam sibi ac suis orabat. Inter hæc PVER innocentulus turbine raptus sublimis sub omnium & ex omnium oculis abiit, comesque huic unà vulgi vox Kyrie eleison ivit. Hora non ampliùs abiit, cùm eâdem viâ puer redit, narratque quod à cæli Choraulis cantari audierat Trisagion. *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis*, aitque vetitum esse cæli consulto quidquam his addi. Simul legatione suâ perfunctus ad musicam suam moriens abit. Interea Patriarcha voluit, ut voces auditas repeteret terra, cantuque etiam ipsa cælo, quod provocaverat, responderet. Factum, & Trisagion cantatum terram firmavit trepidam; ut homines non jam certasse tantùm Superis voce, sed tunc superasse videantur. *Ex Men.*

Si accipientes munera taciti & immemores fuerimus, tamquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur; ut Deum, quem beneficiis non cognovimus, malis ingruentibus requiramus, & adversis stimulemur ad rogandum, qui prosperis gratiam non egimus ad fruendum. S. Maxim. de non tim. car. host.

S. JUSTINA V. & M. 26. *Septembris.*

AN hodie suum parentes faciant, nescio, olim parentum officium liberi etiam fecerunt. Ita JVSTINA à teneris annis Christianas leges clàm edocta, docere easdem parentes cœpit. Et jam per matris ad pectus patris aditum sibi fecerat; cùm hunc nutantem jam in partes Christianas

visus per somnum ipse CHRISTVS impulit. Itaque brevi pòst mortuus pater vitam in acceptis filiæ tulit. Cæterùm fuit è Parnasso nescio quis Aglaidus, qui oblitus virgines esse, quas colebat, Musas, impuris amoribus extremùm JVSTINAM deperibat. Sed Palladem scilicet castitatis ægide contra omnes preces & minas armatam reperit. Itur ergo ad CYPRIANVM nobilem tunc cum primis magum, & orco omnes amores contra JVSTINAM evocantur. Sed omnes faces incestæ, omnia tela unico crucis clypeo repelluntur, & totus Cupidinum exercitus ab unicâ fugatur Dianâ. Enimverò irasci hîc arti suæ, sed multò magis artis magistro cacodæmoni CYPRIANVS: & quia hîc victum palàm se fatebatur, nuntium illi mittere, jamque libros & in libris Venerem Vulcano dare, ipse Christo & JVSTINÆ adhærere. Cum hac in exilium, in carcerem, in equuleum, in bullientes à flammis sartagines, ad palum denique & secures ivit. Itaque quando hodie virgini JVSTINÆ virum magum CYPRIANVM, hoc est oviculæ lupum, junximus, an non aurea secula reduximus? *Ex Lippeloo.*

Illum amemus, quem amare debitum est: illum osculemur, quem osculari castitas est: illi copulemur, cui nupsisse virginitas est: illi subjiciamur, sub quo jacere supra mundum stare est: illi commoriamur, in quo vita est. S. Paulin. ep. 4.

S. NILUS ABBAS. 26. Septembris.

OPtimè omnium post conjugis mortem viduam vitam NILVS egit, quando solus jam in locis solis egit. Sed quid dico solus, quando exempli socios complures, & Cryptæ Ferratæ Abbas im-

imperium in Magnates, & adeò Imperatores & Pontifices habuit? Nam, ut alios taceam, Eupraxium Imperatoriâ præfecturâ superbum morbo curavit, & inter monachos adscriptum morte paulò pòst felici beavit. Alios viros Principes, quòd inventum monachi cucullum riderent, graviter objurgavit, edixitque id fore, quod factum mox est, ut seriò hunc sed serò ante mortẽ essent petituri. Ipsum Joannem XVI. Pont. & Othonem Imp. censoriâ virgâ notavit. Et ille quidem cùm videre errorem suum nollet, oculos amisit; hic pœnitentiâ ductus patrem sensit B. NILVM, & manus hujus, in quas ille coronam unaque se & sua tradiderat, benè precantes habuit. Quidvis etiam Otho promittens, si peteret modò NILVS, illud audivit, nihil nisi animum Imperatoris ex toto imperio se petere. memor esset, quos orbis nunc adoraret fasces, Dictatori olim supremo submittendos. Hoc Principibus, illud omnibus omnino proderit. Invisêre ad NILVM viri è primâ nobilitate iidemque literati. Sed ille inanes disputantium argutias exosus, thesin legi jussit inexpectatam, Simeonis Eremicolæ inquam visum, quo vix decimum quemque mortalium cælo asserendum affirmabatur. Cohorruêre ad hæc omnium animi tunc. At nostri philosophi Heracliti omnes sunt, rident, nescio an tam feliciter decimandi. *Ex Baron. tom.* 10.

Si quem videris superbiâ tumidum, habitu splendidum, & comitantium catervâ reliquos prementem, ille ne invideas, neque perturberis, sed fortis ac temperans esto, & eum paulò pòst extinctum aspicies: soli enim illi perpetuò florent, qui Dei obtemperant voluntati. S. Ephr. in Vit. rect. rat.

S. CALLISTRATUS M. 27. Septembris.

SPectavit CALLISTRATVS Carthaginensis miles in avo suo patientem Christum. Inde est, quòd magna pati Christianum & ipse duxerit. Christianum verò se esse commilitonibus tunc prodidit, cùm inter preces assiduus pernoctavit. Debebat tam sanctas vigilias in milite laudare Dux Persentinus & militaribus donis ornare; sed ille pium vigilem equuleo, verberibus & testarum fragminibus laceravit; ita tamen, ut interea omnia tormenta canere etiam CALLISTRATO adlubesceret. Atque ut ne infacetè ceciniſſe putes, capti modulis delphini gemini, cùm culeo insutus & undis mersus esset, tergo Ariona suum exceperunt, & littori plaudentes reddiderunt. Eo miraculo permoti milites alii XLIX. cùm Christo nomen dediſſent, vincti in mare præcipites acti sunt. Cùm enataſſent rectiùs instruendi in novâ militiâ, denuò unà cum CALLISTRATO piscibus præda abjecti sunt. Sed vicere iterum undas, & victoriam cælum gratulatũ est, quando coronam misit, quæ caput CALLISTRATI cingeret. Quid expectas? in carceres abrepti, cæsi omnes in frusta sunt. Et hoc nimirum fuit, quòd plebejâ morte defungi noluerunt. Juvabat non integros, sed artuatim Christo perire. Nec poterant per minutas rimas exire; ampla ostia, magna vulnera ingentes & militares animæ quærebant. *Ex Metaphr.*

Christus omnibus vita, omnibus via, omnibus janua est. Perge quò curris, ut apprehendas, in quo apprehensus es; enitere per angustam viam, ut pervenias in amplam possessionem hereditatis æternæ. S. Paulin. epist. 31.

S. EL-

S. ELZEARIUS CONF. 27.Septembris.

DUxit ELZEARIVS Gallus Comes Dalphinam. Dos rari pretii fuit, virginitas, quam sacrosanctam uterque per omnem vitam habuit. Vidit hanc matrona à Superis laudari sub gemmæ figurâ, quâ utique nulla etiam VIRGINIS dextræ clarior est. Aliâ, omnium ordinum turmas legere Agni vestigia, & his signiferum præire ELZEARIVM. Iterum aliâ decumbentibus in thalamo medium assistere & renidentem Christum conspexit. Talia nimirum virgo animus somnia alit. Jam familiæ suæ leges ELZEARIVS has fixit: *Sacris quotidie interessent: vitam castam agerent: post octavum diem animum expiarent: post mensem Epulo sacro reficerent: antemeridianum tempus pietati, pomeridianum labori darent: verbum vel impium vel obscœnum nisi pane & aquâ luerent: vetito ludi genere omni se abstinerent: pacem non frangerent, fractam illico resarcirent: horam denique quotidie piis colloquiis donarent.* Ipse quòd irasci numquam vellet, jam non posse credebatur; sed verius lædi non poterat, ut qui habitare in Crucifixi vulnere se dictitabat. Cæterùm quòd nescio cujus noxæ periculum adisset, Christus eum per totum carminis Davidici, quod quinquagesimum numeramus, decursum, flagellis cecîdit. Quid hîc illi, qui ad peccandi pericula non eunt, sed currunt? Obiit demum mortem sub annum M.CCC.XXIII. cùm vitæ magistram, ut ipse Christus edixerat, MARIAM habuisset. Vestra vita, Sodales, qui eâdem magistrâ gloriamini, dicite, cur est dissimilis? *Ex Surio.*

Non solùm à gravibus peccatis tempera, sed etiam ab illis, quæ levia apparent, quæ ferè negligi sperniq; solent, quasi

quasi nulla de similibus reddenda foret ratio, cùm per ejusmodi etiam nos perdere soleat diabolus. S. Ephrem c. de Temperant.

S. THIEMO EP. MART. 28. *Septembris.*

NAtus in illustri Bojorum familiâ THIEMO, & in sinu sociorum D. Benedicti educatus, literas omnes à primis annis imbibit. addidit deinde pingendi fingendique & cælandi artes. Tam doctum ille artifex dæmon pænè fefellit, cùm fugam è cœnobio persuasit. Sed acceptam ignominiam reversus mox novâ victoriâ obruit, &, ut hanc probari à Superis scires, insequente nocte per somnum victori sibi deferri insulam Salisburgensem & Martyrum palmam vidit. Nec multò pòst moriens Gebhardus Pont. heredem THIEMONEM dixit. Sed involavit in hanc Pseudoepiscopus Berchtoldus, qui pro Imp. Henrico contra Pont. Greg. stabat. Hic captivo THIEMONI spem insulæ auferre cum capite voluit. Sed aut exerravit gladius, aut duriorem se cervicem deprehendit. THIEMO modò palmam prehenderet, facilè insulam missam facturus, elapsus è carcere Hierosolymam unà cum Guelfone petiit. Sed à Turcis captus, cùm statuariam artem professus esset, jussus est truncum & deformatum Mahometis simulacrum splendori pristino reddere. Hic THIEMO malleum aliaque artis instrumenta petere; mox, ubi hæc ad manus fuêre, celebre & oraculis illustre idolum in mille alias partes deformare, numquam doctiùs arte suâ usus. Nec præmium artifici suo defuit, scuticis toxicatis cæso, omnibusque membris trunco venter discissus, baculoq; implexa ilia sede suâ cum corde evulsa.

Reliquit

Reliquit tamen opus immortale post se, & quale nullum Praxiteles. *Ex Bavar. Sanctâ.*

Beatus qui sanctitatem ut lucem diligit, & tenebrosis diaboli operibus non inquinat corpus suum in conspectu sanctissimi Dei nostri. Beatus qui corpus suum Servatori custodit in sanctitate, & malis operibus non contaminat animam suam, sed gratus manet in Domino Deo suo. S. Ephrem in Beatitud.

S. VVENCESLAUS M. 28. *Septembris.*

DIsparis educationis dispares exitus vide. Erant VVENCESLAVS & Boleslaus germani fratres, Bohemiæ uterque Dux: sed illum avia Ludmilla sanctissima matrona, hunc monstrum mulieris Drahomira mater eduxit. Nempe uterq; mores nutricis imbibit. Fratres negares: tam iste pietatem oderat, tam ille amaverat. Ille divina humanaque omnia susque deque habere; hic verò nudis pedibus summâ hieme templa obire, & facienti Sacerdoti minister adesse. Ostendit cælum, gratum sibi esse, hominem iis muniis assuescere, quibus cives sui Angeli delectarentur. Cùm enim in Radislaum moveret VVENCESLAVS parcus sanguinis suorum, sed prodigus sui, hosti duellum obtulit, ensiculo brevi succinctus, sed benè loricâ è cilicio & cruce armatus. Adest ille totus ferreus, hastâque ingenti & machærâ timendus; verùm pugnam sibi non cum homine esse, sed Angelo videt, qui perterritũ ad genua VVENCESLAI cogit descendere. Quin Otho etiam Imperator cùm comitia haberet, inter Angelorum manus ingredi aulam VVENCESLAVM vidit, comitatu profectò ipsi etiam Imperatori invidendo. Tandem Drahomira blandis verbis ad se invitatum

per

per Boleslaum in mensâ obtruncat. Sed parricidium novercæ matris, neque ipsa quidem Styx tulit: curru quippe vectam cum omni comitatu (si modò aurigam excipias, qui ære campano excitus ad aram accurrerat) vivam absorpsit, utique non levem terram habituram, cui viva tam gravis fuerat. *Ex Surio.*

Nemo speret in patronis, nemo in amicis aut parentibus, cùm etiam frater fratrem tradat in mortem, pater filium, & filius patrem. S. Joann. Chrysost. hom. 24. in Matthæum.

S. CHARITON CONF. 28. *Septembris.*

SIc persuasum habeo, uti dedecus plenum ignominiâ civi Romano fuit, ita plenum gloriâ facinus Christiano fuisse, ad tribunal cædi. Cur enim CHARITON nobilis Iconii civis obtorto collo in jus iniquissimum raptatus exultavit etiam gaudio, cùm in crucis formam extensus flagris cæderetur barbarùm, & facibus ustularetur miserandùm, nisi quòd uni Scævolæ Romano invidiam facere omnes Christiani vellent, docereque nullas honestiores cicatrices esse, quàm pro Christo à tyranno acceptas? His plenus miles noster in carcerem detrusus est. aperuit tamen hunc, quæ vitam clausit impiam Aureliano mors impia. Ergo liber CHARITON, ut Christi vestigiis insisteret, instituit Hierosolymam petere; sed interceptũ ex itinere prædones in antrũ suum abducunt, ignari à captivo se spoliandos. Etenim cùm palantibus illis serpens haustum libasset, mortem omnes sub adventum biberunt, & è vinculis CHARITON Angeli operâ exemptus, spolia omnia prædonum prædam pauperum fecit. Inde jam animis insidias

struere

ſtruere CHARITON, & ex urbe ſocios vitæ plurimos in ſilvas pellicere, jamque aſceteria terna condere, verbis, exemplo tenere. Poſt hæc denique placuit rupem conſcendere (per ſolas ſcalas aditus erat) indeque velut ex arce ſuis advigilare. Fons quoque cùm deeſſet, lacrimis hunc mercatus eſt. Denique cùm ad ſuos undique convocatos pro virtute verba faceret, dixit & vixit. *Ex Metaphr.*

Si mortem aſſiduè meditaberis, non peccabis: ſi ab omnibus terrenis negotiis liber ac nudus fueris, latronis impetum non timebis: ſi hæc caduca & fugacia deſpexeris, victoriæ palmam obtinebis. S. Ephrem in Beatitud.

S. LIOBA ABBATISSA. 28. *Septembris.*

LIOBA eſt, nobilis cum primis & Deo dicata virgo, eademque virginum multarum mater. Et hanc, cùm Germaniam percoleret D. Bonifacius, ex Angliâ in auxilium evocavit, ut novo Parthenoni Biſchoffheimenſi Antiſtes præeſſet. Vitam vixit, quam rebellis cælo Angelus inviderat homini. Inde cùm labe nullâ poſſet, ſiniſtris rumoribus famam vitiare virginis aggreſſus eſt in hunc modum. Muliercula ſtipe victitabat, quam in dies ſingulos virginum aſceterium porrigebat. Hæc cùm prolem extra thori leges enixa eſſet, crimen mergere cum partu in rivo voluit, qui cœnobium proximus alluebat. Sed non eluerunt aquæ facinus; prodiderunt, & in ſuſpicionem cædis ad populum totum virginum Collegium vocarunt. Hic LIOBA in auxilium Superos paſſis manibus tam diu vocare, dum Davidis omnia carmina percurreret. Inde cœnobii muros circumlatâ cruce luſtrare. Neque refugit patrocinari cælum,

cælum. Sceleris conscia mulier à dæmone correpta ultrò se stitit, & crimen fassa innocentes omnes absolvit. Porrò LIOBÆ de Deo illi fuêre sermones, ut hos Imperatoriæ Caroli M. & conjugis augustissimæ aures sitirent. Miris etiam post mortem plurimis, multis etiam in vitâ claruit. Inter hæc illud memorandum, quòd tempestatem ultima minitantem urbi crucis signo fugavit, CHRISTIQUE & MARIÆ nomine omne cælum serenavit. Et verò ad geminos soles cur non nubes fugerent? *Ex Surio.*

Si propriam gloriam quæris, florenti invides, absenti detrahis, reponis lædenti te. Hoc Christus non fecit. Confiteris te nosse Deum, factis autem negas; non rectè, non planè, sed impiè; linguam Christo, animam dedisti diabolo. S. Bern. Serm. 24. sup. Cant.

S. MICHAEL ARCHANG. 29. *Septemb.*

MICHAELEM vides Angelorum bonorum omnium Principem, malorum omnium domitorem: Numinis ad mortales principem legatum, horum ad cælos ductorem fidissimum, operumq; æquissimum libripendem. Tam benè itaque de se merito Christiana Respub. jam olim trophæa, aras & templa statuit. Nam ut montem Garganum, cujus alibi mentionem fecimus, hîc taceam, D. Joannis Apostoli ætate MICHAELIS nomen, quòd salutiferas in hominum usum aquas eduxisset, apud complures populos celeberrimum fuit. D. etiam Autbertus sub annũ Christianũ DCC. IX. ita jubenti MICHAELI ædem in rupe, quam mare undique alluit, exædificavit. Imp. deinde Constantinus, cùm ejus auspiciis hostes suos omnes devicisset, gratitudinis monumentum splendidissi-

didissimum templum posuit, cujus exempli sui heredes viros deinceps principes permultos, sed nostrâ potissimùm tempestate habuit. Vidit certè Bavaria in eam magnificentiam sacra D. MICHAELI tecta exsurgere, ut aut has ædes terra dignas aut nullas habeat, quas cæli Princeps post cælum incolat. Quamvis, si verum loqui velimus, non tam Angeli nobiscum, quàm nos secum habitare percupiant.

Quantâ solicitudine nobis opus est, ut dignos nos exhibeamus Angelorum frequentiâ, & eo modo conversemur in conspectu eorum, ne fortè sanctos offendamus obtutus? Væ enim nobis, si provocati peccatis nostris indignos nos judicaverint suâ visitatione. S. Bern. S. I. de S. Michaele.

S. HIERONYMUS D. ECCL.
30. *Septembris.*

FUit HIERONYMVS natione Dalmata. Mundum pænè omnem cùm lustrasset, neque usquam hic arrideret, pedem extra mundum tandem posuit, hoc est, ad Anachoretas transtulit. Hic dum identidem profanos adhuc scriptores lectitat, evocatus ad divinum tribunal, quis sit? rogatur. Respondet Christianum se esse: at negat judex, Ciceronianum esse dictitans, non Christianum; simul mendacii convictum cædi tamdiu imperat, dum vitæ emendationem HIERONYMVS, cælites vadimonium spondent. Et certè amplius quid fuisse quàm somnium sparsæ passim per omne corpus plagæ loquebantur. Quid jam mirum, si exinde, quidquid demum ageret HIERONYMVS, auribus tuba illa fatalis obmurmurabat, oculisque vindex ille judex oberrabat? Porrò in more positum

tum habuit, cùm orcus incurſaret, ad Jeſu pedes confugere, hos longis jejuniis multiſque lacrimis mollire, infeſta interim cogitationum agmina aſſiduis ſaxorum ictibus è pectore propulſare; tam dulci victoriæ fructu, ut quandoque ſublatum in cælum ſe putaret, qui merſum modò imis ſe inferis redebat. Interim etiam dum vixit, Doctorem ſuum in HIERONYMO orbis Chriſtianus coluit, hoſtem verò hæreſis extimuit. Ipſe vitam denique ibi clauſit, ubi ordiri Deus infans voluit, magnus heros, ut cui in tumulum Chriſti cunæ cesſerunt. *Ex vitâ & ejuſd. ep.*

Ecce de cælo tuba canit; ecce cum nubibus debellaturus orbem Imperator armatus egreditur; ecce bis acutus gladius ex Regis ore procedens obvia quæque metit; & tu mihi de cubiculo ad aciem, tu de umbrâ progrederis ad ſolem? S. Hier. Ep. 1.

S. GREGORIUS ARMENIUS EP.

30. *Septembris.*

GREGORIO huic noſtro patria cognomen Armeno fecit. A Tiridate rege ſuppliciis, quantis vix ullus alius Martyr, exercitus duravit tamen, inter mille mortes numquam mortuus. Darem catalogum cruciatuum, ſed non capit hos ſcheda hæc: totum illi librum vitæ implent. Tibi hoc ſufficiat, Lector: non ferenda tulit, non dicenda nobis fecit. Itaque victor in omnibus pugnis, demum in ciſternâ altitudine ſuâ & fœtore horridâ ipſos annos X. & IV. triumphavit, cùm annonam diurnam panem unum matrona vidua ſubminiſtraret. Inter hæc Agni auſpiciis in Armeniam advenit totum virginum agmen. Ducebat Gainna antiſtita: formâ verò inter omnes eminebat

nebat Ripsimis, cujus cùm castitatem oppugnatum iret Diocletianus, fugit scilicet illa, vincere docta Parthorum more. Sed Tiridates rex non minùs Diocletiano in virgine dictâ periit. Offendit tamen in Amazones: vitam eripere potuit omnibus, Christum sponsum ne uni quidem. quamvis nec illud impunè. Audi enim quisquis cum Ulysse Circæam non fugis Venerem. Tiridates, Deo sic volente, cùm animum humanum jam nuper exuisset, nunc corpore etiam in porcum abiit, mundoque non fictum Elpenora spectandũ dedit. Sed neque setas priùs posuit, quàm ex cisternâ extractus Gregorius cruces templaq; Christo, &, quod caput est, populum sacrasset. Tum enim & rex sordes posuit, & sacro lavacro lotus cum hominis schemate mores etiam humanos recepit. Mirabantur tunc hominem in porcum migrasse. magis ego miror familiare hoc nobis miraculum & quotidianum admirationi non esse. *Ex Surio.*

Non potest in iis, qui fluido æstu voluptatum huc atque illuc feruntur incerti, ullius spiritus esse vitale commercium. Homo igitur ipse sibi auctor est ærumnæ: nam nisi quis porci more vixisset, numquam in eum accepisset diabolus potestatem. S.Ambros.l.6.in S.Luc. cap.8.

OCTO-

OCTOBER.

S. NICETIUS EPISC. 1.Octobris.

NICETIVM priùs cælum ad Sacerdotium, quàm Pont. destinavit, quando natus jam tunc Sacerdotale capitis decus coronam gestare visus est. Hanc ampliùs deinde infula Trevirensis exornavit, quam ubi illi Theodoricus rex decrevit, nescio quid grave cervici suæ tertiùm incumbere sensit. credo ut cum illo scirent omnes Pontifices, infulam non tam ornamentũ capitis quàm onus esse. Sed onus hoc pares humeros in NICETIO invenit, & contra reges etiam fortes. Et evenit, ut cùm aulæ assecla à sacris prohibitos templo Theodobertus rex nollet excedere; homo à dæmone insessus uti virtutum NICETII, ita scelerum regis longum catalogum palàm recitaret, ut jam rex non illos modò, sed omnes omnino exesse templo percuperet. Cesserunt igitur illi ex æde sacrâ, mox dæmon ex homine etiam. Sed & in ipsos reges non semel fulmen sacrum vibravit, neque exilio, neque adeò morte intentatâ absterritus. At urbis servatorem & civium esse tunc patuit, quando grassante gravi lue mali genii illas voces auditi sunt loqui: Facessite hinc socii, quando pro urbis alterâ portâ D. Eucharius, pro alterâ D. Maximinus, pro totâ urbe medius NICETIVS excubat. Quid? quòd Christus è turri conspicuus spectacula fecit NICETIO, & in scenam omnes ordine Gallorum reges produxit. Quid spectatorem tunc feciſſe NICETIVM credis? ego, uti in Tragicomœdiâ fieri assolet, nunc risum, nunc lacrimas

lacrimas credo dediſſe. *Ex Surio.*

Nemo quaſi concretis ſibi vitiis obſequatur, &, quod eſt criminis, eſſe putet naturæ; ſed ſumat cum Chriſto arma jejunii, criminum propellat impetus, proſternat caſtra vitiorum, ut de ipſo auctore mali, ſumat, Chriſto limicante, victoriam. Diabolo victo, vitia nihil valeant. S.Pet.Chryſ.Serm.11.

S. BAVO CONF. 1.*Octobris.*

ALiam aulam BAVO cum conjuge, aliam hâc demortuâ habitavit. Illa talis erat, qualem vetus nobilitas & è principe Francorum ſanguine origo commendabat; hæc qualem cælum laudat, quercus primò cava, mox cella hoc auguſtior quò anguſtior. Sed ſi illam priorem plures homines, hanc ultimam plures Angeli frequentarunt. Auriga verò, qui ad hujus ædificium lapides convehebat, quas diras BAVONI imprecatus eſt, ipſe ſenſit, cùm à dæmone ex equo, à rotis equorumq; calcibus vitâ ejectus eſt. Sed BAVO ut ſanctè ſe vindicaret, vitam reddidit. Intereà evenit ut in ſervulum offenderet, quem olim in alienam ſervitutem vendiderat. Veniam igitur oraturus ſupplex dominus mancipii pedes prehendit. Nec prius expiatam hanc noxam credidit, quàm domini tergum ſerviles manus virgis immaniter laceraſſent. Addidit alterum ipſe ſupplicium compedes, quibus lubens volens libertatem ſibi adeuit. Ita ligatus vicit tamen quoties cum dæmone luit (& ſæpè fuit) pugnandum. Victorem coronavit crux cælo delapſa, & caput multo ſplendore ambiens, quam ille ita ſalutavit: *Agnoſco glorioſæ militiæ meæ ſigna.* Morienti Angeli, imò Chriſtus præſtò fuit. Certè ſuprema verba BAVONIS illa

feruntur : *Christo adventanti quid ni obviàm exis anima? Ex Surio.*

Si in nobis venenum avaritiæ se diffundit, Christum crucifixum consideremus, & sanat; si scorpio nos libidinis compungit, ipsum rogemus, & curat; si terrenarum cogitationum nos morsus lacerant, eumdem precemur, & vivimus: hi enim sunt spirituales serpentes, propter quos conculcandos Dominus crucifixus est. S. Max. de Pass. Serm. 1.

B. FRANCISCUS BORGIA CONF.
1. *Octobris.*

NOn priùs FRANCISCVS patrem aut matrem quàm JESVM & MARIAM balbutiens salutavit. Puer vel facientem vel dicentem Sacerdotem æmulatus est. Juvenis gynæceum non nisi cilicio armatus adiit, reputans se toties hosti loqui, quoties feminæ. Jam Gandiæ Dux & Gothalaniæ Prorex, pervetustum familiæ morem annuum patronum sortiendi in menstruum vertit, eumque in Societatem posteà, & Marianos cœtus invexit; ipse tunc patroni die pauperes mensæ suæ minister adhibuit. At verò cùm illud formæ miraculum (Isabellam Augustam) in sandapilâ attentiùs considerasset, honorum titulos ut certissima mortis spolia ultrò abjecit, & in Societatem JESV (cui universæ deinde præfuit) se abdidit, dicere abhinc solitus, tum vivere se cœpisse, cùm desiisset Isabella. Corpus tam durè habuit, ut duplicari jam & indumenta & cutis possent. Ad Purpuram non semel oblatam tam erubuit, ut alii ad hujus repulsam solent. MARIÆ, quam D. Lucas depinxit, effigiem primus æri incisam spargi per omnem orbem curavit. Hanc cùm aspiciebat. *Mihi*, ajebat, *Virgo*

Virgo hoc onus gestat, mihi lac MATRIS, *mihi* FILII *bullit sanguis.* In vitam suam inquisivit horis singulis, reum ad Sacerdotis pedes bis quotidie se egit, quin neque voce neque literis alium se quàm *Franciscum peccatorem* prætulit. Sed talem peccatorem anno M.DC.XXIV. Urbanus VIII. Pont. Beatum dixit. *Ex vitâ.*

Quis jam calcari recusabit, cùm videat in torculari Christum premi? sanè nisi fumum vani honoris atque existimationis propriæ proculcaverimus, facilè ab hostibus nostris conculcabimur, & Christi discipuli esse desinemus. B. Franc. Borg. in Epist.

S. LEODEGARIUS EP. M. 2. *Octobris.*

NEmo pulchriùs in hostem suum, quàm Pont. Augustodunensis LEODEGARIVS movit, ut qui huic cum sacris è templo signis obvius ivit, victoriam ratus sub his vinci. Captus itaque, tunc demùm Christianâ se libertate potitum credidit. Carcerum tenebris abditus, igne è cælo misso resplenduit. Oculis orbatus, primùm Martyrem se esse vidit. Nudipes per testas & aspera saxorum fragmina jussus ambulare, currere etiam ad tam optatam metam gestiit. Labiis & linguâ multatus, sine labiis tamen & linguâ facundus ad concionem dixit. Cæsus denique securi, in novos animos surrexit, horamque totam victor post mortem stetit, nec nisi à spiculatore impulsus cecidit. At non tam felici morte cædis auctores defuncti sunt. Nam & carnifex, de quo dixeramus, à malo genio correptus in vindices flammas se ipsum immisit, mox in majores alias mittendus; &, qui cædem imperaverat, Ebroinus Regiæ aulæ præfectus, gladio, quem in innocentem strinxerat,

ipse nocens occubuit; & demùm, qui tumulum Martyris impiè calcavit, Divumque sine miraculis injuriosè compellavit, in ipso vestigio, moriendo mendacem se fassus est, & jam miracula patrare LEODEGARIVM si non aliis, certè sibi credit. *Ex Surio.*

Adsunt defensores nostri sancti Martyres; rogari volunt, & quærunt ut quærantur. Hos adjutores nostris orationibus quæramus; hos protectores nostri reatus inveniamus; quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui judicat. S.Greg.hom.32.

S. JOANNES CHUZUBITA CONF.
3.Octobris.

NOn aliud altiùs in hostem infernum vulnus descendit, quàm quod à demissi animi dextrâ venit. Miserat ad JOANNEM CHVZVBITAM Anachoreten alter Anachoretes Ananias nescio quem à malo genio infessum. Hunc vix ita noster compellavit: (Eia cedere, impure, te hospitio non tuo, non ego sed Ananias jubet) cùm verba hæc plena animi demissioris jam dudum exosus fugit ocyùs hostis superbus. Et pepererat fama miraculi hujus JOANNI Pontificatum Cæsarienſem. Ille tamen mox iterum urbem cum silvis suis mutavit, ingens onus insulam se abjecisse existimans. Secutus Divum rusticellus filium itidem ab orco agitatum in sportâ è tecto suspendit, & ecce arrogans iterum pulsus est inquilinus. Ergo igitur, ut ultum hic iret dolorem suum, JOANNEM præcipitem è monte egit. Sed qui caderet humi semper repens animus? risit scilicet veteratorem altiùs longè olim cadentem. Porrò sub ultimos vitæ annos, cùm JOANNEM cupido cepisset, Martiani

viri

viri integerrimi visendi, nec tamen ob catenam, quâ se ipse ad carcerem suum beatum damnaverat, egredi antro posset; eodem tempore Martianus ipse inter famulas Cælitum manus delatus adfuit; quo abeunte, cùm animo suspicio præstigiarum suboriretur, altero miraculo ruptæ compedes facultatem dedêre specu prodeundi, iterumque Martiano loquendi. Ad extremum carnis etiam vincula exuit anno supra quingentesimum vigesimo secundo. *Ex Menæis.*

Antiquus hostis terrarum locis à tentatione non excluditur: quia si in Paradiso hominem stravit, quis locus extra Paradisum esse potest, in quo mentes hominum penetrare non valeat? In sola ergo Creatoris nostri protectione fidendum est. S. Greg. l. 8. Regist. c. 45.

S. FRANCISCUS CONF. 4. *Octobris.*

HIc vir, hic, FRANCISCVS est, sanctioris spes altera Romæ, & qui unà cum altero Atlante Dominico lapsurum orbem firmavit. Mercator adhuc fœnus facere etiam apud pauperes scivit, neque umquam pluris vendidit sua, quàm cùm gratis dedit. Evocatus in somno ad arma cruce insignita, cùm novam militiæ tesseram non agnosceret, ab ipso Crucifixo est edoctus. Ducem itaque nudum Christum secutus, primam pugnam (uti ferè amat fieri in hoc sacro bello) cum patre habuit. Et vicit avaritiem paternam, cùm non tantùm omnibus bonis, sed etiam vestibus se coram Antistite exuit, illis verbis hostem prosternens: *Patrem hactenus te dixeram: nunc denique nihil intercedit, quin verius dicam, Pater noster qui es in cælis.* Quis credat? Sic nudus tum denique armatum se probè credidit, & scriptis sociis orbem ex-

pugnavit:expugnatum, si agnoscimus,paupertate suâ ditavit. Porrò animi candorem in viro, scis Lector,nives probarunt,in quas se abjecit; & miratæ puritatem sunt undæ, quibus calorem improbum mersit. De animi ejus submissione quid dicam,& quo DEVM ardebat amore? Seraphinis à cælo sociatus, & in sede Angeli, quem superbia inde exturbârat,locandus,ultimum se mortalium, sed inter sceleratos principem dixit. Mariæ addictum fuisse ille non dubitabit, qui noverit, quæ gaudia in ejus æde (de Portiunculâ dixerunt)abstulit. Sed frustrà sum. Herculem ego in hâc digitali tabellâ non pingo. Vin' compendium lector viri? Totum Christum in Francisco videbis, si vulnera ejus inspicies. *Ex D. Bonav.*

O quàm glorioſum & magnum, habere in cælis Patrem! ô quàm ſanctum, Paraclitum pulchrum & amabilem habere ſponſum! ô quàm ſanctum & quantum delectabile, beneplacitum, humile, pacificum, dulce & amabile, habere talem Fratrem, qui poſuit animã ſuam pro ovibus ſuis? Ex Epist.S.Francisci.

S. THERESA V. 5.Octobris.

QUid,heu! quid cum prætextatis verbis tibi prætextata malè turba? disce,eia infantia rectè vel ab infante THERESA fari. *In æternum! in æternum! in æternum!* ah quoties balbutiens clamitavit! Nos scilicet puerilem senectam, non senem æternitatem in animo & linguâ gerimus, disertissimi infantes. At THERESA parvula cum parvulo fratre domo paternâ aufugit, ad Mauros abitura,& brevi morte longam æternitatem auspicatura. Vivere tamen Deus illam, & ut viveret, quæ ferè mors est liberorum, mori matrẽ voluit.

Illa

Illa Matrem vicariam cælo MARIAM advocavit, numquàm abhinc orba futura. MARIA porrò filiæ suæ sponsum Filium conciliavit, quando ex sanctioribus amoribus Seraphinus ales cor THERESÆ terebravit. Ipse amor hominum Christus, quò certiùs illam sauciaret, sua vulnera dilectæ impressit, occulta tamen, ut ferè solet amor. Adfuit deinde sæpè sponsæ, nunc cruce pro more chlamydatus, nunc spineâ, quæ illum maximè decet, corollâ ornatus, nunc qualis mortem triumphavit, conspicuus. Arrhæ ab eodem datæ gemmæ quaternæ & pendulæ è Rosario Cruci additæ, Dos verò omne cælum: cujus opes cùm quandoque THERESÆ CHRISTVS ostentasset, *Viden'*, ajebat, (tute tibi lector dictum puta) *quantis se bonis peccatores spolient?* Sed & veste nuptiali cùm Ordinem, quem Carmelitarum dicimus, restauraret, Virgo MATER & VIRGINIS SPONSVS JOSEPHVS cælo allatâ exornarunt, ut nihil jam ad nuptias deesset, nisi quæ facem præferret, anno MD.LXXXII. mors beata. *Ex vitâ.*

Prudenter sagittari, & impugnari salubriter postulat sanctus, cùm dicit in oratione, Confige timore tuo carnes meas: *Optima timor iste sagitta, qui conficit & interficit carnis desideria, ut spiritus salvus sit.* S. Bernard. serm. 29. in Cant.

S. MEINULPHUS C. 5. *Octobris.*

VIX MEINVLPHVS illa Christi verba audierat: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet,* cùm apud se constituit non solùm Christo locum in animo suo facere (ubi enim ille libentiùs nidularetur?) sed & templum ponere. Circumspicienti aream, de-

lapsa cælo in silvas lux & cervas inter crucem cornu præferens cervus signavit. Eo igitur in loco Deo & virginibus sacris domicilium, sibi tumulum struxit: cui cùm mortuus inferendus esset, ecce magnâ VIRGINE volente, tam diu vitæ restitutus est, dum res templi & cœnobii componeret. Multò pòst apertus suâ sponte tumulus cymbalum ostendit, quo divus in sacris Minister uti solitus erat. Hoc deinceps, quoties virgo ex asceterio moritura erat, sonitu suo mortis insidias detexit. Ipse Divus bis visus in somnis, bis è vitiorum veterno excitare clientem, qui à cubiculis illi fuerat, laboravit. Sed ille in utramque aurem dormivit. Ergò tertiùm adest, & multis objurgans, quòd mortis æternæ reus dormiret tam altùm, visionis non vanæ argumenta vaticinatur. Hîc demum experrectus alter, & barbam sibi evulsam sentiens, credere monenti, resipiscere, ad templum MEINVLPHI properare: & cùm illic rudis antè, & nec primis literis tinctus, subitò Latinę linguæ peritiam accepisset, aræ ministris vel ideò se faciliùs sociare, quòd attonsus jam à somno esset. *Ex Surio.*

Cur non consideras, quia mundus in fine est? omnia urgentur; quotidie ad reddendas rationes æterno & tremendo Iudici ducimur; quid ergo aliud nisi de adventu illius cogitare debemus? qui sive nolentes, sive volentes, per momenta, quotidie ad finem tendimus. S. Gregor. in Regist. l. 6.

S. BRUNO CONF. 6. Octobris.

QUo tempore D. BRVNO Lutetiæ Parisiorum ingenium bonis artibus excoluit, vir è vitâ excessit princeps inter literatos, quique virtutis existima-

existimationem longè maximam post se reliquit. Sed eheu! quantum aberratis mali judices hominum oculi! Dum justa persolvuntur, ad illam canentis vocem: *Responde mihi*, ecce tibi è capulo se defunctus tollit, & cum gemitu, *Iusto*, inquit, *Dei judicio accusatus sum*; mox postridie, *Iusto*, exclamat, *Dei judicio judicatus sum*; demùm tertio die tertium è feretro fulmen auditur, *Iusto Dei judicio condemnatus sum*. Enimverò plus quàm tragica hęc catastrophe omnes movit; at BRVNONEM eò permovit, ut non modò umbram hanc hominis, sed ipsos etiam homines fugeret. Atque hinc illa sanctissimi viri & omnium, qui ducem hunc sequuntur, frequens in silvas fuga, hinc illud in omnibus lugubre silentium, ille pallidus in vultu color, ut interfuisse tristi spectaculo in BRVNONE omnes posteros credas. Sed benè morum candidissimorum cygni homines fugiunt cum Superis acturi: benè nunc tacent, cantaturi tunc, cùm flebunt alii morituri. Jam ipsa *Dei Mater* æternam illis tutelam adpromisit, si illi, quod diurnum VIRGINIS officium dicimus, quotidiè persolvant. Pulchra profectò conditio, & quam meritò ambiant tam pulchrè candidati. Quid illud, quòd Numen fugam è mundo BRVNONIS sociorumq; sex, totidem S. Hugoni stellis significavit? Nempe, numerum stellarum augent, quotquot ad BRVNONIS partes accedunt. *Ex Surio.*

In omnibus rebus respice finem, & qualiter ante districtum stabis Iudicem, cui nihil est occultum, qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit, sed quod justum est judicabit. Thom. de Kemp. lib. 1. de Imitat. Christi.

S. MARIA DE VICTORIA. 7.Octobris.

IO! hodie, io! clama, triumphe! quisquis VIRGINI faves VICTRICI. Agebatur annus post VIRGINEM parientem supra millesimum & quingentesimũ septuagesimus primus, quando Pius V. Pont. Max. contra Turcarum vim metumque belli societatem cum Hispaniarum Rege & Venetorum Republicâ feliciter iniit. Adornata itaq; classis est, & Joanne Austrio duce hosti plenis velis ac animis obviàm est itum. Mox nostris triduano jejunio & Sacramentis Ecclesiæ probè munitis, classicum DEI & MARIÆ nomen cecinere. tunc verò omnibus viribus certatum est, eo ipso tempore, quo, quas Rosarii vocant Sodalitates, de more supplicationes ad castissima VIRGINIS puluinaria per totum orbem instituunt. Nec frustrà. Stetit nostrâ ex parte ACIES ORDINATA, & cum hâc nobis etiam venti militarunt. Proinde horarũ quatuor nec ampliùs spatio parta memorabilis ad posteros victoria est. Cęsa etenim cum ipso duce suo barbarorum millia triginta, in libertatem Christiani asserti ter mille, quadringenti octoginta & sex. Naves captæ nonaginta supra centum. Octoginta vel flammis vel undis haustæ, fugâ non nisi XX. elapsis. Tormenta in prædam cessere majora sedecim supra centum, minora verò ducenta, quinquaginta & sex. Atque hoc est, quod Opt. Pont. de victoriâ divinitùs edoctus triumphũ VIRGINI decrevit, quotannis iterandum, quodque non pauci è victore exercitu hostilia spolia ex voto ad Aram Lauretanam suspenderint. Fatale nimirũ LVNÆ est ad VIRGINIS pedes abjici. *Ex Io. Gab. in vitâ Pii V. & Pet. Spin.*

Oportet

Oportet inter fluctus sæculi confugere ad Mariam, & respectu exempli ejus cursum vitæ dirigere : quod qui fecerit, non jactabitur vanæ gloriæ vento, nec frangetur scopulis adversorum, nec absorbebitur voragine voluptatum, sed prosperè ad æternæ quietis portum veniet. S. Epiph. in Panar.

S. GEROLDUS M. 7. Octobris.

GEROLDVS à puero pietatem ducem secutus facilè ad ipsa adyta virtutis penetravit, multas tamen identidem pro castitate pugnas pugnavit, vincendus, nisi aliis armis, quàm nunc amat adolescentia, usus fuisset. Nimirum hodie nativâ in galeâ suâ tam molliter cristata frons ictus Cupidinis eludet ? in thorace tam vulnerato non minùs lacer animus tela improba repellet ? tot vincula etsi serica, vincula tamen, fugam in hâc luctâ tam laudatam promovebunt scilicet ? Aliter GEROLDVS noster pugnavit. Ille fame hostem obsidere, ille animum precibus, pectus cilicio, manum flagello obarmare, toties victor, quoties cæsus, & aversis vulneribus nobilior, quàm adversis Romanus : quæ ille tunc potissimùm non horruit, cùm inter pias commentationes cæsum Ducem ob oculos Christum posuit. Has victorias cùm per Hispanias & Italias circumtulisset, jamque Palęstinam etiam meditaretur, militem suum Superi ad triumphum evocarunt. Etenim cùm pagum Cremonæ vicinum transiret, latrones duo, quò in insidias pertraherent GEROLDVM, litem ex composito adsimularunt. Hic nempe, quò digladiantes dirimeret, illicò accurrit. At illi jam dudum in mortem innocentis amici caduceatorẽ suum multis plagis confecerunt, interque

silvas abdiderunt. Sed excivit urbem urbisque Pontificem æs campanum suâ sponte sonans, & ut Martyr faciliùs reperiretur, prodigiosa lumina cælum accendit. *Ex Ferrar.*

Mentem tuam supernæ patriæ amor accendat, præmia mansura solicitent; & ad venturi Iudicis promissiones semper aspiret, atque ex temporalibus æterna mercetur. S.Gregor.Regist.l.7.c.14.

S. OSITHA VIRGO. 7.*Octobris.*

QUantum, ô parentes, educatio præstat! quantum, ô liberi, quibuscum vitam à teneris societis, interest! OSITHA regii sanguinis in Angliâ puellâ in Parthenone non profano, sed sacro educta, quantum splendoris coronæ Anglicæ conciliavit! Et verò jam tunc prodidit cælum, quàm curæ illi sit juventus probè instituta, & majoribus suis morigera. Missa OSITHA cum libro trans pontem, & turbine ab hoc dejecta, undis hausta credebatur. sed Angelorum præsidio, tertio die prodiit numquam mergenda innocentia. Sub hæc in thori societatem à rege Sigero invitatur. Sed dum rex venatur feras, virgo ut Cupidinis retia effugeret, binos Episcopos advocat, & ab his velata in Christi nuptarũ numerum transit. Indoluit rex; sed quòd Deo nollet rivalis esse, potestatem fecit è suo thalamo, in Christi, hoc est cœnobiũ, transeundi. In hoc ne regiæ sponsæ purpura deesset, ferro à Danis pro fide cæditur. Memoratur verò funus suis non alienis pedibus ambulasse, & caput abscissum ad usque templum extulisse, atque ibi demum, cùm manibus templi januam pulsasset, placidè procubuisse. Fuit etiam qui morbo ad extrema deductus OSITHAM in vota vocavit,

vocavit, vovitque ne moreretur, in Religioso cœtu se victurū. Convaluit: sed soteria solvere oblitus vindicem morbum secundum sensit, nec priùs manum iterum OSITHÆ medicam, quàm objurgatus ab hâc fidem liberaturum se spopondit. Itaque bis voti damnatus templo & cœnobio anathema, se, dedit. *Ex Surio.*

Vide ne promissum tuum irritum facias, neque fidei tuæ vota disrumpas. Habebis profecto accusatores prævaricationis tuæ; habebis veridicos testes testificantes adversum te; habebis judicem, qui nullius personam accipit in suæ executione sententiæ. S. Laur. Just. de Cont. mundi c. 19.

S. PELAGIA POENITENS.
8. *Octobris.*

VIxit PELAGIA Antiochiæ sub Theodosii Minoris tempora, ob formæ venustatem corporisque cultum non jam Veneris serva, sed ipsa Venus habita, pudor urbis, & castitatis ipsissima pernicies. Quis credat? quæ oculis captivam post se urbem trahebat, in hanc obtutum defixisse D. Nonno Antistiti etiam profuit. Quid enim? (exclamabat post visum hoc elegantiæ idolum ille) quo demum studio, quo sive temporis dispendio, sive impendio sumptuum, hæc faciem comit pingitque? & hoc cur? quò nempe oculis amantium arrideat, cælo lacrimante. Animæ interim meæ, quam, ausim dicere, DEVS deperit, quis splendor? nempe ad hanc infamiam collata, Æthiopissa es anima. Ite & sordes meas, cheu! lacrimæ lavate. Hæc Nonnus. At PELAGIA, spectante & mirante urbe, ad pedes ejus descendit, & vitæ licentiam sancto fletu gemituque teste

ejurat. Mox jejuniis & vigiliis corpus defluere, vultum non jam gratiæ; sed pallor, squalor, maciesque insidere, nihil jam in totâ fronte rubere, præter præteritorum memoriam. Nempe obstrepere hîc Veneris puer, desertum se fide non bonâ queri, formam se, opes, amores dedisse: ipsam probra, contemptum, odiumq; ingratam rependere. Sed virum scilicet invenit. Nam sparso omni in egenos auro, laqueos amantium, capillos rescidit, feminam cum veste exuit, Pelagium se dixit, vitæque reliquum Hierosolymis inter summas vitæ asperitates egit, in illo monte, qui ab olivetis nomen habet, ab ipso Christo dudum edocta, ad cælum illinc ascendit. *Ex Surio.*

Quidquid animo ex præsenti sæculo arridet, ex consideratione æterni ignis amarescat; quidquid in mente pueriliter hilarescit, disciplinæ censura coërceat, ut, dum sponte temporalia fugimus, æterna gaudia sine labore capiamus. S. Greg.

S. DIONYSIUS AREOPAGITA.

9. Octobris.

IS est DIONYSIVS, cui nomen Areopagus fecit, vir inter Athenienses eximiè doctus, & siderum contemplationi addictus. Quare eo tempore, quo omnis natura morientem Christum lugebat, exclamasse fertur, *aut Deum laborare, aut mundum ruinam meditari.* A Paulo deinde CHRISTO additus, præesse novitio Christianorum gregi Athenis jussus est. Ajunt cum Apostolis abeunti in cælos VIRGINI adfuisse. Certè eam vidisse, aspectuq; tam augusto attonitus, ingenuè scribitur affirmasse, pro Deo hanc habiturum se fuisse, ni fides DEI matrem esse suggessisset. Paulo etiam com-

commori cupidus Romam advolavit. Sed prævertit Neronis crudelitas, qui ſpem tantam in Paulo priùs decollavit. Galliam ergo cùm juſſu Clementis Pont. adiiſſet, annos numerans X. ſupra centum, vincula primò tulit, tum verbera; utraque Chriſtianâ fortitudine. Exinde ferreo, cui flammæ ſubjectæ erant, lectulo incubuit; ſed ſuaviora numquam ſomnia de cælo, quàm tunc vidit. Ita ſemiuſtulatus feris objectus eſt, ſed has etiam virtus demulſit. Iterum in flammas miſſus, aurum exivit. Pòſt in crucem actus, cruce ſcilicet gravius habuit deponi è cruce. Ad extremum cùm ſacrificantem in carcere CHRISTVS ſpectabilis animaſſet, non minùs mortis D. Pauli, quàm vitæ æmulus, gladio occubuit. Illud memoratu dignum, quòd abſciſſum caput inter Angelorum accinentium comitatus, ſuis ipſe manibus paſſus bis mille ad deſtinatum tumulum portaverit, novo miraculo & funus idem & funeris ductor. *Ex Hilduino & opere Marian. Caniſ.*

Crucifixum intueamur, ut à peccato ſanemur: quomodo qui intuebantur ſerpentem æneum in deſerto, non peribant morſibus ſerpentum: ſic qui intuentur fide Chriſti mortem, ſanantur à morſibus peccatorum. S. Auguſt. in Joan.

S. THEOPHILUS CONF. 10. *Octobris.*

HUc oculos & filii & parentes! Speculum commune utriſque hodie THEOPHILVS eſto. Trimulum & ſacris undis ablutum parentes pii ad Stephanum Eremi incolam abduxerunt, precibus Deo jam-tum initiandum. Nimirum adhuc pueritiam immaturam cælo credemus? Tertio decimo ætatis anno necdum exacto, ſub Stephani

phani vultu feliciter THEOPHILVM Angelus bonus fallens ad mundi contemptum illis verbis pellexit: *Tolle crucem tuam, & sequere me.* Et hodie ad eumdem invitare hominem homini non licebit? non licebit Angelum æmulari? Jam non ignavus THEOPHILVS, etiam inconsultis parentibus, ad Stephanum, inde ad monachos abiit. Atqui nostro ævo (ô tempora!) facinus est culeo dignum, parentes tam piè fallere, & facere quod laudata toties olim antiquitas, quod ipse puer CHRISTVS fecit. Huc itaque, eia! iterùm oculos, hoc in speculo (THEOPHILO nostro) maculas vestras & filii & parentes corrigite. Correxêre certè THEOPHILI parentes, & rectiùs sapere edocti, quò mundum fugienti alas adderent, ipsi cœnobium filio struxerunt; factumque hoc cælum probavit, cùm suâ voce filium illuc evocavit. Inde vi extractus, multaque sub sacrarum imaginum hoste Leone passus, sed ad extremum dimissus, nil magis doluit, quàm ereptam sibi, quam manu jam jam prehenderat, martyrii palmam: quamquàm neque hanc illi negasse Superos existimo. Magnum enim longumque oppidò martyrium est, mundo mori. *Ex Menæis.*

Reduc ad animum prosperitates temporum, multitudinem hominum, dignitatum pompas, divitiarum abundantiam. Attende hæc omnia, ubi vel quid facta sunt: & ex hoc pensa, quòd nulla sint, & quia qui ista diligit, somnium vigilans videt. S. Greg. l. 7. Regist.

S. JOANNES CONF. 10. Octobris.

JOANNIS inter literas etiamnum in Academiâ Oxonienſi agentis animum ſi inſpexiſſes, templum muſarum, ſed multò magis virtutum dixiſſes:

ses: ita utraſque pulcherrimo connubio in pectore ſuo ſociavit. Ne verò cum ſcientiis ſuis in carne & ſanguine volutaretur, anno ætatis vigeſimo D. Auguſtini inſtitutum amplexatus eſt in Bridlingtonienſi cœnobio, in quo cùm omnibus ſe poſtponeret, omnibus denique præpoſitus eſt, factumque hoc tam lubentibus aliis, quàm uno ipſo invito. Tam modeſtè tamen imperium uſurpavit, uti aperta unius è ſuis convitia non niſi ſilentio refelleret, monituſque ut læſam auctoritatem vindicaret, præſtare diceret, iratis flammis demere quàm addere oleum. Triclinium illi cum aliis idem, eadem menſa; in menſâ tamen major abſtinentia fuit. Amoris divini æſtu tam ardebat, ut, cùm ſacrificaret, veſtes, quibus hieme alii ſe contra frigus armabant, ille tunc poneret, & flammas pectoris loqueretur frequens multuſque vapor è capite palàm aſſurgens. Ipſe corpore præſens ad aram, animo intereà cælum obambulabat, incendio ita paulatim creſcente, ut oculi lacrimis non jam fluere, ſed toti liqueſcere viderentur. Denique ne dubites JOANNEM in cælum evolaſſe, noveris ante mortem hunc virgini è Veſtalibus uni formâ aquilæ viſum eſſe, quæ nubes tranſcendens illa è ſchedâ, quam roſtro ferebat, verba loquebatur: *Amor meus* JESVS. Evolare ad cælos etiam tu cupis? ab hoc amore alas mutuare, non illo qui humi repit. *Ex Surio.*

Quid tibi cum carne & ſanguine, qui divinam in te geſtus imaginem? quid tibi cum mundo & vitiis, qui ad hoc conditus eſſe probaris, ut cælum conſcendas, atque cum angelicis ſpiritibus beatâ Dei viſione fruaris? S. Laur. Juſtin. de Cont. mundi, c. 21.

S. BRU-

S. BRUNO EP. C. 11. Octobris.

FUit hic Bruno Henrici Aucupis German. Regis fil. Othonis I. Imp. frater. Scientias divinas juxtà & humanas calluit, sed eloquentiam inprimis, quam pro miseris potissimùm exeruit, ut quorum semper bona causa est. Temporis avarus nullum nisi literarum otium amavit, ut quocumque demum cum Imper. Fr. iret; famuli libri sequerentur, suavissimè iter inter comites Musas facientem. Comitate uti ipse singulari erat, ita morum levitatem in aliis summè oderat. Quare cùm Henricum Fr. & affinem Cunonem sub divinis confabulantes vidisset, palàm edixit, intempestivam illam familiaritatem seminarium fore maximarum inimicitiarum; id quod posteà orbis vidit. O Censorem debitum nostro ævo, quo templa passim aut fora fieri aut curias videmus, & ex his exire sæpè, qui plurima hominibus, nihil DEO, nihil Divis sunt locuti! Sed mitto linguaces. Silentium potiùs in BRVNONE laudo & frugalitatem, quam Archiepiscopus jam Colonienſis (uti & in vestibus modestiam) in Canonicorum Collegium postliminiò reduxit, utinam non iterum nunc ubique ferè terrarum exulem! Ipse post maxima obita munia, post extructa aut reparata templa & cœnobia plurima, ut pacis amans, & pacis conciliandæ inter viros principes mirus artifex, excessit è vitâ, anno post DEVM hominem D.CCCC. LXV. cælum moriens multis lacrimis mollivit, & crebro gemitu, velut ariete, perrupit. *Ex Lippeloo.*

Esto Angelus, hoc est, divini minister imperii: obsequere mandatis Domini: cùm fueris Angelus, videbis

bis faciem Domini. Ipse Dominus JESVS *ait*, Beati mundo corde: ipsi enim Deum videbunt. *Advertis, quid à te exigatur ut videas Deum? Emunda igitur cor tuum.* S.Ambr.in Ps.118.

B. JACOBUS ALEMANNUS CONF.
11.*Octobris*.

FElix, (si quidem norit hodie bona sua) Ulma Suevorum JACOBVM nostrum peperit,& probè educatum Romam ad DD.Apostolorum limina supplicem misit. Româ Neapolim hic abiit,& ab Alphonso rege militiæ adscriptus, nullum hostem quàm prædam fugit. Quare illa demum castra placuêre, quæ non aliena raperent, sed suis se spoliarent: id quod ipse etiam fecit, cùm Bononiæ ad D.Dominici signa transiit.Hìc ille boni militis partes omnes implere,primus semper ad ducis nutum,portarum animi,oculorum inquam,vigilantissimus custos, & flammas hostiles casto animo injectas suffocare illicò doctus,sanguinis recordatione à Christo fusi. Jam arma (preces)numquam posuit, primo mane omnes Divorum aras veluti stationes militares obiens & semper à castrorum acie Virgine auspicium sumens.Quid jam mirum, si miles noster dæmones fustibus pugnantes risit, præsertim quando cum pugnante, Angeli visi pugnare? si Cyclopem infernum sibi infestum cruce prostravit,& eâdem corvorum Stygiorum agmen fugavit? Quid? quòd & insidias structas Reipublicæ ab orco detexit. Ad D.enim Antonii tumulum cùm lætantes dæmones spectasset, & triumphum adornantes ob futuram altero die inter cives cædem,medius preces suas interposuit, & civibus pacem, orco pro triumpho luctum peperit.

Fuit

Fuit cùm ad hortos Elysios avolans ea oculorum spectacula habuit auriumque illecebras, ut irasceretur illis, qui eum avocarunt. Ne igitur quisquam molestiam revocando faceret, morte illuc non rediturus abiit. *Ex Surio.*

Quisquis es, qui divini luminis illustraris splendore, sentisq; ad contemptum mundi provehi, à Domino præstitum noli tibi spernere donum, noli obsurdescere aperire pulsanti. Surge ocyùs, & te volenti erigere manum porrige. S. Laur. Just. de Cont. mund. c. 19.

S. MAXIMILIANUS EP. M. 12. Octobris.

MAXIMILIANVM, quo cive Pannonia, Austria patrono gloriatur, parentes nobiles Celeiæ genuerunt, lactarunt Gratiæ, Musæ eduxerunt. Talis, inquam, MAXIMILIANVS dignus cælo visus est, quem in suas partes pertraheret; & verò facilè ille obsecundans meliora suadenti, hereditate suâ (quæ opulenta ei erat) ultrò egenis cessit, divitem se ratus, si centuplo amplius liceret sperare. Jam honoris etiam umbram cùm fugeret, insecuta tamen hęc virtutem, Laureaci mitrâ sibi devinxit, & in solium renuentem extulit. Hoc deinde cùm furiæ Decianæ deturbassent, Romam abiit; mox tamen Xysto II. Pont. Max. auctore rediit, & viginti ipsos annos munere suo cum summâ laude est functus. Sub hæc in mentem venit, patriis etiam terris operam suam locare. Et forte Evilasius illic Prætor Christianam pietatem oppugnatum ibat. Tanto ampliùs festinandum sibi ratus illicò advolavit, & suppetias laborantibus in tempore tulit. Sed dum in primâ fronte acriùs pugnat, inter primos gladio cadit. Post hanc tamen tam nobilem Hostiam propitia victoria semper post-

eà

eà cum Christianis stetit. Diceres suum etiam Pannoniæ Decium obtigisse. *Ex Bruschio.*

Quid prodest quemlibet hodie auro, gemmis & purpurâ contegi, si cras contingat eum nudum & reum ad inferni supplicia pertrahi? Quid juvat, si quis hodie terram faciat sub pedibus suis tremere, & cras mēdicus & pauper de hoc mundo compellatur exire? S.P.Dam. l.7.ep.15.

S. COLMANNUS MART. 13. Octobris.

COLMANNVM Regii sanguinis juvenem & juventæ ævo suo facilè principem genuit & educavit Scotia, hospitem Bojaria vidit & Austria. Habuit tamen hæc hostiliter potiùs quàm hospitaliter. Etenim quòd genus & virtutem, sub peregrino dissimulasset, jussisque valere & patriâ & opibus patriæ, sacram Hierosolymæ urbem in votis haberet, diu jam dæmoni malo ægrè faciebat. Hic igitur contrà ægrè COLMANNO facturus id machinatur, ut innocentia sub proditoris nomine accusetur. Capitur, carceri datur, torquetur, uritur, laceratur, damnatur, & ex aridâ arbore ipse flos juventutis suspenditur. Hic demùm pro innocente crebra miracula perorant. Et integritatem animi sesquiannum sub dio pendèns integrum corpusculum loquitur. Meruisse canos crescentes capilli & ungues testantur; clamat sanguis è vulnere numquam non recens. ipsa, quam emortuam diximus, arbor in frondes suas reviviscens non debuisse mori COLMANNVM ait. Tot testibus tandem convicta Austria vertit sententiam, absolvit COLMANNVM, & se damnavit. Sed & hic tot honoribus pòst, quot suppliciis antè mactatus

Au-

Auſtriam jam abſolvit. *Ex Ditmaro, Stabio, & VV. Lazio.*

Quid prodeſt, ſi homines laudent, & conſcientia accuſet? aut quæ debet eſſe triſtitia, ſi omnes accuſent, & ſola conſcientia nos liberos demonſtret? ſi nobis eſt teſtis in cælo, teſtis in corde, dimitte ſtultos foris loqui quod volunt. S. Greg. l. 8. Regiſtr. c. 45.

S. FORTUNATUS EP. 14. *Octobris.*

FAcilè orco imperat, quiſquis peccato non ſervit. Inter teſtes longè plurimos etiam FORTVNATVM numero Tudertinum Epiſcopum, qui totas legiones dæmonum ex hominibus non ſemel unus fugavit. Sed nocuit pænè fugiendo orci ſatelles. Nempe pulſus ſub noctem urbem obambulat hominis vultum mentitus, rem indignam clamat factam ab Epiſcopo FORTVNATO; peregrinum ſe hoſpitio ab eo ejectum, cujus munus eſſet etiam invitare verecundantem. quam nunc virtutem habitare ſub tecto Pontificis cives crederent, unde hoſpitalitas exularet? Audiit hæc neſcio quis, & non tam miſericordiâ motus quàm invidiâ, quam facere FORTVNATO volebat, domo excipit, cæli ſcilicet exulem. Sed malus hoſpes non minùs malam ſymbolam reliquit, abienſque hoſpitis filio in ignes conjecto animam eliſit. Tum denique infidam hoſpitalitatis teſſeram pater damnavit. Sed quàm cordi FORTVNATO juventus fuerit, audi. Gothus prædam agebat nobilem, adoleſcentes geminos. Pontifex cùm nec precibus hos nec pretio redimere poſſet, malum vaticinatus eſt militi, quod illi equus dedit, cùm lapſus coxam ſeſſoris fregit. Hoc malo multatus Gothus ultrò jam FORTVNATO pueros remiſit; ſed

non

non gratis. Nam remisit Pont. sanitatem, ingens ægro pretium. *Ex D. Gregorii Dialogis.*

Adverte, quæso, si mundum diligis, si in illo conversaris, in quanto discrimine vivas. quocunque te vertes, concupiscentiæ ignem accensum invenies: quem si copulari permiseris tuo, uret te, & in favillam rediget. Fuge igitur ad montana cum Loth, & salvaberis. S. Laur. Just. de Cont. mund. c. 19.

S. DOMINICUS LORICATUS C.
14. Octobris.

AUdite, qui aras, calices, infulas vel venditis, vel emitis. DOMINICVS à primis annis aris & ipse admotus, tandem sacerdotio initiatus est. Verùm quòd eos honores nescio quo dono (pellis credo caprina erat) parens filio mercatus esset, detestatus hic impia munera, adeoque jam se etiam, longè fugere statuit partas malè dignitates, & paternum facinus in se vindicare. Ad hoc commodissima visa est solitudo, & in hâc virorum societas, qui austeram cum primis rationem vivendi sequebantur. Nempe his unum totâ ferè vitâ jejunium, deliciæ die Solis Jovisque pultes, cibus per reliquam hebdomadem solus panis erat. Nam de potu quid dicam? aquam lacrimis miscebant. Jam loqui semel in septimanâ, dabatur, cædere verò flagris sæpiùs in die se, sæpiùs cædi ab aliis mos receptus jam fuerat. Hæc omnibus tunc communia, at DOMINICO nostro peculiaria illa ajunt: nudam carnem loricâ ferreâ onerare, itaque in vigiliis sanctis noctes dies perstare; tum bis quotidie Regii Vatis carmina cantando decurrere, manu interim utrâque virgis armatâ mensuram imperante. Durum, ais, est nimis sic vivere. At sic vivendo

vir-

virgo vixit DOMINICVS, & ut tales vos vivatis, Sodales Parthenii, testamento arma vobis sua legavit. *Ex Lippeloo.*

Optimè pœnitet, qui dum carnem verberibus mactat, lucrum, quod delectatione carnis amiserat, afflictionibus recompensat, & salubrem illi nunc amaritudinem ingerit, cujus olim noxiâ delectatione peccavit. S.P.Dam. l.5.epist.8.

S. HEDWIGIS DUCISSA. 15.Octobris.

IN regium te gynæceum introducimus. tamen terreare, si ad limina pauperes excubent: HEDWIGIS intus habitat, quæ ex illustri Andecensium Comitum & Tyrolensium stirpe Henrico Polonorum Duci nupta, primos annos liberis procreandis, reliquum deinde vitæ tempus, non invito conjuge, castitati dedit, maluitque à pauperum jam turbâ, quàm Regum mater dici. Ex illis tredecim quotdiebus mensæ adhibuit, flexo poplite in iis Christum ac duodenos Apostolos adorans. Ajunt multos ex [illegible], impositâ capiti VIRGINIS MAGNÆ icunculâ, valetudini restitutos ab HEDWIGE. Certè inventam VIRGINIS effigiem multis ab obitu annis inter digitos tres primores eosque integros asseverant, magno sive HEDWIGIS in VIRGINEM, sive VIRGINIS in HEDWIGIM voluntatis testimonio. Porrò tam dura sibi, quàm benigna aliis, pedes ferè nudos etiam hyberno tempore circumferebat, indormiebat asseribus, corpusculum & ipsa verberabat, &, quod pauci volunt, verberari ab aliis volebat. Sacerdotibus, quotquot denique faciebant, quotidiè omnibus assistebat, nullas alias voluptates umquam sectata, quàm quæ preces inter animum demulcebant: qua-

quarum quidem ingens argumentum fuêre nunc prodigiosus in vultu splendor, nunc cum animo suo in aërem etiam corpus abreptum. Et fuit, cùm sic precanti è cruce benè ultro Christus prēcaretur, & rata omnia vota ejus haberet. Horum scilicet compendium cælum erat, quod ingressa est HEDWIGIS inter Theclæ & Catharinæ aliarumque Virginum comitatum, ut & tunc Principem crederes. *Ex Surio.*

Qui ad cæleſtes nuptias firmæ ſpei gradibus feſtinas, non parvam partem ſubſtantiæ in tuto loco repone: marſupium autem ſinus eſt pauperum, ſuſtentatio miſerorum. Hoc eſt fidele depoſitarium ſine ullo prorſus detrimento, quod ſuſceperat, redditurum. S. Pet. Dam. l. 8. epiſt. 14.

S. GALLUS ABB. 16. Octobris.

GALLVS ad Laci Brigantini incolas Columbano duce venit, quem in literis & pietate magistrum habuit. Hic permultis auctor fuit, damnatâ superstitione, ad Christi partes transeundi: ipse antra silvasque à colubris & lemuribus purgatas melior hospes cœpit incolere, commeatum sæpiùs cælo suppeditante. Et fortè preces Numini faciebat, cùm ursus adfuit pauperis cœnæ reliquias populaturus. Sed jubet GALLVS lignum potiùs fur comportet, eoque focum foveat. Facit ille imperata, & in laboris stipendium panem capit. Tum Divus cum eodem ita paciscitur, communem uterque montem haberent, cæterùm nemini deinceps mortalium ursus noceret. Has inquam leges homo tulit, & sacrosanctas fera habuit. Vidit hoc & invidit orcus, omnique vi pellere GALLVM est aggressus. Sed facilè hic iterum

in fugam versipellem hostem egit, victor trophæum Crucis erexit, & præsidium sacra Divorum lipsana imposuit. Quin longiùs etiam hostem persecutus, pepulit è filiâ Ducis Gunzonis, quam insederat, Galliarum tum regis, sed Christi postea sponsâ. Et poterat in præmium accipere insulam Constantiensem, nisi hanc, quam tanti alii faciunt, nihili ille feciſſet. Itaque ad majora præmia, & GALLO digna, cælum evocavit. Ejus funus equi ferociſſimi sponte ad sepulturæ locum duxerunt. usque adeò nihil ferum in orbe est, quod virtus non domet. *Ex VValfrido Strabone apud Sur.*

Vtinam sapiamus ad præsentis vitæ moderationem! utinam intelligamus ad præteritæ correptionem! utinam devotâ in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus, ipso miserante, consummationem! S. Bern. serm. 2. de SS. Pet. & Paul.

S. ANDREAS M. 17. Octobris.

BEllo, quod sacris DEI Divorumque imaginibus barbarus Copronymi furor indixerat, multùm virtus ANDREÆ enituit: quippe qui sub ejus statim initia è Cretâ Constantinopolim advolavit linguâ & pectore propugnaturus pietatem. Et nimirum (clamabat ille in publico virtutis theatro) majores nostros, qui pulchram pro patriâ mortem oppetierunt, stantes in saxo, in ære, in auro suspicimus; at verò qui pulchriùs pro cælo sunt mortui, nullo honore dignabimur? Tibi homini, Copronyme, aureas poni statuas, & surgere cælo colossos spectabimus, neque impunè hos quisquam nostrûm jam violabit; tu verò cæli Imperatoris imagines, tu Imperatoris Matris magnæ, tu amicorum hujus gratis eversum ibis?

ibis ? quin etiam improbe illam ex animo tuo imaginem deles, quam suâ manu, cùm te finxit, Numen depinxit ? Sed quid ajo ? dudum hanc orcus deformavit, & suis te coloribus pinxit. Hoc unum audi. Aut fallor ego (imò non fallor) aut, si terræ filius bellum porrò cælis movere pergis, si sedibus suis Superos deturbare laboras, fulmen etiam tu senties. Erat hoc furiosum lacessere. Itaque flagra, taureas inclamat tyrannus: his lacerum in vincula, inde inter lapidum imbres ad infamem mortem raptari jubet. Sed ecce adest, qui ex itinere, amputato altero pede, Divum cælo transmittit; profuitque ad compendium viæ, pedem abjecisse. *Ex Surio & Menæis.*

Insipiens est, qui se à Paradisi gaudiis peregrinum esse non considerat, & se exulem in hoc exilio non attendit. Stultus est, qui licet ista cognoverit, liberari tamen à mundi miseriâ per vitæ meritum non intendit. Auctor Spec. peccat. tom. 9. S. Aug.

S. LUCAS EUANGELISTA.

18. *Octobris.*

LVCAM nobis Antiochia Syriæ peperit, educasse verò ipsæ in sinu suo Musæ videntur. Nam literis & Ægyptiis & Græcis omnibus excultus, arte insuper medicâ clarissimus habitus est. Sed nihil hæc omnia ad illa, quæ in Christi scholâ grandis discipulus didicit, sui Deique agnitionem. Fertur etiam socius Cleophæ fuisse in Emaus eunti, tũc cùm ambobus à morte CHRISTVS se comitem junxit, hospesque non asymbolus mensæ accubuit. Post hujus verò, quem in cælos duxit, triumphum, ubi in orbis partitionem cum cæteris Apostolis venit, sidus magno Paulo

in omni itinere, quin adeò in vinculis Achates, Christi primò vitam mortemque, tum, quæ Apostoli alii fortiter fecerunt, perscripsit. Abiit è vivis cùm annum ageret quartum supra centesimum, & tunc etiam memor medicum se esse, ægris vel è tumulo medicinam, oleum salutiferum propinavit. Illud pænè memoriam fugisset. Primus fuit LVCAS, qui MARIAM felici manu depingeret, in eâ tabellâ, quæ etiam hodie miraculis lucet, dignus profectò, cujus penicillū Mariani omnes imitentur, idem in animis faciendo, quod LVCAS in tabellâ fecit. *Ex tom.1. Baron.*

Recurramus ad innocentiam primitivæ Ecclesiæ, ut discamus & possessa relinquere, & in regiæ paupertatis simplicitate gaudere. Non nos à cælesti itinere carnalis illecebræ retrahat lenocinium, quibus per præcedentis Redemptoris introitum patet aula cælorum. Pet.Dam. serm.de S.Luca.

S. JUSTUS M. 18.*Octobris.*

DOmi cum parentibus JVSTVS puer, at in servitute frater Justinianus agebat. Igitur nec sinus jam matris, nec oscula patris arridebant JVSTO, quæ dividere cum germano non licebat. Multis proin lacrimis persuadet tandem patri, secum ereptum è servitute fratrem eat. Itur. Ambianum venitur. Hîc etsi JVSTVS fratrem numquam vidisset, inter multa tamen mancipia continuò agnoscit; indicium cognato intùs sanguine faciente. Sic dimidio sui jam auctior dum domum redit, à Ricciovaro equites adsunt. JVSTVS postquàm spelæo patrem fratremque abdidit, obvius it exploratoribus. Scilicet hi mortem intentant, nî comites prodat. Sed negat ille didicisse se pa-

parentes prodere ; id vel tum ostendisse, cùm caput pro libertate fratris objecisset. Dicenti hæc crudelior cæteris caput aufert. Sed ecce truncus Martyris suis ipse manibus hoc amplexatus humo attollit. Diffugiunt monstro perculsi equites, & ad tristem aspectum exclamat pater fraterque. Verùm solatur utrumque JVSTVS: nempe officium se filii fecisse, vitam, quam à patre accepisset, reddidisse. Demum caput suum offert, mandatque, matri ferant tumulandum. Id cùm factum est, tanto lumine ædes maternas complevit, ut sua etiam oculis cæcæ puellæ lux rediret, puto, ut qui in JVSTO illustre sive in fratrem sive patrem pietatis exemplum non videt, etiam cæcis minùs se videre videat. *Ex Surio.*

Si propter proximum Christus sanguinem effudit, quid magnum facis, si per exhortationem jacentem erigas? Quinimò, si periclitandum etiam fuerit pro salute alterius, non subterfugiamus. Nam id nobis salutis erit occasio, multamq; conciliabit fiduciam. S. Chrysost.

S. VARUS MART. 19. Octobris.

VIdit & persæpè laudavit Ægyptus VARI militis virtutem, sed numquam magis, quàm cùm in ipsum Imperatorem suum Maximianum pugnavit, sine perfidiâ, quia pro fide. Pugnæ verò occasio hæc fuit. Septemgemini Martyres è vinculis libertatem Christianam propugnabant. His dum VARVS inservit, ecce uni ex eorum numero cælum beatâ morte vacationem à militiâ donat. Sed ne numero suo fortissima cohors destitueretur, ultrò VARVS noster in demortui stationem succedit. Mox Christianæ fortitudinis ingentia documenta contra equuleum, scorpiones

& plumbatas edit, nec priùs è pugnâ quàm mortuus & victor abit, viâ ingenti & fortissimæ animæ per novaculâ discissum ventrem factâ. Corpus Martyris sepultum in canibus volebat tyrannus; sed Cleopatra nobilis matrona secum hoc in Palæstinam avexit, toto templo (quod illi posteà extruxit) tumulandum. Finem ubi ædificandi fecit, ausa mercedem à Martyre sperare, induxit in templum filium, petiitque, optima quæque illi VARVS à DEO impetraret. Mox alia omnia, quàm orasset fieri putavit, cùm mori filium sub oculis suis vidit. Tunc verò lacrimis mater & singultibus cælum accusare, VARVM ingratitudinis notare. Sed hic unà cum filio multâ gloriâ vestito, & coronato, visus Cleopatræ, docuit nihil petere filiis matres, nihil dare cælum posse beatius quàm mortem beatam. *Ex Surio.*

Certamen tuum non est leve, nec risu dignum. Angelos & Angelorum Dominum in luctâ, quæ tibi cum diabolo est, habes spectatores. Vincente te & adversarium prosternente plaudunt Angeli, & Deum laudant, qui tibi hostẽ vincendi dedit facultatem. S. Ephrem de pœnit.

S. ETBINUS CONF. 19. Octobris.

AXioma est à magistro CHRISTO dictatum, & receptum jam olim in Christianâ philosophiâ: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Indocti discipuli quàm pauci hoc intelligimus, quàm multi intelligere nos altùm dissimulamus! At vix hoc dici audierat ETHBINVS Scotus nobilis adolescens, cùm dicto etiam audiens opes egenis, se monasterio devovit. Ex hoc cum vitæ melioris magistro Winvaloco in agrum fortè egressus, in hominem offendit le-

prâ

prâ horridum. Quod avertere oculos potuisset delicatos, ETHBINI sociique invitavit etiam. Oritur pulchrum magistrum inter & tironem certamen. Hic brachiis stringere, & sinu miserum fovere, ille sordes & saniem velle officiosus à vultu abstergere, quin (quòd æger aliter nollet fieri) generosâ siti purulẽtam scabiem ebibere. Scio, horres hæc legere. Sed tunc facere hæc virtus non horruit. Et ecce, (ô Superi! ô amor, qui colludere homini DEVM facis!) dum saniem sperat Winvalocus, gemmam unicè pretiosam ore excipit, & mutatâ repentè rerum facie videt ETHBINVS in miseri fronte crucem rutilare, videt ab alto famulos Cælites advenire, & è manibus non jam leprosum, sed Christum abire, amicissimis verbis sua utrique præmia pollicentem. Et finierat fabula pulcherrima, cùm iterum lis sancta exorta est, utrius virtuti hanc DEVS dedisset. Post multa ita conventum est: ut silentio omnia involverentur. At frustrà agitis, ô Divi. gemma vos prodidit, & verò olim Christus prodet. *Ex Surio.*

Christus tibi contubernalis sit & convivd, imò Christus ipse tuæ sit deliciæ, ipse quotidianæ refectionis epulum, ipse tibi intimæ dulcedinis sit alimentum. Cum illo simul lege, cum illo jugiter psalle: cum illo lectulus te dormiturum capiat, cum eodem sopor inveniat. S. Pet. Dam. l. 7. epist. 6.

SS. CAPRASIUS & FIDES MM.

20. *Octobris.*

VT fidem sanguine suo firmaret CAPRASIVS, FIDES virgo suggessit. Nam cùm hæc anno post natum Servatorem trecentesimo tertio pro CHRISTO captiva in lassitudinem omnes jam car-

nifices dediſſet, & denique in craticulam abjecta eſſet lento igne crucianda; vidit è ſpecu ſuâ, quâ deliteſcebat, CAPRASIVS, manifeſtâ in luce columbam cælo adventare, quæ & rore aſperſo ardores temperaret, & ſerto longè pulcherrimo caput victricis coronaret. Puduit vinci à virgine, & latêre jam noluit, ſi talem ſe femina proderet. Abjectus proinde in preces oravit; ſi cælo placeret etiam virum in pugnam prodire, vellet, juberet, eo in loco fontem enaſci. ſanguinem ſe daturum, ſi aquam ſpelunca. Et dedit hæc aquam, ſed quæ CAPRASIO cruentam ſitim accendit. Hanc ut poneret, in urbem & in theatrum ad tyrannum properare, & jam palàm oſtendere, non fruſtrà tamdiu in pulvere privato exercuiſſe ſeſe; denique non modò inter omnia tormenta ſibi conſtare, ſed & longè plurimos alios in eamdem ſententiam pertrahere, quibuſcum omnibus capite ultimò truncatus effecit, ut exiguus aquæ fons in flumina ſanguinis excreſceret. *Ex Surio.*

Ad evitandas diabolicæ pugnæ moleſtias audenter aſſurgimus, ſi neceſſitatis vltimæ periculum providè pertractemus. Nam ſi repentinus ille atque terribilis adventus Chriſti perpenditur, quid erit in mũdo, ubi mens humana vel deſipiens delectetur? S.P.Dam.l.7.ep.19.

S. HILARION ABBAS. 21.*Octobris.*

MUltum puer HILARION in ludo literario, plus apud D.Antonium in religioſâ ſcholâ profecit. Itaque anno ætatis XV. cæleſti philoſophiâ jam plenus, jamque vates, pectora hominum inſpexit, abſentia & longè pòſt futura multò antè vidit. Mox magiſter etiam ipſe ſanctioris ſapientiæ, fidei dogmata multos, multos mundi contemptum

temptum edocuit. Asellum suum (ita corpus tamiliari convitio appellitabat) calcitrantem non hordeo (ut ipse dicere solebat) sed paleis sustentabat, hoc est, fame, siti, labore edomabat. Latrones vim meditantes inferre viro, cœlum errore viarum abductos totâ nocte delusit. Ipse quoque dæmonum ludibria non semel impunè risit; quin Plutonem quandoque cum curru suo per terræ hiatum ad inferos redire compulit, irridēdum etiam suis tunc puto, utpote sine Proserpinâ, quam speraverat, reducem. Jam sæpiùs ex humano domicilio eumdem proscripsit, non ita tamen, quin virginem gravibus verbis castigaret obsidione jam liberam, quòd pro pudore non excubans aditum dæmoni Amori feciſſet. Porrò terram triennio sitientem pluviâ beatâ recreavit. Cruce serpentum morsus exarmavit. Draconem coëgit structum rogum conscendere, & suâpte sponte victimam igni se dare. Talis tamen ac tantus mori timuit, & moriturus animam suam ita alloqui est auditus, *Quid egredi anima, quid times? septuaginta ipsos annos Christo meres, & mori times?* Audi hæc orbis: Hilariones timent mori. Nos, ah! quali morbo? risu emorimur. *Ex D. Hieron.*

Væ hominibus injustis, væ impudentibus, væ delicias & voluptates sectantibus, væ superbis. In ipso enim mortis articulo & angustiis inferni suo periculo discent Dei timore nihil esse præstantius. S. Ephrem de Vita spirituali.

S. MALCHUS CONF. 21. *Octobris.*

NOn latuit MALCHVM thesaurum esse virginitatem, tot prædonibus quot oculis expositum. Quare ut in tuto hunc collocaret, secum in

silvas exportavit. Sed, eheu! non sola in silvis Diana, etiam Venus venatur. Et vide sis tectissima hujus retia. Emoritur MALCHI pater, & ficta pietas orbam solari matrem suadet. Clamat vitæ sanctioris Doctor, impietatem esse ipsissimam, alienam mortem suâ delugere, & ut funus comitaretur, funus velle fieri. Si mundo mortuus esset, quid illi cum vivâ matre? si DEO viveret, quid cum mortuo patre foret? Sed surdo fabulam. Abit è latibulis suis virginitas, peritura, nisi in latrones incidisset. Hi in servitutem abducunt, &, ne fugere possit, molestissimâ compede, uxore onerant. Conclamabunt hîc alii. Sed noverint sic vexatam revixisse virtutem. Secura etiam in thalamo jacuit, & per conjugii larvam diu Venerem risit illibata virginitas. Quòd tamen rectiùs fugiendo quàm pugnando pugnat pudor, fugêre ultimò pudici conjuges. Et jam per undas enataverat castitas, cùm jugulo herus, & cum hoc servulus, uterque camelo vectus hæsit. Defendit tamen antrum trepidos, & antrum suum leæna, utroque hoste lacerato. sed & domicilium fortioribus hæc cedens, aliò cum catulis emigravit. At MALCHVS non jam leones, sed nuptam suam fugiens, hanc inter virgines deposuit, ipse monachum rursus induit, mortuusque meruit, ut tumulo ejus rarum miraculum (VIRGO CONIVNX) inscriberetur. *Ex D Hieron.*

Nunc dum tibi mundus arridet, dum carnis sanitas fervet, dum prosperitas terrena demulcet, quæ post illa sequantur, cogita: & quæcumque transitoria sunt, altiori consilio jam transiisse decerne, & velut ludificatoriæ illusionis somnium deputa. S. Pet. Dam. l. 8. ep. 8.

S. URS-

S. URSULA cũ Sodalibus VV. & MM. 21. Octob.

CLassem & vela spectas: omnia à castis nivibus candida, omnia à casto sanguine rubentia; virum in his nullum nisi hostem; sed omnes virilis animi; Amazones rectè dixeris, sed quas zonâ virgine nec victor Attila possit spoliare. Harum omnium ecce dux URSULA est, Dianethi Britonum regis filia, ob formæ florem Connano Armoricæ Dynastæ desponsa. Et verò jam ecce vela facit classis castissima, & pudori suo timens, non tam in undis, quàm lacrimis suis natat: jam Armoricam versus contra vota etiam sua feliciter fertur, jam obvius Hymenæus ingratum verecundis auribus obstrepit; cùm ecce tempestas suboritur, & arreptas naves in Rhenum aufert, Agrippinam Coloniam ejicit. Nimirum adversum hunc alii ventum dicent, at secundum URSULA vocat & castitati velificantem. Longum igitur exilium citis nuptiis præferens, Romam cum comitatu abit, indè iterùm Coloniam. Sed longè gravior redeuntes procella excipit. Naufragium iterum minitatur virginitati Hunnorum & Alanorum vis. Quid agis pudicitia? obluctaberis tot barbarorum insultibus virginum agmen? Enimverò pulchrum, Superi, facinus! ne pudor mergatur, omnes in Rhenum animas projiciunt, & ne telo Cupidinis violentur casta pectora, ad barbarorum intentos arcus ultrò jugulum offerunt. *Ex D. Ursulæ vitâ apud Lippeloum.*

Navis tempestate jactata portum quærit, & viri pudici anima expetit solitudinẽ: ut enim illa fluctus maris, naufragium minitantes fugit, ita hæc mulierũ aspectus perniciem afferentes vitat. Nilus Orat. 2. adversus vitia.

S. JOANNES BONUS. 22.Octobris.

GEnuit Mantua JOANNEM BONVM. sed, ô malum ! bonum divitiæ non siverunt esse. Nempe dubites, an, cùm demortuo parente hereditatem adiit, plures nummos an vitia numeraret. Unica jam mater suis apud DEVM precibus sustinebat in præceps ruentem: frustrà etiam ipsa futura, nî morbus quoque manum injecisset, lectuloque affixisset. Hic, uti ferè amat, gustum illi voluptatum abstulit, quæ nuper tam sapiebant: jamque ut valeret JOANNES, valere mundum jussit, & vitam Religiosam vovit. Hâc salutari medicinâ in pedes erectus, morbi sui fomenta (divitias) non invitus abjecit, & post vitam prope Cæsenã in summâ austeritate aliquamdiu actam, in eremum ad D. Augustini partes transiit, Ordinemq; eum magnis incrementis & miraculis amplificavit: quin adeò subinde ad castissima vulnerum oscula ab ipsomet Christo in cruce est invitatus. Sed nondum etiam hîc extra teli jactũ castitas stetit. Huc etiam sagittas suas misit Amor improbus. Et jam corpus à flammis impuris æstuabat, jam pudor vicinus incendia metuebat; cùm contra tela infanda, tela alia, arundines strinxit JOANNES, & sub primores digitos tam validè adegit, ut triduum exanimis jacuerit. Triumphavit tamen hostem à cœlo recreatus, & eximius dehinc ab hostilibus ejuscemodi incursibus vixit, Cupidine plus jam arundinum aculeos, quàm apum olim fugiente. *Ex Ferr.*

Reverà hæc est vera cordis requies, cùm totũ in amorem Dei per desiderium figitur, nec quidquam aliud appetit, sed in eo, quod tenet, felici quadam dulcedine delectatur, delectando jucundatur. S. Aug. Manual. c. 29.

S. SE-

S. SEVERINUS BOETIUS.

23. Octobris.

IPsum oculi tui Musarum ocellum BOETIVM vident, cui vel hostis Theodoricus rex testimonium hoc dedit, omnes omninò sciẽtias unum complexum fuisse, ut jam Græciæ Roma nec Ptolemæos, Nicomachos, Euclides, aut Archimedes, nec Pythagoras, Platones aut Aristoteles invideret. Tot tamen ætatum miracula unico ingenio clausa extinxit idem Theodoricus, furiis Arianorum (quos stylo BOETIVS confoderat) agitatus. Cæterùm clientem suum in ipsum carcerem usque Musæ sunt secutæ. Nam & in hoc librum *de Consolatione Philosophiæ*, & alterum *de Trinitate* ad socerum Symmachum scripsit, virum itidem eruditum & Consularem, quin in eâdem causâ piè pòst mortuum. Et BOETIVS quidem resectum caput utrâque manu memoratur humo sustuliſse, interrogantique per inurbanũ jocum, à quo percussum se existimaret, seriò, *ab impiis*, respondisse; inde progressus in templum demisisse in genua sese, ac preces inter caput arâ, animum cælo deposuisse. At Symmachus gladio & ipse cæsus suum sociique caput abundè fertur vindicasse. Siquidem cœnanti Theodorico portentosi piscis caput appositum Symmachi ajunt imaginẽ induisse, hiantique ore & dente minitabundo ita perterruisse, ut metu morteque rigens infelicem animam in ollas (quemadmodum S. Gregorius refert) Vulcani exspiraverit, tunc etiam multis deflens innocentum Martyrum necem. Sed & hodie Musæ BOETIVM SYMMACHVMque flerent, nisi in his oculos suos amisissent. *Ex vitâ Boët. & Bar.*

Quanta est mentis occupatio in appetitu terrenæ gratiæ? & quantus est timor, ne hæc eadem gratia perdatur? Perpende ergo quæ pœna sit aut prosperitatis desiderio fatigari, aut adversitatis timore pavescere? S. Greg. l. 6. Regist.

S. MACARIUS ROMANUS CONF.
23. Octobris.

BElle Veneri illusit MACARIVS, cùm nuptiali in thalamo sponsam reliquit, & Raphaële comite in ultimas solitudines castitatem asportavit. Ibi dum antrum subit, in geminos catulos & ponè accubantem exanimem leænam offendit. Hanc igitur tumulo infert, catulos de suâ mensâ alit educatque. Crescunt illi, & à nutritii sui collo innoxii pendent, blandientem lambunt, arridenti adrugiunt blandùm. O semper turior inter feras, quàm non dicam inter mulieres, sed mulierum etiam umbras virginitas! Prodit foras MACARIVS, strophium reperit è sindone, è serico calceolos. Quid agis, MACARI? Viscum mitte. audit allacrimantem malis suis vocem. Ah aures obtura! Sirenem audis. Videt mulieris formam omni simulachro emendatiorem. Eheu oculos claude! Scorpionem vides. Ecce tecto recipit. Superos testor, MACARI! vivam leænam introducis, qui mortuam extulisti. Quid multis? triumphato hospite in fumos abit dæmonium, in lacrimas MACARIVS, in fugam leones. Quin ipse quoque se fugit; sed obsistit bonus ductor Raphaël. Ergo in genua & preces se abjicit, XL. ipsos dies jejunus. Tum verò conciliatos Superos, primùm leones reduces, deinde multa lux cælo allapsa, tum gratantium Angelorum voces, demùm Christus ipse

ipse conspicuus indicarunt. Atque hæc MACARIVS ipse tribus aliis eremi incolis, nos verò Marianis ideò hodie narramus, ut sciant securiùs castitatem binis leonibus cohabitare, quàm uni fœminæ. *Ex Menæis.*

Contra reliqua vitia Deo auxiliante debemus in præsenti resistere; libidinem verò fugiendo superare: contra hujus impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam; neque tibi sit verecundia fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Augustin. serm. 250.

SS. MARTYRES NAGRANI.

24. *Octobris.*

NOn jam singulos Martyres producere in arenam, & cum tyrannis componere, sed producere in campum plenam aciem juvat, & totam pro Christo pugnaturam urbem Nagranam armare. Cave tamen cùm in exercitu nostro sacros homines, senes, matronas, pueros, & adeò puellas vides, apparatum nostrum riseris. Videbis majores corporibus suis animos, & viros sub stolâ, ipsamque in senibus juventam, in sacerdotibus fortitudinem. Ecce enim Arethas (urbi præfectus fuit) XCV. annorum senex canos pulchros sanguine pingit, lauro ornat: potuit ne quidquam glorioſius ab hâc ætate fieri? Ruunt cum hoc in mortem eamdem socii CCC. XL. an prę euntem ducem non rectè secuti milites? Sacerdotes sacrorumq; ministri omnes uno igne cremantur; an pulchriùs poterant sacrificare? Puella XII annorũ in faciem Dunaani tyranni sputo pugnat, eadem cum sorore ferro jugulum dare non abhorret; an non fortiter utraque? Utriusque sanguinem mater ore suo libat, mox suum miscet; an non viriliter fecit mulier?

lier? Sed hem in quinquenni puero Herculem Oetæum. Supplicat hic pro matre ad ignes damnatâ; sed ubi ad perfidiam invitari se videt, à rege non jam matris solùm, sed suam etiam mortem orat, & lacrimis perorat, & blanditiis sævientem morsu provocat tyrannum. Nihilominùs servandus custodiam fallit, & ad matris sinum per ignes, cum illâ ex ignibus ad cælum volat. Ecce Roma vetus, quæ ab omnibus sæculis exempla fortitudinis in omni sexu non mendicabis, omnia spectanda uno die dedit virtus Christiana. *Ex Metaphr.*

Quid Dei benignitati pro omnibus ejus muneribus rependemus? Nam si mille annos in terrâ viveremus, ne pro uno quidem colapho, nedum pro morte, quâ pro nobis fœdissimâ fuit affectus, illi umquam ullo modo posset à nobis satisfieri. S. Ephrem in Confess. peccat.

S. MARCIUS CONF. 24. *Octobris.*

ORbi Romano Justino juniore imperante, rectiùs sibi MARCIVS imperavit. Aula illi spelunca non procul Caleno in Campaniâ, quantò angustior tantò augustior fuit; pincerna verò petra, quæ aquæ tantum, quantum sat erat, quotdiebus fida ministravit. Doluit dæmon malus, & veterem serpentis larvam indutus, sive oranti, sive cœnanti, sive quidquid demùm aliud agĕti accubare perstitit. Ille orcum vicissim ludos faciens, nunc pedem, nunc manum ultrò ori ita ingessit, ut tamen dentem malum figere hic minimè auderet; sed post triennium victum se fassus per alterum montis latus in præceps abiret, ambustis circumcirca omnibus, quà volvebatur, arbustis. Sed ecce tibi pugnam, quâ dæmon ceciderat, prostitutæ frontis femina parat restituere. Quis credat? pericu-

periculosius longè certamen hoc MARCIVS credere; non jam ludere, sed fugere, sed in faciem abjectus, nec oculo hostem audere aspicere. Cessit tamen etiam hæc, atque ne victam dubitares, mortua corruit. & subinde alii sanctiore consilio ad MARCIVM inviserunt; quos inter puerum memorant, fallente vestigio, in subjectam vallem innoxiè lapsum. Quid? quòd saxum ingens spelæo imminēs, & à rupe suâ avulsum, saltu MARCIVM transiit: qui jam à principio catenæ, quæ modum ambulationi præscriberet, pedem alterum illigavit; monitus tamen à D. Benedicto amoris potiùs funiculis teneri vellet, catenam quidem posuit, cæterùm longitudinem ejus numquam excessit, nisi cùm excedere denique mors felix jussit. *Ex S. Greg. P.*

Cùm finis nostri dies advenerit, ubi nobis erit quod modò cum tantâ curâ quæritur, & cum solicitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiæ quærendæ sunt, quæ dimittuntur. Illa diligamus, quæ sine fine habebimus; illa timeamus, quæ à reprobis sine fine tolerantur. S. Greg. l. 6. Regist.

B. JOANNES ANGELUS CONF.

24. *Octobris.*

IOANNEM ANGELVM exhibeo, vel nomine suo debitum VIRGINI; cui nempe si immortales illi Angeli servire gaudent, quidni noster etiam? Atque hoc est, quòd Mediolani in liberâ nobilique familiâ natus, annumerari tamen Florentiæ Servis MARIÆ præoptârit. Ibi illum, ut scias quò vota sua miserit, abiisse inter preces in aëra ajunt, multaque alia feciisse, quæ posteri miramur. Sola castissimi interula innumeris parientibus auxilio

velut

velut obstetrix salutaris adfuit. Racemum cùm è vite aliò tulisset, & ægrè alii hoc ferrent, viti suæ quàm mox ita restituit, ut ne cicatricem è vulnere superstitem cerneres. Illud omnino & scriptu & lectu jucundum, VIRGINIS *servo*, ANGELO inquam nostro, feliciores illos Angelos inserviisse. Nam fuit, cùm è morbo decumbenti incidere venam medicus constituit. Hìc, absentibus omnibus aliis, adfuêre è cælo ephebi gemini, cælo ipso suo formosiores, qui lumen aliáve ministrarunt, & sanguinem ægri obsequiosi exceperunt. Tanti sanè erat omnem omninò sanguinem prodigere. Certè tam duriter vixit JOANNES, ut præter cutem & ossa vix quidquam hominis jam haberet, eò rectiùs ANGELVS dicendus, quò minus jam carnis illi erat. Hanc denique omnem posuit anno partæ salutis MD. VI. Laudes ejus funebres (quòd puto impar his lingua esset) campanæ sponte impulsæ cecinerunt. *Ex Ferrar.*

De dilectione Conditoris lingua, mens & vita requiratur. Nunquam est Dei amor otiosus: operatur etenim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est. S.Greg.Hom.30.

SS. CHRYSANTHUS & DARIA MM.
25.*Octobris.*

CHRYSANTHVS patre natus Polemio senatorii ordinis viro, dum fortuitò in manus sumit, quem Euangelii librum dicimus, legitque, manus dare Christo discit, brevi lectione longè plurimùm edoctus. At Polemius, ut filium à Christianâ disciplinâ dimoveret, nihil non movere, carcerique demùm mancipare. Sed hic gymnasii instar virtuti erat. Ergo ad insidias amicorum

rum consilio versus cubiculum adornat, & omnibus deliciis instruit; addit mulierculas omni mundo muliebri præter verecundiam superbas. Inter has collocatus CHRYSANTHVS tunc demùm in carcere esse se credidit & ingemuit. Quid faceret? clypeum nempe (oculum clausum) objecit. Sed & cælum somno lenarum oculos obruit tam profundo, ut castitati facile esset dormientium manus evadere. At ecce novum duellum: DARIÆ virgini & formâ & literis cultissimę committitur. Pergit tamen ille victoriis victorias accumulare, & sponsum expetenti promittit hunc, sed Christum. In has leges & pax & nuptiæ promittuntur: quæ ut festiviore apparatu fierent, plurimos ille juvenes, plurimas illa virgines ad castitatis amorem traxit. Enimverò hic demùm furere Venus, & vinci toties tela sua indignata, tyrannum armare, jamque CHRYSANTHVM in carceres, DARIAM in lustrum trahere. Sed illum contra tormenta lux cælo allapsa, istam contra lenones leo defendit. Ultimò vivi terrâ obruti castissimi conjuges, primum thalamum, tumulum habuerunt. At olim degener Roma non castitatem, sed impudicitiam sic tumulabas. *Ex Metaphr.*

Fluxa & seductoria immundi hujus mundi blandimenta despice: minas ejus animi fortitudine supera: surgentia carnis incendia reprime: mentem virtutibus dilata: torporis frigus de corde depelle, & ad supernæ beatitudinis gaudium flammato desiderio suspira, S. Pet. Dam. serm. 5.

S. DEMETRIUS MART. 26. *Octobris.*

NAtale solum DEMETRIO dedit Thessalonica, parentes nobilitatem, literarũ studia laudem, ar

at militia denique totius Græciæ imperium, Christus illi semper in ore, hujus præco ipse Proconsul non dubitavit esse; quo factum, ut passim ubique superstitionem in provinciâ suâ expugnarit. Debebatur illi ob res tam benè gestas triumphus. Sed hunc ille scilicet in carcere duxit. Corona ut non deesset sic triumphanti, hanc è cælo Angelus attulit. At ille non unâ contentus, sed plures sperare ausus, certamini suo alios præmisit. Et fortè ludos dabat Maximianus more suo cruentos. Lyæus staturâ & robore monstrum solus in quosvis pugnabat, numquam non victor. In hunc DEMETRIVS immittit Nestorem adolescentulum viribus longè inferiorem, cætera cruce frontem & pectus probè armatum. Hic portentosum gladiatorē in arenâ porrexit. Sed per hujus latus Imperator se saucium sensit. Itaque in Nestorem gladio, in DEMETRIVM lanceis sævit; sed non ita, quin post mortem in ore omnium viveret. Nam chlamys Martyris sanguine tincta ægros contra omnes morbos armavit, & Lupus DEMETRII servulus cùm anulum suum cruore domini, hoc est, gemmâ ornasset, compluribus deinde sanitatem eo impertiit, dum vitam pulchrâ pro Christo morte etiam ipse obsignavit. *Ex Surio.*

Habes arma, ô homo, quibus adversus hostes tuos utaris: quæ si ad salutem tibi data spreveris, victus in die Iudicii quomodo te excuses non habebis. si adversus te corporis cupiditatem dæmon incitârit, temperantiæ thoracem induito; si te lasciviæ sagittis petierit, sume galeam castitatis. S. Ephrem de Ling. morb.

S. FUL-

S. FULCO EPISC. 26. Octobris.

QUi pauperes esse Musas indignantur, exemplum patientiæ licet à FULCONE mendicent. Hic extremâ rerum omnium inopiâ pressus, non tamen ideò minùs literas coluit, dudum ab his Musis edoctus somnia doctiora non post merum, sed aquas in Helicone potas obrepere. Quare non invitus à magistro doctrinam, ab aliis victum vestitumque precariò accepit. Et forte fortunâ ditiores ædes pulsavit, cùm ancillula stipem per jocum eâ lege porrexit, ut ne infulam umquam acceptaret. Enimverò jam jam prehensurus panem, FULCO manum illicò retraxit, indignum reputans tam parvo lucello tam magnas spes vendere. Et placuit generosus hic animus usque adeò ædium domino, ut victum deinceps ceteraque vitæ præsidia omnia FULCONI liberaliter suppeditaret. Itaque positâ molestâ paupertatis sarcinâ, cùm liberius jam studiorum stadia decurreret, inter Canonicos, quos vocant Regulares, adnumeratus, missusque Lutetiam Parisiorum, Doctoris primò titulis ornatur, mox Placentiæ ad D. Euphemiæ reliquis præponitur, inde Archipresbyter, inde Episcopus Placentinus, denique Papiensis etiam renuntiatur: & jam illa olim omnibus supplex manus anulo vestitur, caput omnibus apertum mitrâ tegitur, doctaque egestas purpurâ involvitur. Sed tamen memor fortunæ veteris, dum vixit, quinos semper mensæ pauperes adhibuit, totidemque cum magistro suo Musarum clientes, & septem egentes viros nobiles aluit. Atque hi fecere, ut licèt virgo FULCO, pater tamen obiret. *Ex Ferrar.*

Erige animum: Tribulatio vires non opprimat, adversa

versa sæculi patientia superet : pompam mundi secura mens despiciat : actio tua ad ea, quæ Dei sunt, se occupet : considera quàm nihil sit, quidquid fine concluditur. S. Greg. Registr. l. 11. c. 23.

S. ELESBAAN CONF. 27. Octobris.

NOn erubescant reges in regem ELESBAANVM intueri, & ex ejus vultu, Æthiopis licèt, mores tamen suos componere. Bellum illi grave erat cum rege altero Dunaano Judaicæ superstitioni addicto. Causæ & DEO fidens, purpuram quidem pugnaturus exuit, cæterùm ingentes animos induit : quos majores etiam Anachoretes nescio quis illi fecit, cùm, ut sibi DD. Martyrum præsidia (optimas utique auxiliares copias) accerseret, persuasit. His fretus cùm in aciem descendisset, etsi initio laborare hæc videretur, pugnâ tamen ad extremum vicit, auspicatissimo D. Gabrielis nomine velut militari tesserâ tertiùm in aëre conclamato. Adhæc Superi Dunaanum hostem ita delusere, ut veluti fascinatus catenâ aureâ, & se & amicos illigatos venienti ELESBAANO objiceret : quos quidem victoriæ hi ; sacrificaturus eodem ferro omnes immolavit. Sed nunc triumphum specta Lector. Hunc ecce, triumphali coronâ Hierosolymam missâ, ELESBAANVS saccum non togam palmatam indutus, & solus obscurâ nocte in montem proximum ducit; casam, non Capitolium subit ; vota victor vovet numquam inde egrediendi ; jamque triumphales epulas pane nudo, herbis ac fontanâ continuat, nulli hominum visus, uni sibi & Superis notus. Nihil hæc ad meos triumphos, ait Romulus. Sed sic triumphanti cælum applausit. *Ex Metaphr.*

Laqueus

Laqueus est in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus est in amore. Dum aurum petimus, strangulamur; dum argentum quærimus, in visco ejus hærenus; dum prædium invadimus, alligamur; quin etiam mulieris decus dum tentat, astringit. Ambros. de bono mortis cap. 5.

SS. SIMON & JUDAS APOSTOLI.

28. *Octobris.*

VBi primùm debellandum sibi orbem Apostoli sumpserunt, aliis aliò moventibus, SIMON in Ægyptum, JVDAS verò THADDÆVS frater SIMONIS in Mesopotamiam expeditionem adornavit. Subactis iis provinciis, in Persidè copias junxerunt, missâque iterum sub jugum CHRISTI innumerâ multitudine, demùm uno eodemque tempore de morte ambo fratres triumpharunt. quod spectaculum ne Romæ quidē toties triumphanti obtigit. Porrò JVDAS dudum antè regem Edessæ adiit Abagarum (is est qui olim Christum, cùm in vivis adhuc ageret, per amicas literas in regni societatem evocavit) telam ferens, in quâ vultum sui quàm simillimum Servator expresserat: munus profectò etsi ipsum artificem suum non referret, ab artificis certè manu quàm maximè commendandum. Hoc ubi cubiculo decumbentis regis fuit illatum, locum ilicò omnem inusitatâ luce complevit, mox aspectu suo Abagarum à morbo recreavit, tactu verò persanavit etiam. In sacris undis cum omni aulâ suâ ablutus imaginem conspicuo loco venerandā proposuit, ipse epigraphen, literis auro liventibus, in hunc sensum adjecit: *Spes nulli unquam imponit, quam quis in te Christe ponit.* Rectè, ais, Dei effigiem in honore

honore Abagarus habuit. Tecum sentio. Sed nego illos hodie rectè facere, qui vivos Dei vultus, animos inquam, perturpare per summam injuriam non vetentur. *Ex Constant. Porphyr. Hieron.*

Quia præsentia gaudia sequuntur æterna lamenta; hîc vanam lætitiam fugite, si illic flere formidatis: nemo enim potest & hîc gaudere cum sæculo, & illic regnare cum Christo. S. Greg. 11. homil. in Euang.

S. NARCISSUS EPISC. 29. Octobris.

FLorere sibi videbatur Hierosolyma, cùm NARCISSVM haberet Pontificem odore virtutis chariſſimum patriæ & acceptiſſimum. Sed ex tam pulchro flore peſſima aranea invidia venenum sibi suxit. Terni & ex mendaciis compoſiti cives in innocentiam conſpirarunt, & ſanctiſſimam viri famam fœdiſſimi criminis delatione contaminare ſunt aggreſſi; utque ruitura mendacia perjurio fulcirent, si fallerent, pœnas ipſi sibi judices rei dictarunt, & primus ignes, alter morbum fœdum, ultimus oculorum orbitatem imprecatus est, omnes à Cælitibus non ſurdis audiendi. Etenim etſi perfidiæ etiam juratæ nemo crederet, teſtiſque maximus & unus omnium inſtar NARCISSI ipſe eſſet NARCISSVS; execratus tamen hic vel ſuſpicionem facinoris ſubduxit ſe, & ſilvarum exilio innocentem ſe damnavit. Mox tamen aliam in adverſarios ſententiam cælum pronuntiavit. Primus enim ille cum omni familiâ igne tectis neſcio unde illapſo exuſtus facem, ut innocentia pateret urbi, accendit. Alter horrido morbo obſeſſus, uti à capite ad calcem uſque ſancti nihil, ita nihil ſani habuit. Intereà dum vindicem DEVM tuentur, timuêre ſibi oculi tertii teſtis,

stis, & sceleris pœnitudine hic ductus, publicâ confessione perfidiam & lacrimis damnavit, sed tot ac tantis, quibus oculi effluerent, mitissimâ vindictâ, quòd simul noxam eluerent. Ita cæli patrocinio defensus muneri suo ac loco est restitutus, vixitque NARCISSVS, quàm diu nullus flos alius vivit, c. & VI. annos. *Ex Euseb. l. 6.*

Tu quis es, qui tam improbè, tam manifestè, tam procaciter servo detrahis alieno? noli fratris tui reprehensibilia acta detegere, sed potiùs edicito tua. Redi ad te, & discute te, judica te & in staterâ humilitatis appende. S. Laur. Justin. de Vit. solit. c. 4.

S. ERMELINDIS V. 29. *Octobris.*

EOdem tempore thalamum ERMELINDIS & DEVS & DEI numquam non rivalis mundus ambivere. Sed exhorruit rectè infamem procum virgo, & duodennis sponsum sibi pulcherrimum è filiis hominum CHRISTVM legit, candidū eumdem & rubicundum. At stultissima parentum vota generum mundum malebant; eamque ob rem, pro potestate, cogere filiam ad nuptias parabant. Hic verò illa generoso ausu virginem professa capillos suos ipsa rescidit, hisque veluti vinculis jam expedita, mundo ne nuberet, excessit mundo. Insecuti tamen castissima vestigia sunt gemini fratres, iidemque Veneris mancipia. Horum alter cùm suam DEO sponsam etiam è templo raptum iret, monita ERMELINDIS à Tutelari Angelo suo, pudori fugâ iterum consuluit, solaque deinceps vixit. Sed quid dico sola? quando cælo Paranymphi adfuêre, castissimosque inter Hymenæos ad sponsum suum abduxere. Neque verò mortuam etiam latêre sponsam suam hîc voluit. Cælestes

iterum cantus splendorque, sed præcipuè odor suavissimus mortalibus immortalem ERMELINDEM prodidêre. Cur, nisi ut in odorem castitatis etiam tu curreres Mariane? *Ex Molano & Surio.*

Hæc recordatio magna tibi debet esse instructio: quoniam pro magno diligi non debet, quidquid fine concluditur. Illa petenda, illa summoperè diligenda sunt, quæ nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt. S. Greg. l. 7. Regist. c. 54.

SS. ZENOBIUS & ZENOBIA.

30. *Octobris.*

ADeste heredipetæ filii, & dilapidare (neque enim hoc jam vetabimus) patrimonia vestra à ZENOBIO nostro discite. Iste ubi hereditatem paternam adiit, totam hanc in pauperes & ægros intra non multos dies effudit. Quid frontem contrahitis tam subitò avari? an rectiùs poterat sua locare quàm cælo, quò, quidquid accipiunt, fidæ pauperum manus ferunt? Sed & viventis etiam-num manum munificam remunerare DEO placuit, quando arte medicandi tantâ imbuit, ut vel ad tactum ejus omnes passim morbi fugerent, ac deinde in patriâ urbe Ægis pontificali pedo, palmâ denique gloriosâ ornavit. Hanc ille scilicet Lysiæ Proconsuli inter omnia tormenta victor extorsit. Et fortè ab equuleo pendens cassas tyranni minas despiciebat, cùm ZENOBII etiam soror ZENOBIA accurrit, & verò ex eodē tam forti sanguine se prognatam jactitans sociam germano se junxit. Lysias utrumque in ferreum lectum injici & subjici ignem jussit. Sed hunc cælum mitiore rore facilè temperavit. In fornacem succensam posthæc abjecti iterū flammas triumpharunt,

Superis

Superis acclamantibus, & certos esse beatitatis jubentibus. Meruêre ergo laurum, quâ ut coronarentur, capita securi submisserunt. *Ex Metaphr.*

Ante nos est Christus, ante nos bravium ejus: ad hunc dirige oculos tuos, averte à spectaculis, averte ab omni sæculari pompa: serva eos, ut erigas melioribus: erige ad cælum; specta mare, terram circumspice, ut opere facta divino omnis creatura te pascat. S. Ambros. in Psal. 118.

S. WOLFGANGUS EPISC.

31. *Octobris.*

STellam parturire sibi mater VVolfgangi videbatur. Non fefellit. VVolfgangvm peperit, sidus, à quo omnis Bojaria illustrem se fatetur. Natalium splendori jam inde à puero majorem lucem à bonis artibus, maximam deinde à virtute accendit. Hæc cùm inter Herciniæ silvæ Ascetas aliquamdiu latuisset, suis tandem se radiis prodidit, & prælucere Bojis Ratisponæ jussa est. Agnovere in Præsule suo vitæ magistrũ omnium ordinum homines. Virgines præcipuè Deo dicatæ, quas ille à vitæ, ad quam nunc etiam pronum est deficere, licentiâ, ad sanctiorem disciplinam facilè omnes revocavit. Posteà in desertos montes aufugit, struxitque sacellum miraculis etiamnum inclytum. Sed non potuit oculos effugere stella tam nobilis. Retractus VVolfgangvs post longam absentiam pulchriùs jam Ratisponensibus velut post tenebras luxit. Illud minimè tacendum. Henricum Bavarum posteà Augustum educasse, illiique Imperium tum in vitâ, tum à morte suâ prædixisse: nam ferunt Henrico dormienti VVolfgangvm adstitisse, & parieti gemina hæc

verba (*Post sex*) inscripsisse : experrectum illum mortem primò in sextum diem, pòst in sextum mensem, tum in annum sextum expectasse, sed tunc pro morte Imperium scilicet adiisse. At VVOLFGANGVM, cùm assem omnem suum in fratres (ut ipse vocabat) pauperes partitus esset, cælum ex ipso templo D. Othmari, qui & Episcopatus illi & mortis vates fuit, ad se rapuit. Nec injuriam terræ fecit, suum abstulit, stellam tulit. *Ex Surio.*

Hora exitus nostri semper est intuenda; ista Redemptoris nostri admonitio ante mentis oculos semper ponenda, quâ ait, Vigilate, quia nescitis diem neque horam. S. Greg. Hom. de x. Virg.

NO-

NOVEMBER.

F. OMNIUM SANCTORUM.

1.*Novembris.*

IN nuce Iliadem, in pagellâ, inquam, omnes Sanctos tenes. Cæterùm quæ festo huic diei origo fuerit, lubet denarrare. Et principio id constat, tùm Deos jam Romani plures ferè quàm homines numerarent, fanum exædificasse, in quo totus Deorum Dearumque grex stabularetur, & hoc ipsum ex re Pantheon dixisse. At anno, postquàm Dii omnes uni cessere DEO, nono supra sexcentesimum, Bonifacius IV.PP.vacuum à dæmonibus locum lustrare aggressus, rectiùs hunc VIRGINI MATRI & Divis Martyribus sacrum voluit esse. In eam rem XXVIII.Divorum ossibus onustos currus cum triumpho, quàm potuit splendidissimo, induxit, simul ut ille ipse dies festus Romæ sanctusque esset, imperavit. Idem posteà sub annum Christianum octingentesimum trigesimum quintum Greg.IV. per Occidentem sanxit, eam potissimùm ob caussam, ut, quando, tum ob numerum innumerum, tum quòd virorum sanctorum pars longè maxima cælo, non item terris nota est, non potest Ecclesia singulis diem donare, certè omnes uno die veneretur. Atque hæc sunt diei hujus festa exordia. Tu, si sapis, numerum auge Beatorum. Nam ex omnibus Divis nisi tu etiam aliquando unus es, heu! nullus es. *Ex Baron.& Mart.Rom.*

Veneremur Sanctos, quibus traditum est triumphale regnum, judiciaria sedes, Angelorum consortium, corporum

porum immortalitas, beata visio, Christi conformitas, stellarum claritas, secura mansio, grata societas, jucunda fruitio, & divini luminis sempiterna comprehensio. S.Laurent.Justin.serm.de Omn.SS.

S. CÆSARIUS MART. 1.*Novembris*.

PRæferebat jam penè ipsi Romæ sese urbs Anxur, quòd, quem semel illa omni ævo Curtium ostentarat, ipsa quotannis exhiberet Italiæ. Nimirum vidisses Kalendis Januariis lectissimum quemque è juventute equo & armis conspicuum pro salute Reipubl. è sublimi monte in undas ire præcipitem, eoque facto nomen apud cives patris patriæ promereri. Et verò sceleris hujus irritamenta scelera erant alia, quæ sex aut octo totos menses inter omnem luxum & petulantiam impunè piaculares ejuscemodi hostiæ perpetrabant. Enimverò cùm ei spectaculo interesset CÆSARIVS ex Africâ redux, palàm facti atrocitatem verbis castigavit. *Insaniam esse, urbem, ne olim pereat, in flore suo facere perire, & ut serventur cives mali, optimum quemque ex his occidere. quid hoc aliud esse, nisi orco victimas sceleribus saginare, & sceleribus velle Superos demereri?* At non ita sentire dux superstitionis Firminus, cujus impulsu Leontius vir consularis triduanâ fame vexatum CÆSARIVM ante currum ad Apollinis templum egit, nudum illum, sed paratissimum sic ad luctam. Et victum se fassus est Apollo precibus Divi, cum templo & sacrificulo Firmino in terram dejectus sepultusque. Sed & Leontius post annuum carcerem & inediam athleta Christi succubuit, priorque CÆSARIO pro fide mortuus est, qui demum culeo insutus cum Sacerdote Juliano in mare demersus est (ut ipse piè

jactabat) & natus cælo & denatus. Certè haud paulò rectiùs pro patriâ mori Juventam docuit. *Ex Lippeloo.*

Quid tibi cum carne & sanguine, qui divinam in te gestas imaginem? quid tibi cum mundo & vitiis, qui ad hoc conditus es, ut cælum conscendas, atque cum Angelicis spiritibus beatâ Dei visione fruaris? S.Laur. Justin.de Cont.mundi c.21.

COMMEMORATIO FIDELIUM DEFVNCTORVM. 2.*Novembris.*

PIctas lacrimas, Mariane, oculis tuis objicimus, ut his oratoribus tibi exprimamus veras, & quibus opem non fictæ calamitati feras, nec jam pictos extinguas ignes. Id porrò quàm meritò facias, ex annalibus D.Dominici disce. Numeravit hic inter alumnos suos duos præ cæteris pietati deditos, Bertrandum alterum, alterum Benedictum. Ille pro peccantibus, hic pro luentibus in flammâ piaculari peccata multùm solicitus, preces ac sacrificia quisque in suos congerenda credebat. Et pugnabat Benedictus magnis rationum momentis, & ajebat, illos, si modò velint, rebus suis abundè posse consulere, ore suo orare, manu suâ avertere iram Numinis posse; hos verò, ut qui manu carerent, utique auxiliari alterius egere. Contrà contendebat Bertrandus tam hos suæ salutis, quàm alteros illos, nî à præcipitio abducerentur, interitûs certos esse. itaque graviùs periclitantibus succurrendum. Et perstitisset in hâc sententiâ, nisi ex purganti igne anima una omniũ legatione functa, terrore suo sub noctẽ insequentem, patrocinium suum & sociarum ita persuasisset, ut jam nemo alius pro his ad aram frequentiùs

Bertrando oraret. Et profectò si sapimus, vicina incendia, & nobis quoque jam jam impendentia, communi operâ sopimus, hoc est, cilicio opprimimus, precibus avertimus, flagris fugamus, gemitibus dissipamus, oculorumque imbre extinguimus vindices ignes. Quin quisquis fila manu tenes, & globos *Virgini* sacros, tenere te funem puta, quo ex inferno carcere ascendere hodie ad cælum animas facias.

O fratres mei, qui modò modicam febrem, vel modicum quemcumque dolorem non potestis pati, quid facietis, quantum dolebitis, quantum plorabitis illo incendio inflammati, & totaliter à pœnis absorpti? S.Bonav. serm.1.de S.Laur.

S. EUSTOCHIUM V. 2.*Novembris.*

FUit EVSTOCHIVM nobilissimæ & D.Hieronymo laudatissimæ matronæ filia, ejusdemque virtutis ex asse heres. Degebat illa sub patrui Hymetii tutelâ, certa nulli nisi Agno nubere, eamque ob rem animi potiùs mundo, quàm corporis studens, & hoc pulchrior, quò negligentior sui. At Hymetius alia omnia animo volvens, ut quàm pulcherrimè posset ornatam virginem ad nuptias nobilissimis juvenibus venditaret, eam curam conjugi Prætextatæ demandat. Hæc igitur EVSTOCHIO vestes induere, ad elegantiam sæculi factas, faciem fuco tingere, frontem & aures gemmis pingere, crines ferro & igne fingere, denique totam ad lascivam venustatem componere. Sed in tam pulchrâ EVSTOCHIO nihil jam cælo placuit, præter lacrimas, quibus naufragium timens virginitas quotidie innatabat. Periclitanti tamen succurrit Angelus bonus, & in somnis ad

Prætex-

Prætextatam, *Nimirum*, ait, *egregia cognati sanguinis lena, mundo conciliabis* DEO *desponsam?* DEVM *nauseas generum habere, terræ filium quæris? ex fronte virginis palæstram Veneris facis? ex oculis Cupidini muscipulas struis? ex capillis laqueos nectis amantibus? At non impune hæc facies. Iam enim, ut abstinere à lenociniis manus discant, arescet manus: jam domum Christus* EVSTOCHIVM, *te orcus ducet: si porrò neptem* DEO *invides, certè morti conjugem liberosque non eripies.* Atque hæc omnia evenisse ordine Hieron. affirmat. ô Superi! quid ad nostræ elegantiam ætatis dicitis; quando puellæ viros induunt, & (quod turpius longè est) calamistrati viri (phui) in puellas degenerant? *S. Hieron.*

Conditor Angelorum dum in præsepio vagiens reclinatur, non ostro, sed vilibus legitur panniculis involutus. Erubescat ergo terrena superbia & arrogantia redempti hominis, ubi erumpentibus radiis exorti coruscat humilitas Redemptoris. S. Petr. Dam. l. 6. Epist. 14.

S. VVENEFRIDA V. M. 3. *Novembris.*

WENEFRIDAM nobilē è Britanniâ Nympham CHRISTO Benvocus vir famâ sanctimoniæ id ætatis longè maximâ despondit. Nec abnuebant parentes in tam amplas spes filiam dare; sed obstabat Cadocus regis Alani filius, ausus castissimam & cælo datam fidem tentare, cùm sola virgo domi ageret. Illa verecundata aliquamdiu tam inornatam se deprehensam, in cubiculum abiit velut mundum inde muliebrem petitura, reverà ad asylon (templum) properatura. At Amor tam magnus tyrannus quàm parvus puer pingitur, alas Cadoco insequenti suas præbuit. Hic prehensam virginem & reluctantem ense obtruncat. Et ecce

& virtutis & sceleris præmia. Ad sanguinis fontem fons alter aquæ limpidissimus exsilit, suasq; undas ita etiam hodie sociat, ut tamen ripam sanguine castissimo pictam numquam abluat, muscusque odorem virtutis semper spiret. Porrò Benvocus Martyris caput ad latronem asportavit, ut in eo velut speculo facinus suum & videret & fleret. Cæcum morti in eo loco devovit, & VVENEFRIDAM, juncto cum corpusculo capite, vitæ reddidit. Et Cadoci quidem ajunt etiam corpus disparuisse, (Orco nimirum cum animâ tumulandum) VVENEFRIDAM verò in virtute tam doctam virginibus cæteris VVitheriaci magistram datam fuisse; illic miris multis illustrem ultimò concubiâ nocte ab ipso Christo sponso ad nuptias evocatam abiisse. Ad has quid nî Mariani etiam vos itis? Ite, & si vox virgo vobis est, Hymenæum (licet) canite. *Ex Surio.*

Quid sit mundana dignitas & honor, apparet in pulvere; potestas & gloria cognoscitur in cinere; lascivia autẽ incontinentium & petulantia demergentur in barathri carcere. S.Laur.Justin.Ligni vitæ c.5.

S. MILUS EP. MART. 4.*Novembris.*

MILVS Persa cogitabat stipendia sub rege facere. Sed cælum sibi auctoratum ad sua signa compulit, postquàm horrido viso objecto, ostendit quàm malè ad tyrannum mundum fugitivi homines à DEO transiremus, etsi tot stigmatibus, quot beneficiis ab hoc notati. Nec diu Christo militavit, cùm Pont. inauguratus ordines inter Christianos cœpit ducere. Sed non tam multæ gravesque illi cum hoste, quàm cum domesticis pugnæ fuerunt: quamvis quæ pastorẽ noluerunt,

perierunt

perierunt deinde oves, urbe & vitâ amissâ; quod ipsum bonâ fide illis, sed non sine lacrimis MILVS vaticinatus est. Alteri etiam Episcopo impendentem è cælo vindictam prædixit; cumque ille non audiret, verborum tonitrua fulmen excepit, & surdas aures correxit. Virum principem gravi ægritudine decumbentem, admotis non manibus, sed precibus absens curavit. His atque aliis adduxit longè plurimos, in Christi leges ut jurarent; sed non regem etiam, qui multis suppliciis excruciatum MILVM ferro devovit, & carnificis munus cum fratre divisit. Hos quoque semianimis Divus adproperantem Nemesin jussit cavere. Nec nisi diem hæc abfuit. Postridie enim, dum ambo cervum fugientem jaculo insequuntur, ambo exerrant, sed mutuis se vulneribus fratres conficiunt. I, seram cæli vindictam memora, quando cervo & jaculo ocyor venit. *Ex Menæis.*

Quidquid aliis accidit, tibi accidere potest: quia homo es; homo de humo, limus de limo; de terrâ es, & de terrâ vivis, & in terram revertêris, quando veniet dies ultima, quæ subitò veniet, & forsitan hodie erit. S. Bern. in Medit.

S. CAROLUS BORROMÆUS.

4. *Novembris.*

ERubescent, puto, ad CAROLI purpuram omnes purpurati. Reditus Ecclesiasticos, nec ab illustrissimo parente aliter quàm in pauperum usus verti patiebatur. Galero & infulâ insignis Parochorum vitam ipse inspicere, ipse morbidas oviculas curare, ipse pro suggestu his acclamare, ipse Sacramentis pascere. Quid hîc illi animarum pastores, qui suum numquam numerant, quin neque

noverunt gregem? Atqui ille, quæ diximus, tunc fecit, cùm provinciam dira lues fameſque popularetur, quando, ut Chriſtum operiret, parietes aulæis, ſe lectulo etiam nudavit. Peſtem ſupplicationibus avertit ad DD. pulvinaria inſtitutis, in quibus ipſe nudus pedes, funeque in collum injecto, crucem prætulit, & in hâc clavum ex illis unum, è quo nobiliſſimum olim anathêma Servator pependit. Porrò authoritati Eccleſiæ vitam poſthabuit; & ſuam purpuram ſuo iterum ſanguine pinxiſſet, niſi globus Divum juſſus ferire à tergo ad pedes delapſus eſſet. Puer, cùm alii ludos, ipſe VIRGINIS templa obibat. Præter Horas Canonicas, etiam Marianas quotidie dixit, & dici à domeſticis voluit. Sub MARIÆ nomine collegium adoleſcentulis nobilibus extruxit. MARIÆ ſtatuam ante omnium templorum portas poſuit. Hujus icone armari omnes milites ſuos voluit, forti utique clypeo. Mitto cætera, hoc addo: alios purpura, CAROLVS purpuram ornavit. *Ex vitâ.*

O ſi conſideraremus, quis ſit Deus iſte, qui nos dignatur aſpicere, cui tam gratum eſt, quidquid pro ſalute animarum fit, quàm avidè & promptè curreremus omnes, dicentes, Domine, Ecce ego, mitto me! S. Car. Borrom. Concion. 4. in Syn. XI. habitâ.

S. JOANNICIUS C. 4. *Novembris.*

QUid aula confers, ſi ſanctiùs in caulâ vivimus? Dum gregem paſcit, ovis eſt JOANNICIVS; dum evectus a fortunâ latus jam Iſaurici Leonis ſtipat, in lupum abit, & rabioſâ hæreſi correptus triſtè terris & cælo ululat. Exi, ah! aulâ exi, JOANNICI, ſi exire errore geſtis. Audit talia monentem Anachoretam; ſequitur vocem, ab aulæ

aulæ frequentiâ ad silvæ solitudinẽ invitantem, jamque inter aulicas larvas etiam hæresin abjicit. Agnoverunt itaque iterum & amarunt JOANNICIVM suum Superi, cumque invidia illi venenum misceret, fraudem detexerunt. Ille preces veteres frequentavit: *Spes mea Deus Pater, asylon Christus, scutum Spiritus est.* Certè unica crux & panoplia & panchrestum JOANNICIO fuit. Hâc ille cùm gregem suum circumscripsit ad preces abiturus, nihil umquam ex illo desiderabat; hâc morbos pellebat, serpentes exarmabat, rumpebat vincula, medios hostium cuneos penetrabat, ipsos malos dæmones fugabat. Ipse tamen fugere non erubuit, cùm in impuras cogitationes pugnandum fuit. Quin, cùm è virgine sacrâ has proscripsisset, sed iisdem se obsessum animadverteret, ita ab his abhorruit; ut non dubitaret rectâ ad draconem tendere, prædamque se illi (si Numini placuisset) devorandam objicere. Et profectò, si sapit juventus, non ita ad flammantes draconis oculos, non sibilos iratos, & dentatos rictus, uti ad aspectus Veneris molles, ad verba mellea, & arridentia oscula exhorrescet. *Ex Metaphr.*

Luxuriam mortem animæ ille evadere poterit, qui ipsius occasiones fugit, principiis tentationis resistit, carnis desideria frangit, corporis abhorret otium, corporis resolutionem recogitat, & præcipuè cordis humilitatem possidere conatur. S. Laurent. Justinian. lib. 1. de Spirit. interitu animæ.

S. EMERICUS CONF. 4. *Novembris.*

PAter EMERICO D. Stephanus fuit Ungariæ rex. Matrem in terris Giselam, D. Henrici Imperatoris sororem, in cælis MARIAM salutavit,

cui natum unicè semper pater commendaverat. A tantis parentibus minimè degener EMERICVS, non dies modò, sed quas juventus somno aut voluptatibus, hoc est, somniis, dare amat noctes, precibus pius vigil transcripsit, non priùs ab aurorâ deprehensus, quàm omnia Vatis Jessæi carmina decurrisset, & post singula intercalare osculum terræ fixisset. Oculos habuit tam puros, ut ipse animorum occulta sensa perspiceret. Nam jussus à parente salutem ferre viris DEO devotis, oscula quidem in omnes amicissima dispensavit, aliis tamen plura atque aliis tulit, non neminem etiam septies dissuaviatus. Caussam deinde rogatus, oscula sua meritis singulorum respondere affirmavit; qui plurima tulisset, eum virginem ad id ætatis animum gestare, mille etiam osculis dignum. Ipse cùm vocem audisset cælo allapsam, nihil præ virginitate Superis arridere, quàm mox DEO DEIQUE MATRI florem suum dicavit. nec sponsam priùs admisit, quàm suum & ipsa cælo despondisset. Et placuere ita hi Numini, ut abstinere jam non potuerit manum, sed ex his EMERICVM beatâ morte decerptum in sua rosaria transtulerit. Eò enim ferri Eusebius Episcopus vidit. Invide tu quisquis adhuc cum vento, cùm æstu, cum hieme luctaris flos virgo. Marcescis, si te cælum non carpit, & marcescentem manu scilicet VIRGO abjicit. *Ex Surio.*

Duo sunt amores; mundi, & Dei: si mundi amor in te habitet, non est, quà intret amor Dei. recedat amor Mundi, & habitet Dei; melior accipiat locum. amabas mundum? noli amare mundum; cùm exhauseris cor amore terreno, hauries divinum. S. Augustt. Tract. 2. in Epist. S. Joan.

SS. GA-

SS. GALATION & EPISTEME MM.
5. Novembris.

NUlli æquè flores cælo arrident, ut animi virginis lilia, maximè quæ ex thalamo surgunt, hoc utique pulchriora, quo rariora. Vides hodie tamen hæc in GALATIONE & EPISTEME, quibus castissimum thalamum virginitas stravit, verecundia ornavit, mors defendit. Et GALATIONEM quidem matri sterili, si Christo adhæreret, spopondit Anachoreta, firmavitque pactũ in somnis visus in cruce Christus. Liberata utrimque fides, & filio hereditatem parens uterque Fidem, sponsam verò EPISTEMEN reliquit formâ singulari & omnibus virtutibus dotatam. Hæc cælesti ostento, nec uno, instructa cùm virginum beatos choros esset intuita, facilè virginitatem etiam in conjugio coluit. GALATIONE exinde inter monachos abdito, ipsa inter virgines velatas vixit, abductaque per visum cum marito in cælestia palatia, jussaque coronam sperare, etiam ad sanguinem DEO litandum animum erexit. Etenim eunte ad tribunal impium GALATIONE, pari passu virum mulier secuta, negavit rectè facere conjugem, si sine conjuge ad coronam aspiraret, quam nuper utrique cælum promisisset. Et verò hanc non minùs sponsæ quàm sponso deberi. Itaque cùm, ut in lecto casto, ita etiam tormentis omnibus socia esset, post corpus virgis concisum, post infixas sub ungues spinas, linguâ primò & pedibus manibusque, pòst capite etiam sunt truncati, felicissimi conjuges & sine filiis morituri, nisi hoc, in quos omnia bona sparserant, pauperes negarent. *Ex Metaphr.*

Beatus;

Beatus, qui sacræ Virginitatis hortum concluſum, fontemque ſignatum Chriſto Domino inviolabiliter conſecravit. Ipſe procul dubio in æterno ſponſi convivio, unà cum B. Mariâ Virgine Virginis Matre, Reginâque Virginum Agnum ſequetur, quocumque ierit. S. Laurent. Juſtin. de Regim. Prælat. c. 8.

S. MALACHIAS EP. 5. *Novembris.*

ADes turba literaria, &, ſi placet, euntem ad ludum puerulum MALACHIAM comitare. Vides ex viâ ſubſiſtentem, & paſſis brachiis identidem non Apollini ſed Numini ſupplicem? O plures ſic ad ſcholas itarent, ut plures inde Malachiæ redirent! Nunc unicum laudamus, qui Sacerdotio à Muſis donatus ſororem è piacularibus flammis facto ſacrificio exemit, mox patriæ (Hiberniæ) Epiſcopatum tulit. Verùm uti honor artes alit, ita invidiam provocat. Capiti MALACHIÆ plures inſidias poſuerunt, ut ipſius infulâ ſuum tegerent caput. Sed cælum pro virtute pugnavit. Nam dum MALACHIAS ad aſylon templum confugit, tempeſtas omnes ejus hoſtes fulminavit, laceroſque eorum artus hinc inde ſtipitibus arborum ad cogitati parricidii infamiam ſuſpendit. Sed & mulier, quæ linguam in Divum armaverat, putreſcere hanc ſenſit, ut oris virulentam infamiam graveolentia proderet. Alios oculorum orbitas, ferrum alios igneſque & dæmon malus ſunt ulti. Ita omnibus periculis ſubductum caput in tutas latebras Claram Vallem tulit, & ut ſecurum jam eſſet, cucullo abdidit. Morienti oculos clauſit D. Bernardus, quem quia præconem laudū etiam ſuarum habere meruit, non jam Achilli Homerum puto invidebit. *Ex S. Bern.*

Beatus,

Beatus, qui se ab omni maculâ purum atque integrum servat, ut cum fiducia in domum suam recipiat Regem gloriæ; qui cum reverentiâ ac tremore ad sacrosancta mysteria Servatoris accedit, seq; vitam æternam suscipere non ignorat. S.Ephrem in Beatitud.

S. ANDREAS FUNDANUS EP.

6.Novembris.

RECTÈ dixit, qui dixit primum ad lapsum gradum esse, occasionem non fugere. Id si homines inficias ire velint, ecce malí dæmones ultrò fatebuntur. ANDREAS omnibus virtutibus, sed castitatis laude inprimis clarus feminam domi suæ, privatus primùm, pòst Fundanus etiam Episcopus, habebat ipsam quoque DEO devotam. O, ut fumo semper ignis est proximus! Ibat Romam ex Campaniâ Hebræus nescio quis: deprehensus à tenebris ad Apollinis fanum divertit, & intempestâ nocte in senatum cum regulo suo frequentes coire orci principes videt. Hîc dum rem benè gestam singuli gloriantur, & alii alia facinora sibi quisque palmaria clamant; insolentior cæteris unus aliquis, & multùm nequitiâ suâ superbus, jactat id tandem magno molimine se effecisse, ut ANDREAS Præsul mulierculæ tergum molliter destringeret. Enimverò acclamatum ab omnibus est; & factum id multis Pluto laudavit, velutique jam de victo ANDREA triumphus decretus est tenebrioni. Sub ea in discedentium oculos Judæus incurrit; sed quòd aliena arma, Crucem, more Christiano objecisset, tantùm risere hominem, testam probè signatam, cæterà inanem dictitantes. Nempe hic rectà ad ANDREAM, qui Hebræo Christianis, & fano D.ANDREÆ Apost.trãscriptis, domo

domo abhinc omnes omnino mulieres proscripsit. Audite hæc aris devota pectora. Feminæ apud vos si exulaverint, ab exilio castitas redibit. *Ex D.Gregor.*

Ne sub eodem cum mulieribus tecto mansites, nec in præteritâ castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior; memento semper, quòd Paradisi colonum de possessione suâ mulier ejecerit. S.Hieron.Epist.2.

S. ENGELBERTUS EPISC. M.
7.*Novembris.*

CUnas, vitam, mortem, omnia in ENGELBERTO præclara reperio, & digna infulâ Colonienſi, quam ille, uti & libertatem Ecclesiæ, etiam contra cognatum sanguinem (audiant utinam hæc illi, qui Christi patrimonia sua putant, & in suos effundunt!) toto pectore propugnavit, ipsique adeò vitæ antehabuit. Neque enim alia ulla fuit causa Friderico Isenburgensi Comiti, & patrono ENGELBERTI, cur sub annum milleſimum, ducenteſimum & vigeſimum quintum, immissis sicariis ex itinere nepotem obtruncaret, parricidio tot sceleribus, quot vulneribus pleno, quæ quadraginta & septem erant. Nec verò minùs piè, quàm fortiter est mortuus ENGELBERTVS. Nam, ut taceam VIRGINEM solemni omnibus diebus Mercurii jejunio cultam, monitus per literas de insidiis, animum quidem confessione purgavit & lacrimis expiavit, cæterùm ut ne hostem proderet, igni literas damnavit. Fridericum deinde, cùm jam parturiret ultimum scelus, hospitio non semel cum suis excepit, neque comitem habere viæ abhorruit, utque malus Genius ex

ore

ore, alieno palàm fassus est, moriens Christo Christi verbis pro hostibus suis supplicavit, facultatem ob id nactus mira (quæ innumera sunt) patrandi. Sub idem ferè tempus lunæ geminam alteram lunam cœnobita vidit gladio insignem, ne dubitaret orbis, sideribus novum sidus ENGELBERTVM additum. *Ex Surio.*

Optimum vindictæ genus est, culpam ignoscere, & humanitatis beneficia non negare; mala pati, & stillicidia gratiæ communicare. Hoc supernæ Deitatis opus est, quæ quotidie innumerabiliter injuriis lacessitur, & sustinet; blasphematur, & non irascitur. S. Laur. Justin. de Casto connub. c. 18.

S. GODEFRIDUS EP. 8. *Novembris.*

COepit GODEFRIDVS in tempore (quinquennis utpote) ad sanctitatem inter cœnobitas conniti, Musis juxtà & pietate succollantibus. Anno ætatis XXVI. Abbas, inde Pont. Ambianensis, mirum est quàm benignum se miseris exhibuerit, tredecim quotidie de his epulo solitus excipere, ablutis suâ manu eorum pedibus; nihil utique alienum à summâ dignitate existimans, facere, quod prior Pont. Max. Christus fecisset. Et fortè bene magnum, & qui culinæ unicus superabat, piscem inde ipse asportaverat, donum leprosis stipem rogantibus. Ei rei cùm absens tunc succenseret posteà œconomus, illud modò respondit GODEFRIDVS: *Etiam atque etiam videret, illéne abundaret, an pauper Christus esuriret, rectiùs?* Et verò ut hunc tegeret, non dubitavit suis laciniis summâ hieme se spoliare, & mendicabulum his ditare, ipse contra frigora hâc unâ charitate satis armatus. Jam clementiæ in subditos illud sit argumentum,

mentum, quòd ad tyrannum, quem ob scelera templo proscripserat, per maxima itinera excalceatus contendit, & ad facinorum detestationem reum supplex in genua Judex invitavit: quin tunc etiam contumacem nihilominùs captivum posteà in libertatem asseruit. Quòd tamen cives Ambianenses monita ejus vel negligerent, vel contemnerent etiam, igneos urbi exercitus imminere vidit, interitum hujus, ut D. Firminus GODEFRIDO vaticinatus est, portendentes, qui non multò pòst reapse delapsis cælo flammis est insecutus. Nos, ne cælo DEVS ignes, oculis lacrimas rectè pluemus. *Ex Surio.*

Si tam solicitè corporalis fugìtur mors, ut nemo mori velit, quantum fugi debet æterna? Si momentanea rationabiliter sunt evitanda tormenta, quæ finem habent, quo animo fugienda sunt omnì fine carentia? S. Laur. Justin. c. 17. de Contemptu mundi.

MEMORIA CRUCIFIXI BERYTENS.

9. Novembris.

NImirum facilè CHRISTO cùm Carpo hodie credemus, velle illum iteratò pro nobis mori, si modò vivere nos velimus. Berytus civitas est Tyro & Sidoni contermina. In hâc sub annum DCCLXV. habitare inter spinas lilia, hoc est inter Hebræos Christianos, vidisses. Et fortè Christianus ædibus suis Judæo cessit, alioque migravit, oblitus secum ferre nobilissimam & ab omnibus retro majoribus acceptam hereditatem CHRISTI imaginem cruci suffixam, opus ab artifice manu ipsius Nicodemi commendandum. Spectasses in nepotibus suis antiquos Servatoris hostes, & non jam odii simulachrum, sed ipsissimum

mum veteris impietatis bellum. Iterum Christus vincula fert, & captivus triumphatur, agitur, raptatur. Iterum sputa volant, alapæ insonant, flagra crepant, spinæ se armant, clavi malleiq; intonant. Iterum fel, & felle suo acerbior lingua sævit. Denique (ô cæli patientiam!) iterum pectus ferro impio petitur; atque, ut ne aberrasse existimes, iterum fons geminus sanguinis & undæ fluit. Hic omnium morborum medicus febres pellere, lepram abstergere, claudos in pedes erigere, ipsis denique sceleris auctoribus oculos ita aperire, ut tam cæci nuper fidei tunc lumen aspicerent, miraculo hoc gratiore, quòd urbs tot jam Longinos, quot paulò antè Judæos numeraret. *Ex actis Nicenæ Syn. II.*

Cùm ponis oculos tuos, ut non respicias cælum: & voluptuosis carnis tuæ motibus moveris, durioribus clavis pedes Omnipotentis transverberans illi infers supplicium, dum momentaneâ voluptate voluntatem dominantis excludis. S. Pet. Dam. serm. 38.

S. THEOCTISTA V. 10. *Novembris.*

REctiùs hoc die Lesbos THEOCTISTAM, quàm olim Sappho suam laudat. Apage decimam Musam, quæ virgo non est. At quam scribimus, THEOCTISTA, inter virgines sacras à primis annis educata virginitatem etiam ipsa spirat, gratissimum odorem illi, cui odoratum mundus non abstulit. Et potuere THEOCTISTÆ libertatem eripere Arabes prædones, sed non pudorẽ proinde, ut qui numquam expugnatur, nisi ubi à proditore animo habitatur. Itaque cùm vivere inter latrones animorum se videret, in silvas aufugit horridas & metuendas, sed fidas semper virgini latebras.

latebras. Hîc ad templi rudera castissima Sacerdos preces cælo facere, corpusculum herbis, animum cæli deliciis pascere. Tandem cùm annos vixisset v. supra xxx. & veste jam defluente foliis pudorem tegeret, venatori visa est, pro monstro utique habenda, si vox & virtus non prodidissent. Texit tunc suis vestibus hic, & anno vertente cibo divino recreavit. Sed cùm à venatione denuò ad illam viseret, exanimem reperit, & de tam nobilibus exuviis manum sibi dexteram abstulit. Verùm cùm non nisi restitutâ hâc solvere è portu potuisset, narrassetque miraculum sociis, accurrerunt hi venerabundi, sed nihil quidquam præter virtutis vestigia invenerunt. Dubitarem à quibus ablatum corpus foret castissimum, nisi tumulari virginitatem ab Angelis Catharina doceret. *Ex Metaphr.*

Per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis: si enim spiritus piè sub Deo premitur, caro illicitè super spiritum non levatur: nam si auctorem suum superbiendo contemnit, jure à subjectâ carne prælium suscipit. S. Greg. l. 26. Mor. c. 13.

S. MARTINUS EP. 11. *Novembris.*

EXistimaverat MARTINVS Neophytus etiamnum, mediâ chlamyde suâ medium pauperem utcumque se texisse; sed insequenti nocte totum eâ se vestisse Christum vidit. Pont. Turonensis Divorum aspectu atq; adeò familiaritate, cæli præsertim Reginæ, inter Theclæ & Agnetis comitatum, jucundissimè perfruebatur. Bonorum Angelorum manu palam adjutus, malorum fana & simulacra subruit. Quanti Sacerdotii majestatem faceret, tunc ostendit, cùm eam Imperatoriæ

ante-

antehabuit, primumque in epulo poculum præbibens non Imp. Maximo, sed Sacerdoti suo porrexit. Quin ipsam Imperatricem famulam ad mensam habuit, & tum hæc se basilicè vixisse putavit, cùm micis, quas reliquas fecit MARTINVS, vesci potuit. Orci præstigiatorem, qui Christum mentitus, cætera habitu regio illi se obtulit, ita delusum dimisit, ut diceret, alium nullum Christum se nosse, præter crucifixum. Venienti ad se cùm Imp. Valentinianus assurgere negligeret, facere hoc assurgens è sede flamma coëgit. Extremùm æger in fugam iterum dæmonem malum egit, uti lubens moriturus, ita ad majores labores, si Numini placeret, porrò victurus. Sed placuit huic MARTINVM inter beatarum mentium plausus cantusque ad se evocare. Conditionis tamen suæ memor, non nisi cineri incubans mori voluit. At ex hoc cinere suus cælo Phœnix prodiit. *Ex Sulp.*

Ecce Redemptori minimè sufficit, quod in extremo judicio dicturum se perhibuit, Quod feciſtis uni de fratribus his meis minimis, mihi feciſtis; nisi & ante judicium demonstraret, quæ quisque nunc bona opera indigentibus exhibet, ei hæc specialiter impendi, cujus hæc amore exhibuerit. S. Greg. hom. 39.

S. CUNIBERTUS EP. 12. *Novembris.*

VTrumque CVNIBERTVS, & quî adolescens rapere in se oculos possit, & quid amare oculi in adolescente debeant, docebit. Nam si è pulchro corpore gratior venit virtus, gratissima è CVNIBERTO venerit necesse est, adolescentulo, in quo & forma rara, & indoles elegans, & mores suavissimi certamen de palmâ videntur suscepisse.

pisse. Me quidem judice his omnibus imperavit ultima in generoso adolescente animi demissio, quâ nobilissimus æqualium suorum flosculus ad infima etiam obsequia descendere non erubuit, neque jam aut calceos purgare, aut purgatos inducere aliis abhorruit. Talis facilè regis Dagoberti (cujus inter ephebos agebat) oculos cepit, tunc præsertim, cùm dormienti cælum inusitatâ luce advigilare perspexit. Nam post hoc ipsorum Superûm testimonium non potuit quin castissimè amplexatus dulcissimeque deosculatus CVNIBERTVM in filium rex adoptaret. Sed ambivit nobiliorem hereditatem cæli capax animulus, mundoque valere jusso, DEO & aris se addixit. Ab his ad Pontificatum Colonienſem evectus est, bonis utique avibus, quando sacrificantis caput ambire candidissima è cælo columba visa est. Obiit cæli delicium, & amor civium, anno DCLXIII. & amare se vicissim hos mortuus ostendit, cùm grassantem urbe ignem, & jam D.Petri basilicam expugnantem, pressit domuitque. Neque mirum hoc nobis videtur; majores & Veneris flammas puer jam vicit. *Ex Surio.*

His qui ex Deo sunt, omni te obedientiâ & humilitate substerne, ut, qui in te Christum quærunt, Christum inveniant, & in mansuetudine, quàm exteriùs viderint, auctorem mansuetudinis in tuæ mentis solio præsidere deprehendant. S.Pet.Dam.l.6.Epist.30.

S. MAXELLENDIS V. M. 13.*Novembris.*

SUpra & sexum & ætatem MAXELLENDIS Cameracensis virguncula sapuit, crepundia rata, quidquid magnum orbis oculis ostentat, & generoso fastidio omnia terræ nauseans, uni cælo arri-

arridens. Quid, quòd necdum viro, sed cælo tamen matura se lubens volens huic despondit? Itaque serò nimis posteà filiam in manus dare Hartuino juveni nobili & prædiviti parentes constituerunt. Noctem enim illa pro consultatione cùm petiisset, eique qui optima suaderet, Tutelaris Angelus interveniisset, in eam denique sententiam virgo animus ivit, ne detrimenti quidquam virginitas caperet, omnia & agere & pati, quin vitam potiùs ipsam quàm pactam Christo fidem prodigere. Nec multò pòst, duce pessimo amore, bellum movit virginitati Hartuinus, & cùm absentibus parentibus ædes castissimas expugnasset, proditę ab ancillulâ MAXELLENDI, & è latebris protractæ, ubi florem non potuit, vitam abstulit. Verùm, ut videret sub quo stipendio mereret, oculos eo ipso in loco amisit, nec nisi post tertium annum, quando ad tumbam virginis veniam sceleris rogavit, recepit, reapse id edoctus, quòd nequaquam Poëtæ mentiantur, tyrannum esse Amorem & cæcum. *Ex Surio.*

Hæc nostræ Christianitatis summa est, ut amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus: qui ergo fuerit patientior ad injuriam, potentior constituetur in regno. Non enim ad imperium cælorum pervenitur superbiâ & divitiis, sed humilitate, pauperie, lenitate. S. Maxim. serm. de S. Mich.

S. HOMOBONUS CONF. 13. *Novembris.*

FEcit HOMOBONVS nomini vitam respondere. Neque adeò huic rei conjugium, quo implicatus fuit, neque mercatura, quam exercuit, obstitit. Quin tum demum non sterilem se putavit, cùm patrem illum miseri appellarent; tùm lucrum

se feciſſe, cùm iis, qui neque unde perſolvant, habent, pauperibus rem credidiſſet. Multum illi eam ob rem uxor negotii faceſſivit. Sed huic identidem ille occinebat: neminem umquam quantumvis prodigum in egenos ad incitas redactum eſſe: plus dando accipi, quàm dari: tutiſſimum ærarium eſſe, pauperum ſinum: quod his detur, non donum ſed mutuum eſſe: quantum diſſolvere Superi differant, tantum fœnoris adcreſcere: & quæ demum mercatura lucroſior poſſit eſſe, quàm nummo cælum emere? Probavit hoc ſtudium Numen, cùm caniſtrum non magnum portentoſam panum copiam, fons etiam merum diſpenſatori miniſtravit. Adhæc poſitū in more habuit, concubiâ nocte templum precandi causâ petere, quod clauſum aliquoties cùm reperiſſet, nobiles illi Atrienſes Cælites aperuerunt. Ille numquam non vel ad magnæ MATRIS vel FILII effigiem cernuus jacuit, pulchrâ viciſſitudine, nunc ab ubere, nunc à vulnere ebrius. Certè ad CHRISTI in crucem ſuffixi pedes in templo vitam poſuit; cùm illa Angelorum verba (*Gloria in excelſis* DEO) homines canerent. Sed ille hæc ſuaviùs cani ab ipſis Angelis ſcivit. *Ex Surio.*

Nihil eſt dignius, quàm ut homo ſit ſui auctoris imitator, & ſecundùm modum propriæ facultatis, divini ſit operis exſecutor: nam cùm aluntur eſurientes, & veſtiuntur nudi, nónne auxilium Dei manus explet miniſtri, & benignitas ſervi munus eſt Domini? S. Leo ſerm. de Quadrag.

S. LAURENTIUS EP. 14. *Novembris.*

PArentem LAVRENTII noſtri fuiſſe ajunt Mauritium inter Hyberniæ proceres latiſſimè imperantem.

perantem. Ob id cùm oculi Regi Dermicio dolerent, Mauritius fidei suæ obsidem in filio, quem natu minimum & charissimum habuit, animum dedit. Et poterat suavissima pueruli indoles barbarum licèt cujusvis pectus expugnare. Unus Dermicius rex gratulatus sibi est, quòd ægrè denique patri in filio posset facere. Quare innocentissimam animulam vinciri jubet, & in insulam desertam asportari, squalore & sordibus reo utique quàm obsidi similiorem. Subjecit ea res justas iræ faces Mauritio, ut è satellitio regio duodenos etiam ipse vinctos abduceret morituro filio, nisi in tempore hic redderetur, omnes uni parentaturos. Mitiùs proin habitus, & in sacrorum hominum sinu eductus Abbas Glindalacensibus, tum Dublinensibus Archiepisc. datus, denique à Pont. ad omnem Hyberniam legatus est. Ergo omnium primò mores Canonicorum in pejus prolapsos ad Majorum regulam correxit, sui etiam severissimus censor. Nam corpus cilicio vestivit, & ter quotidie flagellari à familiari servulo voluit, carneque sibi, quoad vixit, interdixit. Interim ex egentibus numquam pauciores triginta quotidie convivas habuit, satis ipse jucundissimo hoc oculorum epulo pastus. Ultimò dum pacem paciscì inter Henricum Anglorum & Deriogum Hybernorum reges laborat, ab hoc Hybernià proscribitur, & in Nortmanniâ moritur. reperit in exilio patriam. *Ex Lippeloo.*

Multi simplices & humiles cælos penetrant; nullus verò arrogans, quamvis artium liberalium polleat scientiâ, ad cæleste admittetur convivium, tantoq; gravioribus cruciabitur pœnis, quanto nequiùs donum Dei tractaverit. S. Laur. Justin. de Casto connub. c. 14.

SSS. SAMONAS, GURIAS & ABIBUS MM. 15. Novembris.

TRiumpharunt tergemini Heroës isti Edessæ. Alii multa eorum miracula, nos unum narrabimus. Erat Edessæ matrona vidua Sophia, & huic filia Euphemia; illam virtus, hanc etiam formæ gratia commendabat. Sed & miles præsidiarius Gothus erat, qui oculis puellæ captus eò demum matrem perpulit, ut barbarum socerum quàm hostem mallet. Priùs tamen jurare sibi hunc ad Martyrum nostrorũ tumbam conceptis verbis voluit, eo loco habiturum se novam nuptam, quo socii thori fides juberet. Facile jurare militi fuit. Ergo in Italiam abducit Euphemiam, non dominam, ut ipsa rebatur, sed servam planè, ut qui domi conjugem pridem habebat. Huic insuper forma tam liberalis in ancillâ minimè placebat. Multò maximè libertus ex eâ natus displicebat. Itaque dolorem vultu & imperiis vindicat, partum veneno tollit. At Euphemia reliquias hujus ab ore filioli legit, meroque miscens novercam infantis Manibus inferias mittit. Ipsa utrique parentatura, tumulo hujus à cognatis includitur. Sed adfuere tandem fidejussores GVRIAS, SAMONAS & ABIBVS, & Euphemiam somni beneficio transvectam patriæ & parenti reddiderunt. Subinde & Gothus adest; rogatus à Sophiâ de filiâ & nepote, salvum utrumque & ab utroque salutem nuntiat, venturis utique, si gradum militarem gradi vel mulier vel infans potuisset. Verùm perfidiæ à productâ ex adytis Euphemiâ convictus capite pœnas dedit, & occidit ecce puer Amor, cui ingens Mars pepercit. *Ex Metaphr.*

Quid

Quid potest tibi mundus conferre sine JESV? *Esse sine* JESV *gravis est infernus; & esse cum* JESV *dulcis paradisus. Qui invenit* JESVM, *invenit thesaurum bonum, imò bonum super omne bonum; & qui perdit* JESVM, *perdit nimis multum, & plus quàm totum mundum.* Thom. de Kemp. l. 2.

B. ALBERTUS MAGNUS.

16. *Novembris.*

ALBERTVM, quem nobis Lawinga Suevorum dedit, MAGNVM fecit VIRGO MAGNA, in cujus clientelam parvulus se dedit. Atque hæc adspectabilis ALBERTO, monuit ad D. Dominici castra transiret. Ivit ALBERTVS; verùm quòd indolem ad studia tardiorem attulisset, penè stationem suam tiro deseruit. Jam fugam paranti & scalas admoventi cæli scala VIRGO iterum se objecit, utque animos ALBERTO faceret, jussit inter omnes & sacras & humanas scientias ejus optionem facere, quæ maximè animo arrideret. Ille continuò Philosophiam expetiit. Ne tamen sibi hanc ascriberet, repetituram se dona sua olim VIRGO edixit. Itaque ALBERTVS ille nuper omnium risus, per omnium ora nunc volare, Doctorque primùm Hildesheimii, tum Ratisponæ, Lutetiæ deinde Parisiorum, Coloniæ Agrippinæ, famâ nominis orbem implere. Sed omnia dixero, si D. Thomam unicum sanctioris doctrinæ magistrum, fuisse discipulum ALBERTI dixero, qui insulam Ratisponensem cùm primùm potuit cum libris suis mutavit. Sed ecce tibi dum in ultimâ senectâ orbis hoc oraculum responsa fundit, subitò deficiente rerum omnium memoriâ, obticuit, vivumque è scholâ funus discipulorum corona

domum cum lacrimis deduxit, quas ille etiam toties fudit, quoties aures MARIÆ nomen pulsaret. Porrò quotidie abhinc tumulum suum contemplari solitus, inscendit denique hunc anno M. CCXC. Vivit tamen hodie etiam in libris suis, & eruditionis suæ fontes ubera VIRGINIS laudat. *Ex Bavar. S. Raderi.*

Omnes actus nostri Christo socio debent vel teste compleri; ut bona ipso auctore faciamus, mala propter ipsius contubernium declinemus. Erubescit enim mala facere, qui scit Christum se habere participem: Christus enim in bonis adjutor est, in malis noster est conservator. S. Max. in Hom.

S. EDMUNDUS EPISC. 16. *Novembris.*

ANglos Gregorius Angelos dixit. Certè EDMVNDVS fuit. Hic nihil antiquius habuit, quàm eos fugere, qui animorum ipsissimi latrones, Pyladen tamen mentiuntur. Et fortè prato solus inambulabat, cùm videt formâ scitissimâ pusionem; capit salutem, redditque. Audit eum esse, qui latus suum in classe, & ubi ubi esset assiduus stiparet. Mox exaratum in fronte JESV nomen legit, & hoc tunc jussus est contra mortem inopinam memoriæ semper infixum ferre. Tam JESV igitur amicus ausus est sponsam MARIAM ambire; quod ut amor faciliùs impetraret, annulos sibi geminos fabricavit, è quorum gemmâ gemma altera MARIA ab Angelo salutata emicabat; horum altero VIRGINIS digitum, altero suum coronavit. Atque ita quidem ille pulchrè virginitatem suam obsignavit. Ceterùm cùm statas sponsæ suæ, & D. Joanni preces percurrere omisisset literis absorptus, ferulam Joannes intentavit

tentavit dormienti. Itaque à mediâ semper nocte AVRORAM MARIAM veneratus, tum demum sacra volumina ante eburneam illius imaginem lectitavit, non nescius ex hujus potissimum uberibus divinæ sapientiæ rivos scaturire. Archiepisc. Cantuariensis factus affirmavit, malle se in ignē, quàm in noxam labi. Exul moriturus, Mi JESV, exclamavit, te testem habeo, te præter nihil umquam expetîsse. Hujus vulnera tunc millies est exosculatus, pectus præsertim saucium, in quod etiam vitam expiravit, nobilem ad invidiam tumulum. *Ex vitâ.*

Si publica fama te non damnat, propria te conscientia condemnat; quoniam nemo potest seipsum fugere. Vis numquam esse tristis, BENE VIVE. *Bona vita semper gaudium habet; conscientia reorum semper in pœnâ est.* S. Bern. de Int. dom.

S. GREGORIUS THAUMATURGUS EP.

17. *Novembris.*

MIracula, quæ GREGORIVS patravit, pagellâ hâc circumscribere, novum foret miraculum. Famam castissimi juvenis traduxerat mulierecula; obsessa tamen à dæmone palinodiam cecinit, obsidione non nisi à GREGORIO liberata. Sub initia Pontificatûs magistram VIRGINEM MATREM, VIRGINEMque JOANNEM habuit, dignus his discipulus, utpote & ipse Virgo. Cacodæmoni oracula loquenti silentiū indixit, & fano proscripsit; pòst eidem ab exilio [illegible] tem per literas fecit. Ut fratres duo, quos lis de paterno lacu disjunxerat, in amicitiam rursum coirent, cedere omnem inde aquam; ut fidem testatam faceret, temploque exædificando locum,

montem aliò ambulare jussit. Iterùm Lyco flumini exundanti moram posuit scipionem suum, qui illicò frondescens ripam umbrâ suâ vestivit. Insequentis se sociumque hostis oculos ita precando fefellit, ut, quos impius quærebat, arbores crederet. Moriturus è suis septemdecim dumtaxat reliquit superstitioni deditos, cùm sub adventum suum non plures Christo addictos reperisset. Tumulum cum aliis sibi communem esse voluit, ne, quod vivus numquam fecerat, mortuus proprii quid haberet. Suspiciant alii hæc mira; ego de GREGORIO, quod de Malachia Bernardus, dico: inter multa magnaque miracula, maximum miraculum, quod fecit, ipse fuit. *Ex Gregor. Nyss.*

Si vis utiliter aliquid scire & discere, amare sciri, & pro nihilo reputari. Hæc est altissima & utilissima lectio, sui ipsius vera cognitio & despectio. De se ipso nihil tenere; & de aliis semper bene & altè sentire, magna sapientia est. Thom. de Kemp. lib. 1.

S. GREGORIUS TURON. EPISC.
17. *Novembris.*

ILle est GREGORIVS, cui nomen insula Turonensis fecit. Parentes illi è primâ nobilitate, nutrices à teneris annis Musæ fuerunt, quibus vicem ille tam posteà rependit, ut nesciam plúsne ille Musis, an Musæ illi debeant. Puer vitam, quam à patre acceperat, bis eidem reddidit, nec sine miraculo, cùm medicinam morituro nunc nomen Jesu ligno inscriptum, nunc alter Tobias piscis exta adhibuit. Ipse quoties ægrotavit (& ægrotavit sæpiusculè) è cælo medicos, vel D. Eligium vel Martinum habuit, cujus vitam rectè in templorum parietibus, sed multò rectiùs in animo

suo

ſuo depinxit. Sub noctem VIRGINI ſacrã, ædem hujus frequentari ab Angelis cum multo lumine vidit, & portâ ſponte ſuâ reſeratâ ipſe etiam admiſſus eſt. Tam charus cælo, caſtigatus ſcilicet ab hoc non ſemel eſt. Etenim ſomnum dormientis in natalitiâ Chriſti nocte Angelus alapâ diſcuſſit. Tam non poſſunt ferre Superi Epiſcopum dormientem. Jam ſimul ac lapſus eſt in neſcio quam gloriolæ vanæ cogitationem, equus etiam ipſe lapſus ſub GREGORIO reprehendit GREGORIVM. Itaque inpoſterum miracula, quæ plurima patrabat, non ſibi ſed Divorum lipſanis, quæ ferebat, adſcripſit. Congreſſus Romæ cum Gregorio Pontif. cùm hic viri ſtaturam (multùm animo minor erat) tacitè miraretur, non neſcius arcanarum cogitationum noſter, *Dominus*, dixit, *fecit nos; non ipſi nos*. Itaque maximi deinceps GREGORIVM ipſe etiam Magnus Gregorius fecit. *Ex Surio.*

Tres virtutes ſunt, quæ pueris adoleſcentibus magis congruunt, Verecundia, Taciturnitas & Obedientia. Non eſt autem dubium, ſi has ſtuduerint habere, quin poſſint, Chriſto duce, ad culmen perfectionemq; virtutum aſcendere. S. Bern. l. de Ord. vitæ.

SS. ROMANUS & BARULA MM.

18. *Novembris.*

PArabat anno Servatoris CCCI. Aſclepiades Procoſ. exſcindere templum Chriſtianorum Antiochiæ. Huic nimirum ROMANVS ſeſe oppoſuit, & dictis ſuis animos ſociis unicus addidit. *Nunc demum pugnandum pro Aris cogitarent. Hoſtem utique eſſe Aſclepiadem patriæ, qui huic* DEVM *ereptum iret. Pulchrum fore, ut aras defenderent, cadere ad aras litaturos. In quamcumque demum partem alea caderet*

pugnæ, victores Christianos futuros. Captus igitur velut seditiosus ROMANVS, & ex equuleo suspensus, cùm plumbatis cæderetur, ferreum se præbuit. Quin causæ optimæ fidens, ausus est ad teneræ ætatis testimonium provocare. Audiret vel ex hâc judex, Deúmne unum an dæmonas tot colere præstaret? Et ecce evocatus BARVLA infans penè non minùs fortiter quàm facundè pro DEO & ROMANO dixit, dictaque sua flagris & ipse concisus sanguine firmavit. Sic enimverò peroranti filiolo acclamavit è turbâ mater fortissima, quin inter tormenta sitibundum objurgavit etiam, quòd aquam rogaret, quando Superi sanguinem ipsius sitirent. Inde ad supplicii locum & dux & bajula filii caput abscissum & sanguinem, dulci urnâ, sinu excepit. At ROMANVM ad ignes damnatum patrocinante cælo imber absolvit. Quin linguâ orbatus innocentiam suam tamen priùs loqui non desiit, quàm strangulatis faucibus vox intercepta est. Sed & hujus Echo cum plausu cælo excepta. *Ex Prud. & Chrysost.*

Quid illi grave videri poterit, qui semper mente tractat quàm non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium? S. Bern. serm. 4. de Ascens.

S. ODO ABBAS. 18. *Novembris.*

OFficio suo fungi patres à patre ODONIS discant. Unicum & vix natum filiolum è cunis inter brachia in cælum sustulit, divoque Martino & sacris devovit. Dixisses assensum infantem, ita non tam lac maternum, quàm erga Martinum amorem suxit, qui scilicet cum puero deinde crevit,

vit, dum literis excultus inter Canonicos Turonenses est cooptatus. Sed cùm tunc etiam vanis poëtarum (& Virgilii præcipuè) commentis plus quàm piis commentationibus vacaret, per somnum vas vidit cumprimis elegans, sed serpentibus plenum. Monuit scilicet iterum cælum, quod ipse Maro, anguem ut juventus caveat in herbâ latentem, dum fraga legit. Noster deinceps precibus ad D. Martini noctes invigilavit: quò sæpiùs euntem cùm ex itinere vulpes infestarent, mirum dictu suppetias contra has lupus tulit, idē deinde ODONIS hospes, ædiumque non ridiculus jam custos. Sub hæc dum Lutetiæ Parisiorum ampliùs literis operam navat, ab ipso Greg. Pont. noctu calamum dono accipere visus est, quo magni Doctoris Moralia, ut ajunt, sparsa omnibus libris in unum corpus colligeret. Jam monachus laboravit tam diu, quoad monachum etiam pater, mater velum indueret inter virgines. Abbas Gigniacensis, mox Cluniacensis miranda & fecit & passus est, dum collapsam monasteriorum disciplinam erexit. Ad extremum æger Romæ impetravit, ut redire in patriam liceret. Ibi denique vitam posuit ubi accepit, ad D. Martini tumulum. *Ex Surio.*

Vis scire, homo, quid Deo debeas? quòd factus es, Dei creditum est; quòd es rationis capax, Dei fœnus est; quòd discretionem mali bonive possides, accepisti; & quòd vivendi normam acceperis, per chirographum legis stipulanti Deo spopondisti. S. Pet. Chrys. s. 94.

S. PATROCLUS CONF. 19. *Novembris.*

GEnus & origo PATROCLO humilis fuit, sed indoles næ generosa, quæ tum se prodidit,

cùm rus ad oves est ablegata, fratre Antonio ad ludum literarium amandato. Etenim cùm hic oblitus eodem ovo se prognatum, fratrem opilionem aversaretur Musarum pullus, tam ille succensuit silvis, ut relicto in his Pane ad Apollinis castra etiam ipse transfugerit, nec multò pòst ostenderit, non ingenio, non studio se fratri, solo fastu cedere. Ita hodie etiam videas convitiis (veluti ventis incendia) non extingui, sed ali artes. Cæterùm ab Apolline transiit ad sacra, ab his ad solitarium locum: & operam in erudiendâ juventute posuit, fuitque omne Minerval *una* DEI *gloria*. Inde quoque, ubi solum esse non permiserunt prodigia, in silvas aufugit, cùm loci ac sacelli heredes sacras virgines instituisset. Sed & silvæ miraculis coruscarunt viri, & dæmon pulsus ex hominibus passim per urbes famam PATROCLI ferebat. Pulsurus tamen vicissim statione suâ hostem veterator, cogitationem de reditu ad urbes ingessit. Hîc Tutelaris Angelus conscendere secum columnam jussit, indeque totam mundi tragœdiam, hoc est, furta, rapinas, adulteria, ac denique horum omnium epilogum interitū jussit spectare. Dedit lacrimas arbiter ludi PATROCLVS, nec placuit jam spectare, minùs agere fabulam tam funestam; quin totus mundo ut exiret, ad cælum abiit. A morte pluribus cæcis oculos aperuit: utinam nobis etiam, quò nempe mundum iis, quibus ille, oculis aspiceremus! *Ex Surio.*

O prævaricatores revertimini ad cor, intelligite non intelligentes, quia omnes mundi promissiones seductoriæ sunt, omnes blanditiæ venena, cunctæ delectationes pocula mortalia, viæque illius sempiterna mors. S. Laur. Justin. Lign. vit. de Fide c. 1.

S. ELI-

S. ELISABETHA VIDUA. 19. Novemb.

AGe superbe, qui deficiente animo ELISABETHAM ad Servatoris Christi effigiem vides, audi etiam quæ dolor intus loquitur. *Nimirum me terræ pulviſculum purpura involvit, tu, mi Chriſte, heu! nudus meam erubeſcis vicem. Mihi corona auro & gemmis, tibi ſpinis & ſentibus riget. Ego pulvinaria calco, tu locum capiti circumſpicis, nec, heu! invenis. Me aulæ ſervitia vallant, te ſoli hoſtes ſtipant. I, purpura; rectiùs ſanguis me Sponſi pinget. Ite gemmæ; nobiliores ſub cruce legam. Abi gravis auro corona; roſas è ſpinis nectam. Tollite pulvillulos; crux, Sponſæ erit lectulus. Secedito amicorum cohors; dolores me rectiùs ambient.* Hæc inquam tantum apud ELISABETHAM potuêre, ut jam ſe ipſa ſuperbior omnem pedibus mundum ſubderet, totamque miſerorum ſe ſervitiis addiceret. Ergo igitur extructo quàm ampliſſimo xenodochio, ingentis familiæ mater nongentis quotidie victum ipſa miniſtrare, aquam capiti pedibuſque affundere, ſordes abſtergere, ipſa adeò fœdiſſima ulcera nobiliſſimis oſculis honorare. quid? quòd conjuge è vivis erepto, arce pulſa omnes injurias ipſamque famem forti animo concoxit, damnatiſque regiis fuſis pulchriora ſibi ipſa è cælo nevit. Intereà apud Deum omnia potuit, & matrem exemit è piacularibus flammis, juvenem verò nuper ab impuris ignibus ardentem ſanctioribus cæli amoribus tantùm non emori fecit. Morienti ut aliàs ſæpè Chriſtus adſtitit, & accinuere Cælites aviculam induti. Bonis igitur avibus è vitâ abiit. *Ex Iacobo Montano.*

Si deſideras Deum videre ſublimem, humilem priùs

JESVM videre curato : intuere priùs exaltatum serpentem in deserto, si videre desideras Regem in solio residentem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet humiliatum: reprimat ista tumorem tuum, ut illa repleat desiderium tuum. S.Bern.serm.1.de verb.Isaiæ.

S. DASIUS MART. 20. *Novembris.*

ID quod palàm hodie, & sine larvâ dæmon facit, hoc jam olim fecit Saturnum mentitus. Voraverat hic plùs quàm inhumanâ ingluvie filios suos, & viscera sua in viscera crudeli dente congesserat. Scilicet divinitatem hæc impietas meruit, cui deinceps orbis puerorum sanguine ac morte litaret. Et tenuit hic mos non unam ætatem, atque Christiana sæcula etiam infamiâ suâ asperſit. Ita Dorostorum urbs scelere, quod nec, qui alluit illam, Ister satis eluet, annis singulis ipsum juventæ florem principemque infando sacrificio immolabat. Ut verò eò pulchriùs hoc adornaret, xxx. omnino dies omnibus deliciis victimam infelicem saginavit, utque splendidiùs periret, purpurâ auroque induit, sic inter risus potiùs quàm gemitus morituram. Atque hæc sors cùm DASIVM formæ omnis compendium nominasset, invitatus scilicet ad patria sacra, palàm detrectavit non mortem, sed causam mortis. Nam qui Saturno noluit, rectè Christo victima procubuit. Exhorrescitis, scio, parentes infanda hæc sacra : at quid aliud paratis, quàm orco victimam, cùm filios voluptatibus frangitis, vestium luxu corrumpitis, & in patriæ conspectu indulgenti amplexu perimitis, ipsissimi & heu ! inter medios Christianos, Saturni? Quàm rectiùs, filios Christo, cùm hic parvulos ad se vocat, non negaretis?

retis? *Ex Menæis & Menolog.*

Homo redi ad Deum sic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te, qui se totum propter te ad suam deduxit injuriam: & voca patrem fidens, quem tanto amore tuum probas, sentis, intelligis esse genitorem. S.Pet.Chrys.serm.70.

S. EDMUNDUS MART. 20.*Novembris.*

ALter EDMVNDVS rex est; altera Angliæ gloria. Hic anno DCCC.LXX. cùm Jugar Daniæ rex, vastitate Angliæ ingenti illatâ, misisset, qui regias gazas veluti suæ jam victoriæ præmia, nî totas mallet amittere, dividere secum juberet, fortiter respondit. *Nulla se latronibus stipendia numerare solitum: liberum se & regem meminisse, neq; aliter, cùm vires starent, partiturum divitias suas, quàm ferro fuisse. Nunc post lacerum regni corpus quid capiti parceret? plebeio sanguine huc usque ebrium rectiùs regium hausturum. Tum denique se extincto totam hereditatem adiret. Inter spolia Numinis iram etiam, & vindictam reperturum.* His in majores jam iras versus Jugar captum non regiis catenis oneravit; flagris deinde servilem in modum acceptum, scopum esse militum sagittis jussit; demum caput auferri, aliter à cælo jam coronandum. Porrò hoc feris in pabulum inter dumeta abjectum præclarus jam denique custos lupus tutatus est, & cùm caput suâ voce se quærentibus prodidisset, etiam funus mœsto ululatu prosecutus scribitur. Tyranno in lupum abeunte, lupum in hominem rediisse dixisses. Sed & caput corpori suo redditum integrumque à tabo longè pòst repertum ajunt; quin barbæ capitisque pilos succrescentes quotannis detonsos esse. Et dubitabimus porrò

virtutem

virtutem etiam post mortem vivere? *Ex Surio.*

Sicut Christi milites, depositio corporis animæque torpore, virtutum procedamus ad campum: dedimus corpori annum, demus animæ dies: impendimus nobis tempora, tempus deputemus auctori. vivamus DEO *paululũ, qui sæculo viximus totum.* S. Pet. Chrys. s. 12.

PRÆSENTATIO B. MARIÆ V.
21. *Novembris.*

HEus! ad spectaculum hodiernum omnes vos in orbe parentes voco, liberos omnes. Ne dubitate oculos adferre, cùm, ut hos pascant, effundere se cælo, & convolare Superos videam, videam arridere, acclamare audiam. Ecce TRIMVLA VIRGVNCVLA, Judææ delicium, patris & matris amor, spes familiæ unica, unica fessæ ætatis virga, hæc inquam talis ac tanta, è parentum sinu & brachiis non ad Veneris alicujus gynæceum, non ad nuptias, quas cunis promittere amant patres; sed ad castissima vota, ad templi adyta deproperat, evolatque ad aram, ipsa mox templum, ipsa Numinis ara futura. Assentiuntur intereà Joachimus & Anna, & filiæ sibique plaudunt. Quid hîc nostra ætas? Nimirum pereat flos virgineus, ne stirps avita: intereat pudor, ne familia. Lacrimentur Angeli, modò nepotes rideant. Sit vacuum incolis cælum, modò domus non heredibus. Si quid pulchrum in liberis, si quid ingenuum & liberale, aulæ hoc debetur genio, mundi servitio mancipatur & carnis amplexibus. At si quid monstri nascitur, illud demum, ajunt, in claustra Religiosa (desertas insulas cogita) exportetur. Si quid bardum, blæsum, luscum, claudum, hoc hoc cellâ occultetur, silentio monastico

monastico corrigatur, cucullo abscondatur, togâ involvatur. Deus sibi habeat, quod nemo hominum velit: Christus domum ducat, quas thalamo omnes terræ filii excludunt. Erubescite parentes, & ruborem vestrum in speculo, in vultu Joachimi & Annæ, hodie corrigite.

MARIAM *ô fidelis anima imitare. Castis Deo inhære amplexibus, devotionis gemitus emitte, amoris prome carmina, & ignitæ laudis sacrificium exolve: eris proculdubio pudicissima turtur eò speciosior, quò frequentiùs his amoris præludiis inhærebis.* B.Laur. Justin. in F.Pur.B.M.V.

S. COLUMBANUS CONF. 21.*Novemb.*

ECce sub pedibus filii triumphatam matrem. Quid oculos avertitis filii molles, si Deus arridet? Nimirum sic pugnandum est, cùm mater in filium movet, non jam mater, sed hostis; cùm lacrimæ classicũ canunt, tela volant verba melle illita, trabales è pectore sagittæ gemitus veniunt, ferreum pectus penetraturi; cùm insidias ubera detegunt, & uni tota acies (mater) se opponit. Perrupit tamen COLVMBANVS, & quod Christi militi Hieronymus suasit, per calcatam matrem ad victoriam sibi iter stravit, Religionique opima spolia ex parente tulit. Domito cognato hoste, quid mirum si virtuti lupi cesserunt; quos inter duodenos obambulantem COLVMBANVM ovem aurei sæculi putasses: sed & ursus antrum suum cessit fortiori. Unus Theodoricus Galliæ rex monitis piis ausus est resistere, sed suo & posteritatis suæ interitu. Hoc igitur etiam triumphato, dux COLVMBANVS eorum factus est, qui in parentes cælo auctore pugnant.

His

His castra ille struxit cœnobia, &, ne commeatu destituerentur, precando nunc crescere in horreis, nunc in manu annonam fecit. Ut verò in obsequio Tirones exerceret, ægros è lectulo surgere & flagellare frumentum jussit. Et verò laboris fructum sanitatem tulerunt. Mitto alia mira, sed non illud; ut subjicere Christo plures animas allaboraret COLVMBANVS, Angelum illi Tutelarem in membranâ orbem (magnum virtutis stadium) ostendisse. Quid, ah! quid nos igitur agimus, quibus non jam unum, sed geminum stadium, geminum inquam orbem, Superi explicant? *Ex Ionâ.*

Navem corporis nostri solvamus à littore mundano, sæcularis patriæ renunciemus curis, in Crucis arbore tota mentis vela tendamus, virtutum funibus, sapientiæ remis, gubernaculis disciplinæ navigii nostri muniamus incessum. S. Pet. Chrys. serm. 8.

S. CÆCILIA V. & M. 22. *Novembris.*

SI quæris, quod intercinentibus organis CÆCILIA carmen dederit, illud respondeo, quod unæ, quæ Agnum sequuntur, virgines sciunt modulari. Itaque quo die homini in manus danda erat, nuptialem vestem cilicio astrinxit, quo nobiliorem virginitas non habet zonam. Noctu sponsum Valerianum monuit, caveret pudori suo manus inferre, cujus longè fortissimum custodem è cælo Angelum haberet. Hunc coràm intueri cùm ille percuperet, suasit impuros à superstitione oculos sanctiori prius baptismatis undâ abluere. Eluit, & voti mox compos formosissimum multâque luce vestitum Ephebum vidit: qui serto nobili utrumque coronavit, & precantes miro odore

odore perfudit. Et fecit hic odor post Christum currere etiam Tiburtium Valeriani germanum, amboque ita in stadio Christiano cucurrerunt, ut bravium Martyres obtinerent. CÆCILIA è balnearum, quas tyrannus succenderat, flammis pulchrior, tribusque in collo vulneribus velut totidem monilibus ornatior, cùm triduum supervixisset, ædesque suas in templum vertisset, Martyrum vestigia velut paranymphorum insistens, cælum & ipsa petiit, & Agno denique nupsit minimè sterilis virgo, ut quæ moriens uno partu Christo cccc. peperit. *Ex Metaphr.*

Sunt plurima, quæ Angelis placent, & eos in nobis invenire delectat; ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, crebri in cælũ gemitus, & orationes cum lacrimis & cordis intentione. Super omnia unitatẽ & pacem à nobis exigunt Angeli pacis. S. Bern. s. 1. de S. Mich.

S. CLEMENS PAP. M. 23. *Novembris.*

PRodiit CLEMENS è D. Petri scholâ: virtutis primò magistri, tum insulæ etiam heres inter Pont. Max. tertius numeratur. Impietatis sub Trajano accusatus, & in exilium ultra Euxinum Pontum deportatus, munere suo nec in eâ quidem fortunâ oblitus est fungi, docuitq; bis mille Christianos, quos ad latomias tyrannus damnaverat, præter saxa è terrâ patientiam eruere, ad quam verbis & exemplo erexit, & miraculis firmavit. Etenim cùm aquæ dulcis penuriâ laborarent, eamque petere per VI. milliaria cogerentur, CLEMENS è proximo manare copiosam jussit, cùm ipse Servator familiarem sibi Agnum indutus dextro pede & omine fontis indiciũ feciſſet. Portò cum aquâ longè lateque miraculũ emanavit.

Et

Et jam ad trecenta milliaria fana Deorum evertebantur, undiſque ſanctis quingenti quotidie tingebantur; cùm denique Procoſ. Aufidius Pontificem anchoræ illigatum in mare præcipitavit. Emicuit tamen ingens animus, & ad portum cæli enatavit. Ad preces deinde Chriſtianorum mare ceſſit ad tria milliaria, ſtructumque in imo à Cælitibus Martyri templum tumulumque è marmore oſtendit, iterato quotannis deinceps hoc miraculo: quod auxit puer quandoque à parentibus per errorem illic relictus, annumque totum incolumis ſervatus. Fruſtra igitur tyrannus mergere laudes CLEMENTIS mari voluit. Anchoram ſuam Martyr cælo fixit. *Ex Metaphr.*

Ecce beatus Clemens homo erat ſimilis nobis, & carni ſuæ eodem vinculo naturalis affectionis inhærens; ſi ergo ille calicem ſalutaris accepit, quid nos retribuimus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? eâdem certè inſignivit imagine, eodẽ ſanguine nos redemit. S. Bern. ſerm. de S. Clem.

S. TRUDO CONF. 23. *Novembris.*

IN Haſbanienſi agro ſpinas inter, hoc eſt, divitias patrias, educatus floſculus TRVDO ſuffocari tamen minimè potuit. quin caput ſupra nubes puer tulit, eoque altiùs, quò profundiùs in ſe deſcendit. Itaque ſervulis ſuis inſervire dominum TRVDONEM vidiſſes. Quam virtutem ut tegeret, viliſſimos corpori veſtiendo pannos injecit. Porrò omnia etiam quæ per ludum egit, egit ſeriò. Quare cùm tumultuario opere & congeſtis temerè ſaxis ſacellum extruxiſſet, futuri operis ſui hoc typum & votum voluit eſſe, quod reapſe poſteà in provectâ ætate perſolvit. Placuiſſe &

operam

operam & artificem puerum, cælum ostendit, cum mulieri improbæ ædificium ludicrũ disturbanti oculos eripuit: quos tamen, ubi primùm fanius animo vidit & agnovit, reddidit TRVDO. Egenis tam favebat, ut suas cum illis vestes communes haberet, &, ut illos indueret, se his exueret. Talis Angelo bono adhortante patriam fugit, & cælesti disciplinâ ampliùs erudiendus concessit ad Tungrensem Episcopum Remaclum. Profectum cælestes in vitâ radii, à morte odor & prodigia alia complura prodiderunt. ex quibus illud memorabile inprimis est, quòd cognatum, qui contra vota cælo facta in thalamum sponsam induxit, virgâ castigavit per somnum, claudumq; reddidit adulterum Amorem patri suo deinceps Vulcano in hoc similem. *Ex Surio.*

Beatus qui puris cordis oculis Deum semper intuetur, quique bonis ac honestis colloquiis delectatur, & à pravis ac turpibus, quæ bonos mores corrumpunt, abhorret; quoniam minimè fiet diaboli mancipium. S. Ephrẽ de Vita spirit.

S. FIRMINA V. & M. 24. *Novembris.*

ITerum ecce terra astris nubit: iterum dos sanguis virgo, & arrha cælum est: iterum Cælites sunt paranymphi. Nomen si nosse sponsæ cupis, FIRMINA est, Calphurnii Urbi Præfecti filia, & digna tam magnâ fortunâ; quæ ut amoribus tam castis liberiùs vacaret, deseruit Urbem, & Ameriam habitavit. Sed ubique castitas insidias incurris; una tibi tota vita lucta est. Invidet Christo sponsam suam homo Olympius, cui Ameriæ præfectura tunc erat demandata. ad cœnã & nuptias invitat, renuentẽ thalamo includit adulter procus.

Quid

Quid ageret captiva Christi nupta? precibus pugnat; cælum miraculis. Etenim cùm Olympius jam in exosa amoris vincula manus stringeret, obriguere eousque hæ, dum castitati victas daret, & Christianam fidem cum totâ familiâ (centum erant & quinquaginta) amplecteretur, cujus pulchritudinem ingens, quod è cælo affulsit, lumen attonitis ostendit. Et jam ecce primus pro castitate & fide Olympius occumbit, ex Christi rivali paranymphus factus, habuitque socium torrorem non absimili miraculo sociatum. Sic præeuntem non invita jam secuta est FIRMINA. Viam flagra stravere verberaque, &, quas inter expiravit, faces lateri admotæ. Itaque has etiam rectè nuptiales fuisse dicemus. *Ex Ferrar.*

Melius est habere malorum divortium, quàm consortium; quia sicut bona multa habet laudabilis vita & conversatio sanctorum, sic plurima mala societas affert malorum, quam quicumque tenuerit, continentiam numquam tenere valebit. S. Laur. Just. Lign. vit. c. 5.

S. MERCURIUS MART. 25. *Novembris.*

AUdete milites: non excludit vos cælum, si quam aliis vim, etiam huic facitis. Fecit MERCVRIVS, qui malè Decio primùm, sed benè pòst Christo militavit. Cùm enim in ipsâ acie de Angeli sui Tutelaris manu gladium accepisset, quo hostium benè magnam partem trucidaverat; non moratus est sub illo deinceps mereri, qui optimum stipendium certam victoriam numeraret, quam ille etiam contra Decium reportavit. Quid enim? Superi! quatuor palis alligatus, distractusque, abstrahi tamen ad tyranni partes non potuit. Suspensum è capite saxum ipse pedes suspensus,

velut

velut fascem suum generosus miles portavit. Sed neque ignes horruit, & plagas pro Christo etiam iversas adversas putavit. Exilium velut missionē iccepit. Caput spiculatori velut Imperatori conandum porrexit. Illud inprimis memorabile, quòd MERCVRII operâ, etiam cùm in cælo jam geret, VIRGO MATER sit usa. Nam ajunt D. Basilium ante VIRGINIS effigiem Juliani impietatem accusasse, hanc capitis in tyrannum sententiam dixisse, & ad id ablegasse MERCVRIVM; à quo ille confossus haustum è vulnere cruorem cum hâc impiâ voce in cælum ejaculatus sit: *Vicisti Galilæe:* rem omnem ab absente tunc Martyris hastâ & postrîdie cruentâ proditam esse. Atque hoc puto etiam Sodalibus aurem vellicabit, quæ semper MATER audit, etiam nonnumquam eam judicem esse. *Ex Baron. & Metaphr.*

Audes aperire os tuum, & in cælum juramenta atque blasphemias emittere? & non times ne fortè falx ignea, quam Propheta vidit, demoretur in domo tua, teque excidat, qui sic audes aperire os adversus Deum, in quem Angeli non audent oculos conjicere? S. Ephrem paræn. 43.

S. CATHARINA VIRG. & MART.
25. *Novembris.*

PAlladem Christianam damus, CATHARINAM inquam, fortissimam virginem & sanctiorum Musarum dignissimam Præsidem, non ægide aut hastâ mendaci, sed rotâ fractâ & lacteo gladio formosam. Ausa est hæc una ex omni Alexandriâ Diis sacrificantem Maximinum interpellare, stultitiæque propalàm arguere, quin captiva cum quinquagenis Philosophis pro Christo

in

in arenam descendere. Et fassi sunt tot viri à virgine se victos, & in flammas abjecti, manus Deo, & palmam CATHARINÆ dederunt. Illuc CATHARINA etiam Imperatricem, quæ ad vinctam inviserat, carcerique præfectum Porphyrium cum suis præmisit. Ipsa ultima cum tyranno commissa primas tamen abstulit. Nam carceris tenebras cur non suspexisset, in quibus præsentem illi licuit Christum aspicere? Jam verbera ac plagas facilè tulit, cùm idem, ut promiserat, robur suppeditaret. Negatum verò undecim ipsos dies cibum potumque etiam contempsit, cùm commeatus è cælo suppeteret. Quid? ingeniosam in tormenta rotam, velut melior fortuna calcavit. Denique virum (ut nobilis ævi nostri Poëta ait) credidisses, nisi cùm caput ensis abstulit, virginem lac, quod pro sanguine fluxit, prodidisset. Meruit tanta virtus ab Angelis in monte Sinâ tumulari, & è tumulo hodie etiam CATHARINA oleum terris dividit; ut quod de suâ Pallade finxit antiquitas, de nostrâ sine mendacio possimus affirmare. *Ex Metaphr.*

Virgo Christus est, & Virginis filius, & virginem conjugem vult habere. Tu si habes Angelicam (plus dico vobis) Christi Matrisque suæ gratiam, hilarescе, tripudia, & in amplexus Christi gestiens, illud amatorium clama suspirans; Osculetur me osculo oris sui. S. Bern. in Euang. de 10. virg.

S. CONRADUS EP. *26. Novembris.*

CONRADVS insulam Constantiensem accepit à D. Udalrico Augustanorum Præsule. Fuit cùm uterque cœnam frugalem sanctis de Deo sermocinationibus aspergerent. Et erat is dies Jovi dicatus.

dicatus. jamque protracto ultra mediam noctem colloquio is expiraverat, Veneriqúe cesserat; cùm fores nuntius pulsat, admittitur, auditur, & pernæ frusto ab inadvertente donatus dimittitur. Nimirum, ajebat ille ad alios, hoc est, in Veneris odium carnem edomare; simul carnem è sinu parabat producere, cùm ecce piscem ostentat, jamque pisce suo magis mutus se ipsum damnat. Inambulabant aliàs animi causâ, & cadentes ex alto Rheni aquas arbitrabantur; cùm geminas inibi animas volucrem indutas torqueri cognoverunt. Vix pro his ad aram fecerunt, & ad cælos visæ sunt evolare. Ceterùm CONRADVS priusquàm obiret, GEBHARDO nobili adolescenti sedem suam insidenti vates fuit, seriò id post se facturũ, quod nunc per ludum faceret. Dum ad aram sacrificat, delapsus araneus in calicem se infert. quid faceret? eodem poculo & vita & mors propinabantur. Bibit tamen, & imperterritus à sacris mensæ accumbit. Ibi omnibus admirantibus ex ore araneus innoxius exit, meritò pedem efferre jussus à mensâ, quem invocatus intulerat. *Ex Membran. Eccl. Const.*

Opera misericordiæ, affectus charitatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis semper tenenda sunt; sive cùm in publico sumus, sive cùm in domo, sive ante homines, sive in cubiculo; sive loquentes, sive tacentes; sive aliquid agentes, sive vacantes. S. August.

B. SILVESTER CONF. 26. *Novembris.*

OCulos & aures advertite omnes Veneris columbi, & quam vos in aliis, in vobis alii depereunt faciem, in alienâ cum SILVESTRO con-templa-

templamini. Auximi natus in Piceno vivebat, imò moriebatur SILVESTER, formarum elegantium idem amor atque amator. Fortè sepulchrum vespillones aperuerunt, adolescentis nobilitate & divitiis inclyti, & formâ dum viveret ad miraculum exculti. Hujus spectaculi arbiter SILVESTER, cùm occidisse oculorum tam lucidas stellas, defluxisse turpiter aureos illos capillos, turbatam putore illam frontis serenitatem, expirasse illam oris ambrosiam, illum genarũ dulcissimum risum, illum denique, quo tota urbs ardebat, ignem omnem in pauculos subsediſſe cineres videret; *Heu mihi!* exclamavit, *nisi cum mente sanâ oculos etiam abstulit Venus, in hoc speculo meum video vultum. Video planissimè. Sum, quod hic fuit: & verò ero non multò pòst, quod hic est.* Verba hæc gemitus interruperunt, lacrimis deinceps loquentibus. Jamque patriâ relictâ solus deflere incepit, quòd cum multis peccaverat. Mox hujus etiam instituti socios invenit, quos undique miraculis accivit tenuitque. Namque, quos fiendo ipse corrumpebat oculos, reddidit aliis amissos: quamque bibebat aquam, vinum aliis non semel voluit esse. Denique quid multis? rectè vivere à mortuo didicit. *Ex Ferrar.*

Inclinemus nos, & oculos in sepulchra dejiciamus, & naturæ nostræ mysteria cognoscemus. Confusos ac permixtos ossium acervos & calvarias carnibus exutas intuebimur; hæc intuentes nos ipsos in illis, tamquam in speculo, contemplabimur. S. Ephrem de Vitâ spir.

S. JA-

S. JACOBUS INTERCISUS M.
27. *Novembris.*

IACOBVS inter proceres Persarum facilè princeps, regiq́ue Isdegerdi unicè charus, ut huic fidem suam probaret, Christo datam abjuravit, communi aulicorum vitio abreptus, qui hodie etiã quosvis mores in rege DEOS putant, & DEOS adorant. At mater conjunxq́ue JACOBI, nobilis utraque & Christiana matrona, non ferendũ facinus ratæ, literas dignas se ad eumdẽ scripserunt. In his & sinu mater & thalamo conjunx proscribebant. Neque enim mater agnoscere ajebat se filium præter eum, qui suo in vultu patris matrisq́; vultum, hoc est, Christianum, ostenderet. Ubera sua si bibisset, spiraturum, quam cum lacte instillasset pietatem. Scire cælo se filium genuisse, non terræ, qui Superis bellum indiceret. Abortum proinde esse, quem nunc Jacobum dicerent, ideoq́ue abjicere hunc sese. At conjunx desperare se de thori socio scribebat, qui ipsam fidem adulterasset; nimirum qui hanc frangere immortali DEO non dubitasset, mortali servaturum; sanctamq́ue castitatẽ habiturum, qui Numina Venerem adulteram, qui vagum Amorem coleret? Qui igitur & filium & conjugẽ exuisset, nomina quoque tam splendida poneret, nec alius dici quàm esse vellet. Habuere momentum literæ, amore dictante & lacrimis suggerentibus atramentum scriptæ, & recepit meliorem mentem JACOBVS, palamq́ue Christianum iterum se confessus, novem horarũ carnificinâ, manuum primò pedumq́ue articulis, tum brachiis surisq́ue, ultimò capite truncatus atrum factum nuperum omni san-

guine obliteravit. *Ex Niceph.*

Dignus planè est morte, qui tibi Domine JESV *recusat vivere, & mortuus est: & qui tibi non sapit, desipit: & qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, & nihil est: denique quid est homo, nisi quia tu innotuisti ei?* S.Bern.serm.20.in Cant.

SS. BARLAAM & JOSAPHAT CC.
27.*Novembris.*

ETiam Indis pulchra jam olim fuit juventus. Princeps hujus memoratur JOSAPHATVS regis Abenneris filius, voluptatibus ab ipsis cunabulis innutritus, & ne, quid miseria humana esset, vel nosse posset, procul ab oculis aliorum, inter omnes illecebras educatus. In tam blando carcere agentem adiit BARLAAMVS Eremi incola gemmarum mangonem præseferens. Certè nobilissimam illi gemmam fidem vendidit. Mox cùm deambulatum produxisset cupidum, in homine primùm mendico, tum leproso, in decrepito denique sene ad eum diem numquam visis, mundi vultum & ementitum colorem, velut in minimè mendaci speculo ostendit. Laborabat itaque nec quidquam parens, vel ad Deos filium, vel ad voluptates iterum abducere. Frustra absente BARLAAMO nescio quis impostor, qui vultum hujus quàm simillimè referebat, alia velle docere aggressus est; cùm ita Numine volente palàm pro Christo loqui lingua subdola cogeretur. Frustra & Theodas magus ab orco auxilia evocavit, & regia puella blanditias admovit, cùm JOSAPHATVS, ostensis ab Angelo cælitum & inferorum sedibus, pluris orci pœnas, quàm minas, pluris cæli gaudia, quàm carnis fallacias faceret. Tandem in melio-

meliorem sententiam cùm patrem etiam abduxisset, hoc mortuo, regnum alteri cessit, & quam inter homines minùs poterat, inter feras angelicam vitam, annos v. supra xxx. vixit. Accepit tamen tumulum cum magistro suo in regiâ urbe, cui tunc primùm mortuus videbatur, cùm ille jam olim fuisset. *Ex Ioan. Damasceno.*

Salutem tuam medicus quærit, qui errantem ovem convertit, qui ad malos & bonos vocandos ad bivia misit. Ecce & nunc tibi vendit regnum cælorum: si non habes obulum, unde emas, eme gemitu: fragmento pavis cælorum regnum tibi retribuitur. S. Chrysost. hom. 22. ad pop. Antioch.

S. STEPHANUS MART. 28. *Novembris.*

STEPHANO huic tempora cognomen Junioris fecerunt. Natus est post votum VIRGINIS imagini, quæ Blachernis colebatur, à matre factum. Monachus non tamen Reipublicæ non profuit. Pugnavit è latebris suis fortissimè in communem Divorum hostem Copronymum; tum præcipuè cùm in templum Blachernense (cunas STEPHANI) debacchatus barbarus furor est. Tunc, inquam, STEPHANVS pro Matre & DEI & suâ pugnaturus prodiit, & producto in conspectu tyranni nummo, qui imaginem ejus præ se ferebat, ostendit facilè augustissimas etiam DEI Divorumque imagines honore debito colendas esse. Igitur insidiis appetitus, & impuritatis à mulierculâ mendaci accusatus, è spelunca suâ ad tribunal, inde in exilium abducitur. Ibi quoque cùm imaginum cultum multis miraculis tueretur, vinctis à tergo manibus in publicos carceres reducitur, sex panis uncias & tres scyphos in hebdomades singu-

las matronâ Christianâ subministrante. Quòd tamen cæli Saturnalia instare sibi certus esset, hæc etiam vitæ fomenta XL. ante mortem diebus respuit, & cùm icones Divorum (tota illi hereditas erant) matronæ illi, de quâ diximus, donasset, obvius hostibus ivit, & post multa ludibria raptatus per urbem, calcibusque passim insultantium pulsatus, tigno denique cæsus oppetiit. Parricidæ carnifex dæmon fuit. Mulierculam lactentes gemini infantes in lecto lacerarunt, ipsi etiam sceleri immortui. Nec verò aliter decebat aut parere aut mori viperam. *Ex Sur. tom. 7.*

Immensus est Deus & infinitus in justitiâ, sicut & in misericordiâ; multus ad ignoscendum, multus ad ulciscendum. Sed misericordia sibi priora vendicat, ut, si voluerimus, districtio non inveniat in quem sæviat. S. Bern. serm. 1. de Epiph.

S. RADBODUS EP. 29. *Novembris.*

VItas Divorum RADBODVS speculum suum dicere est solitus. In hoc dum oculos suos defixit, alterum nobis speculum vitam ecce suam dedit. Pietatem in Caroli & Ludovici Imperatorum aulâ edoctus est, ipsissimâ virtutis tunc scholâ. Hæc clienti suo insulam Trajectensem peperit, digniſſimo omnium calculis, præterquam suo. Submittere tamen eamdem ad pauperum pedes, quos quotidie abluebat, non dubitavit, utque oculos & suos & aliorum falleret, ex auro quidem bibit, sed aquam; quam cùm libare vellet non nemo, in merum vertit RADBODVS: itaque cavit ne pessimus pocillator gloriola venenum suum virtuti affunderet. Jam Danos, cùm dicenti ad concionem obstreperent, diris devovit, quas illico

illico senserunt peste abrepti. Demum mortem sibi, alteri insulam suam vaticinatus, inter preces, quibus ferè vitam duxit, absolvit vitam, in opem præcipuè D. Martinum vocans, qui morienti adfuisse non vanis argumentis creditur. Illud indubium, ad decumbentem virginum Reginam SS. hinc Theclâ, illinc Agnete stipatam venisse, eam ob causam, uti ipsa ajebat, quòd in precibus suis RADBODVS numquam non memor VIRGINIS fuisset. Et verò quî matris oblivisci filius posset? certè oblivisci filiorum mater hæc non potest. *Ex Surio.*

Iustitia per se sibi abundat ad gloriam: spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam non requirit: à Deo genita cælum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta, semper à Deo solo, ut glorificetur, expectat. S. Petr. Chrys. serm. 9.

S. ANDREAS AP. 30. *Novembris.*

ANDREAM, quo D. Petrus germano gaudebat, tradunt omnium primum Christi scholæ nomen dedisse; arcanorum magistri inter paucos omnium conscium, quam hauserat doctrinam, ab ejus morte Scythiæ primò, mox Epiro & Thraciæ, tum Achaiæ etiã intulisse; hîc contra Procos. Ægeam, crucis acerrimum inimicum, fortiter rem gessisse; ab hoc ad impia sacrificia invitatum id respondisse: nobilius sibi sacrificium, idque quotidianum esse & incruentum; Agnum illum omnis maculæ expertem, & qui, postquàm ejus carne sanguineque omnes Christiani vixissent, non minus tamen etiam ipse integer viveret; sub hæc in vincula conjectum esse, eximendum facilè, nisi manus ipse Christianis, precibus suis,

vinxisset; Protractum inde, ne supra magistrum primus etiam discipulus esset, virgis cæsum, ad crucem raptatum esse; hanc procul conspectam amicissimè salutasse, ad hanc velut ad exoptatam vitæ metam properasse, hanc velut expetitū senio suo scipionem amplexatum esse, velut nobilissimum suggestum cupidissimè conscendisse, ab eâ duos dies totidemque noctes, ab ejus ore hominum millia xx. pependisse; quorum accursu cùm territus Procos. detrahere eum de cruce cogitaret, ANDREAM, id ne fieret, magnopere Deum esse precatum, ac proinde inter multum, qui precantem cinxerat, splendorem, è cruce ad cælum, Ægeam verò à malo dæmone, obtorto collo, ad pessimam crucem in orcum abiisse: ex tumulo denique ejus oleum stillasse, & hoc uno dolorem suum Christianos leniisse. *Ex Baron.*

Felix anima, quæ in cruce gloriatur & triumphat: tantùm ut perseveret in eâ, & nullis valeat tentationibus dejici. Oret igitur quisquis in cruce est, cum B. Andreâ Dominum & Magistrum suum, ne patiatur eum de cruce deponi. S. Bern. serm. 2. de S. Andr.

S. JOSCIO CONF. 30. *Novembris.*

VT nullo non tempore suam VIRGINI nectere corollam possis, Mariane, ecce tibi rosas in hieme etiam suggerimus. Cape sis, & hortum ex quo illæ veniunt, nobiscùm mirare. Vixit anno post partum virgineum M.C.LXIII. apud Audomarenses JOSCIVS monachus, & MARIÆ unicus amator. Amoris alia argumenta taceo, unum prodo, quod priùs cælum prodidit. Igitur, ut numquam animo dulce illud nomen MARIA excideret, quinque quotidie sibi dicendos Psalmos delegit,

delegit, quibus initium optimi ominis literæ ex eodem sacrosancto nomine dederunt, *Magnificat. Ad Dominum cùm tribularer. Retribue servo tuo. In convertendo. Ad te levavi.* Quoties igitur hos decurrebat, MARIAM oculi legebant, aures bibebant, lingua sonabat, cor suspirabat. Et vide sis quàm hoc studium MARIA probaverit. Moritur JOSCIVS in pervigilio S. Andreæ, & ecce geminæ & purpurâ tinctæ rosæ ex oculis, totidem ex auribus, ex ore denique una pullulat, singulæque literas suas, omnes MARIÆ nomen loquuntur. Et quaternæ quidem ad primum tactum & ipsæ mortuæ cum corpore sunt tumulatæ. At illa, quam ex ore prodiisse diximus, quamque decerptam Episcopus crystallo inclusit, vivit hodie etiam, credo ut germen esset, ex quo similes rosas daret Mariana posteritas. *Ex Molano.*

Filium honoremus in matre, & matrem veneremur in filio; utrique vota nostra fideliter exolvamus: quatenus genitrice filium pro nobis interpellante, vincamus mundum, diabolum superemus, tentationibus renitamur, consequamur gratiam, adipiscamur coronam. S. Laur. Justin. serm. de Nat. B.V.

DECEMBER.

S. ELIGIUS EPISC. 1.*Decembris.*

QUàm altùm ELIGIVS virtute suâ evolaturus in cælum esset, aquila monstravit parturienti matri per somnum visa. Puer aurifici instituendus traditus, artem eam non multo tempore ita perdidicit, ut nemo alius hâc tam gratus regi Clotario esset; tunc præcipuè ubi fidem suam ita probavit, ut ex auro, ex quo sellam unam tantùm facere jussus erat, geminas concinnaret. Intereà tertiam sedem cælo aggressus parare, animum suum, hìc demum artificem se ostendit: quando lacrimis hunc perpolivit, asperis pœnitentiæ studiis scalpsit, omnibusque virtutibus ita exornavit, ut ad spectaculum Cælites traheret. Etenim ex his unum aliquẽ, cùm de more noctem ante hierothecam sacrarum reliquiarum insomnis inter preces traduceret, ipse vidit, rataſque preces suas apud DEVM esse intellexit: mox caput rore tam copioso perfusus & tam suavi est, ut jam minimè lacrimarum pœniteret, quibus hunc deliciarum imbrem provocaverat. Jam quidquid arte suâ corradebat ELIGIVS, id omne non jam ELIGII, sed pauperum & captivorum lucrum erat. Ad hos juvandos, nec aliò Regum benevolentiâ utebatur: à quibus, cùm jam miraculis etiam clarus esset, Episcopus Noviomensis dictus, cùm eo in munere Apostolus Flandriæ dici meruisset, cœnobia plura fundasset, corpus etiam S. Quintini Mart. repertum terrâ eruit, vicemque ipsius suum hnic mandavit. *Ex Lippeloo.*

Noveris

Noveris licet omnia mysteria, noveris alta terræ, alta cæli, profunda maris; si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam non structuram faciens. quidquid extruxeris extra te, erit instar congesti pulveris ventis obnoxium. Non ergo sapiens, qui sibi non est. S.Bern.l.2.de Consid.

S. PHILARETUS C. 1.*Decembris.*

PAphlagonia PHILARETVM genuit rusticæ sortis hominem, sed qui sementem egregiè facere novit. Cùm enim optimos agros non malè existimaret pauperes esse, in hos liberali manu disseminare sua non priùs abstinuit, quàm ipse denique egeret. Non tamen fidem fefellere optimi coloni tam bene culta arva. Etenim cùm Irene Imp. filio Constantino sponsam diu circumspiceret, Maria demum, formæ id temporis unicum miraculum, eademque PHILARETI neptis, placuit. Igitur Maria ad regium thalamum, PHILARETVS ad summos honores, Consulatum evocatur. Hîc verò noster ab aratro Consul in id potissimùm incubuit, ut pauperum necessitati consuleret. Nimirum vidisses proletarios, & uno capite priùs censos censum jam Consulis numerare. Jam pontem Consulis Curiam dixisses, pontisque incolas conscriptos PP. qui utique frequentes coibant in eum senatum, in quo de ipsorum salute consultabatur. Porrò PHILARETVS supremùm ægrotans, cùm agnati sanguinis omnes convocasset, multa præclara moriens oracula dedit, ultimò eos omnes suæ in miseros pietatis heredes scripsit, & testamentum pulcherrimo dicto (*estote misericordes*) obsignavit. *Ex Menæis.*

Transferamus, obsecro, quæ in hâc alienâ regione

habemus: etenim licet multùm inter se distent, facilis tamen est transvectio per manus pauperum: eorum enim manus in cælestia promptuaria sibi data reponunt. S. Chrys. in cap. 32. Gen.

S. FRANCISCUS XAV. SOC. JESU.
2. *Decembris.*

FRANCISCVM XAVERIVM damus, virum, cujus animo alter etiam orbis angustus fuit. Dum vixit, virgo vixit. Testimonium animo integerrimo corpus dixit, longè post mortem etiam in vivâ calce integrum. Sui semper egregius victor non semel è morbidi ulcere ipsum pus hausit. Sed tam sitibundũ DEVS deinde tot deliciis per omnem vitam perfudit, ut ebrius sæpè exclamare, diducto à pectore vestimento, coactus sit: *Satis est, Domine, satis est.* Apostoli per novum orbem non tam nomen, quàm vitam tulit, ad id muneris ab ipso Numine dilectus. Siquidem multò antè in somnis tetri coloris hominem, & qualem Indum effingimus, portare humeris sibi per quietem visus est. Et quid aliud vigilans posteà egit, cùm ejusmodi hominum decies centena millia ad Ecclesiæ gremium suis humeris tulit, & tot non tam vultus, quàm animos fuscos sacrâ undâ solus lavit, & cæli candidatos esse jussit. Vaticinia insuper edidit innumera, precibus mare exarmavit, exercitus vicit, idem eodem tempore geminis in locis & longissimè dissitis, periclitantibus adfuit, demortuos in vitam revocavit quinque supra viginti. Omnibus omnia factus, in conviviis etiam atque ludis animorum lucrum quæsivit, invenitque. Ad extremum dum amplissimum Sinarum regnum laborat ingredi, in ipso ejus portu

ad

ad cælum animam appulit. *Ex vitâ.*

Quid nobis in extremo ſpiritu futurum eſt, cùm debilitatis corporis animiq́ue viribus, graviore quàm umquam tentatione vexabimur, niſi per otium priùs ſpem totam in Deo reponere, atque ad eum tempeſtivè confugere didicerimus? Ex Epiſt. S. Franc. Xaverii ad ſocios Goanos.

S. LUCIUS REX M. 3. *Decembris.*

IGnoſce iterum Anglia, quantum, heu! quantum mutata ab illâ es, cùm præcones veræ fidei aliena regna Reges habuerunt tuos! Sed age in memoriam juxtà mecum revoca avita decora. LVCIVS ille tuus (è ſtirpe regiâ germen) puer jam Catholicæ fidei, & verò hæc illi etiam arriſit. Nimirum quin hanc amplecteretur, unum illud moram injiciebat, quòd nulli ferè tunc niſi ſanguine ſuo purpurati eam ambirent. Ubi verò primùm tranſire ad Chriſtianorum partes etiam palmatas Romæ togas inaudiit, quàm mox ſtatuit etiam coronã ſuam Chriſto ſubmittere. Igitur ſanæ fidei Doctores Româ ab Eleutherio Pont. accivit: mox è diſcipulo ipſe etiam Doctor, & calcato regni faſtu è rege Apoſtolus Auguſtam Vindeliciam venit. Conſtitit hîc operæ ſuæ fructus, ad fidem præter alios nobiliſſimâ familiâ adductâ. Sed & merces ſua LVCIO conſtitit, utpote qui verbera & lapidationem in lucro poſuit, præcepſq; actus in puteum maximam ſcilicet inde voluptatem hauſit. Nec verò hanc ſolùm Auguſtã Coloniam, etiam alteram Reginoburgum adiit, neque priùs quàm Chriſtum per omnem Vindeliciam Noricumq́ue circumferret, morte beatâ Curiæ quievit. Gratias igitur Anglia tibi habemus exteræ

nationes, &, si modò vis, vicem rependimus, nostrosq; tibi Doctores ecce submittimus. *Ex Brev. Cur. & Bav. S.*

Pretiosior mens ejus est, quæ aurum despicit, quàm quæ aurum requirit: majores planè sunt divitiæ, non habere aurum, sed aurum habentibus eminere. Qui enim propriis abundat bonis, sæculi thesauros non requirit. S. Maxim. de SS. Taurin.

S. THEODULUS C. 3. *Decembris.*

ASCenderat in id fastigium honorum THEODVLVS, ut aula illum Theodosiana Præfectum salutaret. Verùm his etiam altiora virtus ambiit. Etenim quòd aulæ technas & insidias probè perspectas haberet, ludos facere hanc vicissim voluit. Quare assem omnem (Philippeorum millia quinque supra quinquaginta) liberali sparsione in miseros abjecit, ipse columnam Edessæ ascendit, inde aulæ fastus, minas, pericula, omnia despecturus. Ita mundo & sese altior respuit jam cum homunculis prandere, cœpitque cum Cælitibus solâ ambrosiâ, hoc est, Angelorũ pane, deinceps vesci. Post annos sic traductos xxx. cupido subiit scire eccuinam ex DEI amicis vitæ meritis æquiparandus foret. Responsum è cælo, Cornelio Mimo æquandum. Ruborẽ expressit hoc THEODVLO. Adiit tamẽ virum, & hæc deniq; sibi fateri coëgit: mimicam artem à primis annis tractasse, nunc cùm in mentem ultima illa nec ficta mundi scena venisset, serium se & frugi esse, nuperque adeò, ut pudori nescio cujus matronæ, unaque decoctoris ejusdem viri, qui à creditoribus in vinculis tenebatur, libertati consuleret, vestem & supellectilem vendidisse, & corrogatum inde quadringen-

dringentorum aureorum assem alienæ miseriæ donasse. Laudavit tam bene clausam à Mimo fabulam THEODVLVS, & lætus iterum conscendit columnam suam, paulò pòst ex hâc in vicinum cælum transcendit. *Ex Menæis.*

Initium omnis peccati & causa totius perditionis superbia: propterea quisquis es, qui salutem tuam operari studes, adversus hanc signum crucis super caput tuum habere memento, ut non eleveris in superbiam, ut non exaltetur cor tuum. S.Bern.serm.2.de S.Andr.

S. GALGANUS C. 3. *Decembris.*

VOluptatibus primò GALGANVS militavit, tum Christo, D.Michaëlis ductu, qui tertiò dormientem monuit, è veterno ut surgeret, & cum somno vitia excuteret. At ut porrò malè dormiret, mater & amici thalamũ obtrudere laborabant virginis formâ & divitiis inclytæ. Ad hanc cùm visum iret, equiti suo frenũ equus injecit, contraque omnia calcaria contumax pedem proferre medio in itinere negavit, disertè tandem cum asinâ Balaami locutus, quò minùs progrederetur, ab Angelo se prohiberi. Contra tot stimulos calcitrare cùm equus non posset, neq; homo jam voluit; sed damnatis nuptiis, eo ipso in monte (in quo & equi & miraculi vestigia hodieque visuntur) castra sua novus miles, hoc est, cellam posuit, primumque trophæum de se, crucem inquam ex ense suo inibi defixit. Pugnatum deinde sæpiùs, & sæpiùs orcus fugatus. Illud plenum periculis prælium fuit, cùm proditum à venatore (ei vestes suas GALGANVS & equum dederat) inopinantẽ mater & sponsa oppresserunt. Constitit tamen sibi, & tunc etiã victor matrẽ Deo se dedere, sponsam

sponsam etiam castitati, potentissimis verbis coëgit. Exinde cum Romam profectus fuisset, qui casam Divi exusserunt hostes, malè omnes perierunt, & id ipsum Pontifici, cùm fieret, Romę GALGANVS narravit. Redux deinde ad beatam missionem illis verbis à DEO vocatus est: *Satis est quod laborasti; metes nunc quod seminasti.* Quin igitur & tu laboras, nec parcâ manu rectè facta seminas? Ibi certè falcem suam in alienam messem nemini licebit mittere. *Ex Ferrar.*

Laqueus est mundus, qui voluptatibus & opibus, velut escis, objectis, allicit atque capit incautos, & secum trahit in nassam interitûs. Vnde vix possibile videtur, ut, qui mundi legibus vivit, immaculatus hinc emigret. Hugo Philonius de Scient. bene mor.

S. ANNO EPISC. 4. *Decembris.*

ANNONEM à puero pater suis, hoc est militaribus, studiis imbuit. Abhinc avunculo auctore à Marte ad Musas honestissimâ defectione, transivit. Jam Musæ commẽdarunt Henrico III. Imp. qui eum inter Palatinos suos adlectum mox infulâ Colonienſi donavit. Hâc ornatus ad concionem numquam sine lacrimis auditus est; quod suis ille signum veluti omnium singultibus daret. Divitiis cùm afflueret, sæpè tamen nec obulum ipse, omnia pauperes habebant, quos ille velut thesauros suos (& erant) secum circumducebat, pater idem horum, & mater pupillorum. Ædes xenodochii unas, monasteriorum condidit & ampliſſimè dotavit quinque, non morituras filias. Libertatis Ecclesiasticæ egregius propugnator infulam nulli, neque adeò, a quo eam acceperat, Cæsari submittebat, juris quàm vitæ appetentior.

Sed

Sed nec urbe pulsus à civibus suis animũ despondit. Quòd tamen redux alieniorem ab his animum ferret, visus est sibi noctu, cùm inter Divorum Episcoporũ comitia locum vellet capessere, aditu prohiberi, quòd in veste cetera candidissimâ unicam maculam præ pectore gestaret, quam tamen ipsam mox unà cum injuriæ memoriâ ex animo delevit. Mortuus est anno M.LXXV. cùm se MARIÆ unicè ac sæpiùs commendasset. Cælum nempe subiturus januam hujus pulsabat. *Ex Surio.*

Tamdiu quisque peccata sua ignorat, quamdiu curiosè aliena considerat: qui semetipsum aspicit, non quærit in quo alios frequenter reprehendat, sed in semetipso, quod lugeat. S.Bern.l.de Inter.domo.

S. BARBARA V. & M. 4.*Decembris.*

NUllius tam à vitâ nomen abluit, quàm BARBARÆ. Dioscorum habuit parentẽ Deorum mancipium, ipsa DEO addicta. Matura, ob formam, turri inclusa, libertate Christianâ, si umquam, est usa. Ter sanctæ enim Triadi devota, ut fidei radii splendidiùs animis illucerent, binis fenestris tertiam superaddidit, balneum verò multâ cruce insignivit, gnara qui mentibus lavandis ex hâc fontes scaturirent. Intereà cum stomacho Dioscorus intelligit, filiam Christianam esse, & ferro insequitur. Sed sinum, quo parens expulerat, mons præbuit discluſus. Et lubens thesaurum hic occultasset, nî, qui miraculum viderat, innocentem oviculam pastor nequam prodidisset. Captam itaque filiam inaudito exemplo ad tribunal pater rapit, cædi virgis viscera sua videt, sanam à Christi manu iterum affligi, quin ubera etiam castissimæ abscindi, non facturus, si bibisset

ubera.

ubera. Hinc novus filiæ suæ leno per urbem ludibrio circumduci sustinet unâ verecundiâ tectam. Demum è tyranno carnifex suâ manu non barbaram filiam barbarissimus parens demetit. Sed carnificis carnifex fulmen fuit, quod in eodem loco scelus extinxit. Nunc BARBARA illis è cælo opitulatur, qui, ne sine sacro epulo diem ultimum obeant, orant. Testis ejus rei locuples Stanislaus est sanctissimus è Societate JESV adolescens; quem si æmulabitur, rectè faciet adolescentia. *Ex Baron.*

Si quando senseris te ad aliquod cieri peccatum, in mentem revoca nulli mortalium tolerabile Christi judicium, omnium durissimam pœnam, confusionem sempiternam: hoc timore, quasi freno animam tuam, ad vitiosam concupiscentiam proclivem cohibe. Ex Basil. in psal. 33.

S. SABAS ABBAS. *5. Decembris.*

SAbam si spectasses, Imperatorem dixisses; ut qui monachorum exercitum non unum ducebat, viros omnes, quales vultu etiam se ferebant, cùm ille imberbem in castra sua neminem admitteret. Sævientis fornacis flammas scribitur crucis signo extinxisse; feras & feris magè feros homines domuisse: Agarenum, qui fallaci animo accesserat, terræ hiatui devovisse: templum, cælo monstrante, in rupe alicubi reperisse: in genium malum ab ipso Christo armatus depugnasse, ab eodem nunc cibariis, nunc pecuniis donatus. Jam leonem, qui medicam SABÆ manum expertus erat, ajunt asino custodem ducemque ad pascua fuisse tamdiu, quoad agaso luxurie fœdâ se contaminavit, tunc enim devorasse asinum.

Ipsum

Ipsum SABAM, cùm ad Anastasium Imp. hæreticum iret, anteambulonem habuisse Angelum, verbis impium liberis castigasse, mortemque ei imminentem multò antè prævidisse. Sed & Justinianum itidem Imperatorem palàm coronam cælo vidisse descendere, & caput SABÆ ambire, qui tamen exorari non potuit, ut heredem Imperatori apud DEVM impetraret, quòd hunc hæreticorum partibus accessurum sciret. Denique in cælum abiisse anno D.XXXI. inter DD. Martyrum comitatus. *Ex Metaphr.*

Verè dives est, qui in conspectu Dei potest dives videri, in cujus conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est. Solum illum Deus divitem novit, qui sit dives æternitate, qui non opum sed virtutum fructus recondat. S. Ambr. l. 3. ep. 1.

S. NICOLAUS EP. 6. Decembris.

MOres cum lacte ab infantiâ imbibi NICOLAVS probat, qui cùm à primis cunabulis diebus Mercurii & Veneris semel in die, idque noctu tantùm, maternum lac admisisset, eam consuetudinem jejunii per omnem deinde vitam sacrosanctam habuit. Adolescens divitias omnes in pauperes dilapidavit, ad hoc ingenio etiam, ne gloriolam mercaretur, usus; uti tum fecit, cùm tribus puellis, quas noverca paupertas prostituere parabat, dotem trinis noctibus furtim per fenestras immisit. Subinde cùm pietatis causâ terram CHRISTI vestigiis nobilem peteret, iratum mare quieti, nautam extinctum vitæ reddidit. Pòst ex eremo ad homines divinâ voce evocatus, & divino item indicio Pontifex creatus Myræ, pro libertate Catholicâ fortiter carcerem & vincula

cula tulit. Pro salute suorum solicitus, etiam cùm longissimè abesset, adfuit tamen. Ita Imperatori quandoque Constantino conspectus jussit sententiam revocare, quam in tergeminos Tribunos innocentes tulerat. Ita institorem in somnis monuit, frumentũ, quod haberet, in urbem suam, quam fames vexabat, conveheret. Aliàs vocatus à navigantibus, sæpiùs opem tulisse visus est. Quid? quòd animum NICOLAI tumulus ejus est imitatus, oleum miseris propinans. Tumulatus verò memoratur circa annum CCC.XXVI. cùm moriturus Angelos obvios habuisset, etiam nobis occursuros, si rectam viam insistamus. *Ex Iustinia. & Brev. Rom.*

Post memoriam Virginis singularis tam dulcis pietas, vel pia dulcedo in cordibus fidelium obversatur, ut in die tribulationis nomen NICOLAI *teneatur in ore, requiescat in corde. Si pulsamur incommodis, statim S. Confessoris nomen prosilit in os nostrum,* NICOLAVS *ingeminatur.* S.Bern.serm.de S.Nic.

S. PAULUS CONF. 7. *Decembris.*

PAVLVM parentes dixere, addidit deinde virtus *Obsequentis* cognomen, quod ille nec cum Alexandris aut Scipionibus nunc commutabit. Quid? quòd cœnobio ipsi, quod habitabat, nomen miraculis ingens peperit? Nam illud quantum obedientiæ sive exemplum sive præmium fuit, cùm picem in aheno bullientem à flammâ, jam jamque exundantem nudo brachio, quoad subsideret, impunè versavit? Quod factum cùm alii, ut par erat, laudibus extollerent, convitiis alii deprimerent; perstitit tamen ille in statione suâ, suopte judicio terræ purgamentum & canis

pigel-

pigellus, cælo intereà omnia alia de ipso sentiente. Cùm enim socii scire percuperent, quo loco apud Superos PAVLVS esset, abrepti animo in felicissimos primi parentis hortos, PAVLVM illic invenerunt, qui munera (fructus miros) in singulos dispertiret, simul vale omnibus diceret. Siquidem altero manè ad montem è cœnobio contendit non procul Constantinopoli situm. Ad hujus pedem cùm annos aliquot habitasset, evocatus denique à DEO, velut alter Moyses, in culmen, inde facili transitu in cælum est. *Ex Menæis.*

Felix, quem in omni confabulatione duplex timor solicitat, primùm quidem divinæ Majestatis, in cujus manus incidere prorsus horrendum; dehinc fraternæ infirmitatis, cui nihilominus perfacile est offendiculum ponere. S. Bern. serm. de tripl. custod.

S. ASELLA VIRGO. 7. *Decembris.*

FElix ASELLÆ pater, cui Superi filiam, priùs quàm nasceretur, lympidâ crystallo clausam spectandam obtulere, ut jam tum animi castissimi sive candorem sive splendorem miraretur! Sed felicior ipsa ASELLA, quæ in primâ ætate Agno jam nupta thalamum in parentis domo cellam angustam, lectum terram, delicias cum sale panem & fontanam habuit. Atque ad has nuptias post annum ætatis duodecimum, ut mundum muliebrem non inconvenientem sibi pararet, torquem aureum, quem pro more familiæ (nobilissima erat) è collo pendulum gestabat, clàm vendidit, emitque qualem à matre exorare numquam poterat, vilem & pulli coloris vestem, omnibus hâc testata jam mundo se mortuam esse. Ita deinceps unius Christi amoribus vacare, hunc lacrimis

lacrimis poscere, anhelare gemitibus, precibus orare, jejuniis cogere; domo intereà nisi ad templa, numquam pedem efferre; verbo ut genibus ita vitæ consuetudini callum obducere, jamque raro miraculo inter medias mundi turbas sola agere, & patrias ædes sibi in monasterium vertere. Constitit intereà corpusculo etsi tam malè habito suus nihilominùs vigor & integra semper valetudo, ut videres non tam asperitatem vitæ, quàm delicias obesse. Obiit anno partæ salutis CCCC.L. Vitæ laudatorem habuit Hieronymum; imitatorem quem nunc? *Ex D. Hier.*

Beati qui in Domino vigilant cum sobrietate & castitate: protegentur enim ab eo in judicii die, & ut sponsi comites atque amici cum gaudio & lætitiâ eum sequentur & aspicient. S. Ephrem in Beatitud.

S. AMBROSIUS EP. 7. *Decembris.*

AMBROSII infantis osculum apes ajunt insedisse, verissimos ejus eloquentiæ vates. Deprompsit sanè, cùm libuit, ore suo melos, & hoc adeò ipsum Augustinum inescavit, ut qui à Manichæis venenũ hucusque hausérat, ex ore deinceps AMBROSII mel legeret. Episcopum Mediolani prodigiosus præco infans proclamavit. Dicenti ad populum astare bonum Angelum ipsi hæretici viderunt & inviderunt. Inter hos multum illi negotii Arriani, plus Imperatrix Justina, latrones, magique, plurimum dæmon malus fecit; sed incassum omnes. Majestatis Pontificiæ memor, neque majestatem Imperatoriam exhorruit. Itaque Theodosium ob cædem Thessalonicensem publicè reum non nisi post publica pœnitentis animi signa templo pedẽ permisit inferre,

illud

illud Davidis exemplo se tuenti inclamans, Secutus es errantem, sequere pœnitentem. Vidit igitur tunc orbis caput suum ante pedes Episcopi jacêre, numquam ita extollendum, nisi ita demisisset sese. Porrò AMBROSIVS obsessos ab orco libertati, infantem demortuum vitæ reddidit, Divorum multorum ossa è tenebris in lucem gloriosâ pompâ transtulit, ipsius verò calumniatores morte subitâ vindex Deus abstulit. Moriturum cæleſti voce excitus Honoratus Epis. sacro pane refecit, morienti verò blandùm arridere Christus visus est, arrisurus etiam nobis in morte, si flentes in vitâ viderit. *Ex Paulino.*

Cùm diluculò surgimus, debemus, priusquam procedamus ex cubiculo, gratias agere Salvatori, & ante omnes actus sæculi, actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodivit. Vt enim ego securus dormiam, ille vigilat. S. Ambr. serm. 43.

CONCEPTIO B. M. V. 8. *Decembris.*

SPeculum sine maculâ ostendimus, VIRGINEM Conceptam. Festi hujus diei originem, quæ sub annum cœpit millesimum ac septuagesimum, sic habe. VVilhelmo Nortmannorum Duce Angliâ potiente, missus ab hoc Helsinus Præsul est, qui hostium numerum ac robur exploraret. Dum facit hic imperata, fortè per eos dies gravi tempestate jactatur. Nullâ aliunde ope affulgente, Stellam maris MARIAM vocat. Adest pro hâc è cælo Nicolaus, spondet manum naufrago, si VIRGINIS Conceptæ diem habiturum se festum spondeat. Illico convenitur. Subsidit mare, enatat & vota Helsinus Sospitatrici exsolvit. Atque hæc initia ampliora D. Anselmus fecit: amplissimis

mis deinde Indulgentiis ornavit Sixtus IV.Pont. Max.in VIII. continuos dies, quos etiam ipsos luculento miraculo Numen probavit. Etenim Nicolaum Pratensem memorant, ad icona immaculatæ VIRGINIS rosam cum his precibus deposuisse, vellet juberet, si gratum ei esset, octo dies memoriam Conceptionis suæ agi, numquam eo anno rosa illa marcesceret. Floruit semper, & cum rosâ multorum etiamnum in hanc diem pietas floret, quam ipsa ædium limina in Hispaniâ his verbis loquuntur: *Benedictum sit S. mysterium immaculatæ Conceptionis* MARIÆ. Quid? quòd aliter sentientes Doctores rectiùs nuper ab Hispanis infantibus erudiri vidimus. Se certè accuset, qui maculam hodie videt; suam dicat. Non habet purum, sed ostendit maculas, speculum. *Ex Baron. & Spinello.*

Opem intercessionis MARIÆ *poscamus singuli, poscamus omnes: oremus ut sit protectrix in prosperis, submoveat noxia, suggerat profutura, admittat preces supplicantium intra sacraria divinitatis, nobisq; impetret consortium suæ beatitudinis.* S.Hildephon. serm.6. de Assumpt.B.M.V.

S. SYRUS EPISC. 9.*Decembris.*

SAcra nostra SYRVS à D. Hermagorâ est edoctus, ipse Papienses docuit, multùm eâ in re S.Juventii operâ usus, quem socium expeditionis Hermagoras addiderat, cuique à morte SYRVS noster medius Martyres inter triumphare est visus. Veronâ transeunti, ut de fide nostrâ dicenti fidem haberent incolæ, testem è tumulo mortuum excivit, & cùm primùm Papiam est ingressus, senis civibus gravissimè decumbentibus salutem

tem corporis, multò pluribus deinde animorum tulit, qui verbis mirisque ejusmodi inducti facilè Christianis accesserunt; tunc præsertim, cùm novo hospiti cedere hospitem Orcinum viderunt, qui è puero Syri imperio illicò ad ergastula sua migravit. Addo è plurimis aliis illud, quod unum Papiensibus admirationem parere poterat; nobis justissimum metum potest, si impiati sacram mensam frequentemus. Ausus est Hebræus inter Christianos profanus accumbere, divinum cibum ore exceptum non stomacho, sed cœno post sacra daturus. Prohibuit Numen, & vindices ignes se ore servare scelus advertit, qui tamdiu miserabili incendio impurum exusserunt, dum quæ palato impio pendebat, Hostiam sacram SYRI manibus reddidit. Quid hîc Christiani? porrò mensam cum Judæo impuri accedetis? Non sentitis ultores hos ignes? graviores sentietis. *Ex Surio.*

Si qui regiam purpuram coinquinant, haud secùs quàm qui eam scindunt, puniuntur; quid mirum si qui immundâ conscientiâ Christi corpus accipiunt, idem supplicium subeant, quod qui eum clavis cruci affixerunt? S. Chrysost. hom. 45. in Joan.

S. MENNAS MART. 10. *Decembris.*

MENNAM Maximinus Antiochiæ præfecit suis, ut quidem putabat, sacris, reverà Christianis addictum. Erravit feliciter tamen Imperator, neque Respublica umquam meliùs illîc stetit, quàm cùm Christianis jus Christianus Proconsul diceret, & alios verbis, alios miraculis, omnes vitæ exemplo ad Christum traheret. Id ubi aliquantò seriùs rescivit Maximinus, qui rem

Deorum restitueret, Hermogenem misit. Hic de loco ac munere MENNAM, sed non perinde de constantiâ dejecit: ut qui resectâ fœdè à pedibus carne in sententiâ tamen perstitit, neque post erutos oculos linguamque vel à viâ virtutis excessit, vel clamare animo Christum destitit; quin cùm sub noctem medicinam membris omnibus ipse Christus fecisset, & Angeli palàm se Martyri junxissent, associare etiam se Hermogenes non dubitavit, pulchrâ metamorphosi ex tyranno Episcopus urbis factus. Tot damnis mactatus Imperator ipse adfuit, Deosque & se ulturus, Hermogeni manus pedesque auferri cremariique, ipsum ventre discisso aquis mergi; MENNAM verò ex arbore, ex MENNÆ pede saxum suspendi jussit, nobile anathêma. Sed ecce mortem tunc uterque, sed & postridie Maximinum iterum triumpharunt capite truncati. Ossa quoque tumbâ ferreâ condita & in mare abjecta nautæ Angeli Byzantium deportarunt, à loci Antistite tumulanda. Ibi molliter nunc quiescunt, qui duriter olim vixerunt. *Ex Surio.*

Si tantâ curâ agitur, ut aliquanto plus vivatur, quomodo agendum est, ut semper vivatur? Et si prudentes dicuntur, qui omnibus modis agunt, ne perdant paucos dies, quàm stulti sunt qui sic vivunt, ut perdant æternum diem? S. Aug. serm. 64. de verb. Dom.

S. EULALIA V. & M. 10. *Decembris.*

EMerita Lusitaniæ oppidum, oppidi longè maximum decus EVLALIA est virgo, quæ plures palmas quàm annos, dum vixit, numeravit. Certè annum cùm vix duodecimum ageret, sæviretque in Christianos impietas, vigilem licèt paren-

parentum custodiam noctis beneficio fefellit, interque Angelorum comitatum in jus ultrò ambulavit. Ibi sic rea ipsum judicem accusare ausa est, & ejus in pios tyrannidem populo spectante & audiente multis objurgare. Quid? quòd, cùm hic dictis mellitis suadere insisteret, ut ad Deos transiret, quò dicta illa despueret, in vultum tyranni exspuit; Deosque & thus Deorum, cumq; his minas omnes heroo pede calcavit: flagris deinde lacera risit etiam, sanguineque suo picta velut superbè circumspexit sese: demum cùm faces ardentes admoverentur, flammas ore patulo excepit, Deoque cum animâ lætabunda transmisit. Et verò ecce testes castissimi & animi & corpusculi! Ille, uti ipse carnifex spectavit, argenteas columbæ pennas indutus cælo se abdidit. Hoc, ut tumulus manibus responderet, prodigiosæ nives texerunt. Et erubuerunt, puto, hæ, cùm candidius aliquid sc. virginitatem viderunt. *Ex Prud.*

Nihil est in omnium virtutum dignitate præstantius, quàm pietas misericordiæ, & puritas castitatis. His nos præsidiis specialiter instruamus, ut tamquam duabus alis elevati de terrenis mereamur esse cælestes. S. Leo serm. 4. de Pass.

S. DANIEL STYLITA. 11. *Decembris.*

CÆlo vicinus incola DANIEL est, qui annos XXXIX. columnam habitavit, indeque tempestates, & cum his mortalia omnia generoso supercilio despexit, orci ingens terror, Superis gratissimum spectaculum. Nempe terris adeoque se altior, clientes sibique obnoxios reges habuit. Ita Leonem filio beavit, & mortis periculo exemptum Imperatorem sibi vitam debere fecit. At

Zenoni regni jacturam longè antè vaticinatus est. Contra Basiliscum verò Ecclesiæ hostem ut pugnaret, è columnâ descendit, & impendentes Numinis iras sævienti objecit non vanus augur. Jam & in dæmonas malos regnum tenuit, eque corporibus humanis, cùm libuit, proscripsit, fuitq; cùm mulier, quæ Divi innocentiam infami rumore asperserat, à vindice genio obsessa, non potuit obsidione nisi ab ipso DANIELE liberari. Ceterùm cum cælo uti propinquum, ita frequens illi fuit commercium, sub ultimos præsertim tres vitæ dies, quibus Cælites plurimi ad ægrum viserunt. Horum nomina prodidit hominis item incola dæmon, uti & horam, quâ moriturus DANIEL, & ipse fugādus erat. Obiit verò anno CCCC. LXXXIX. In corpore, quod diu tergemina crux illustravit, tumulando reges laborarunt. Animus fecit, quod in vitâ jam fecerat; cælum habitavit. *Ex Metaphr.*

Nemo sibi vivat, sed ei, qui pro se mortuus est. Cui enim justiùs vivam, quàm ei, qui si non moreretur, ego non viverem? cui commodiùs, quàm promittenti vitam æternam? cui magis ex necessitate, quàm flammas perpetuas minitanti? S. Bern. ep. 143.

B. JUVENIS ÆGYPTIUS ANONYMUS.

II. *Decembris.*

VT exciderit antiquitati nomen adolescentis hujus, aliud certè sibi & immortale apud posteros peperit. Et videtur etiam hic minùs facturus fuisse, si minùs peccasset. Etenim Amirani Saracenorum regis favorem ut aucuparetur, Christum cum Mahomete mutavit, & calcatâ cruce, more barbaro impioque sacramentum aci-

naci

naci dixit. Ingemuere ad impium facinus parentes pii, & pœnitebat hostem Deo & cruci genuisse, nec jam heredem volebant, qui ex asse optimam partem avitam pietatem nollet. Quod tamen unũ poterant, precibus pro perituro apud Deum agebant, sceluſque non ſuum ſuis lacrimis plectebant. Et profectò plus lacrimis parentum filius, quàm lacti olim debebat. Instillarunt enim hæ denuò bonam mentem. Rediit prodigus, & pulchrum parentum consilium secutus, signa, quæ turpiter abjecerat, crucem inquam, manu venerabundâ sustulit, & intrepidus palàm iterum ad Amiranum tulit, lacrimis interim & gemitibus perorantibus, quos sæpiùs intercalaris illa Ecclesiæ vox *Kyrie eleison* interpellabat. Illum ergo cùm neque fames aut verbera, neque carcer aut vincula avellere à cruce possent, naviculæ Amiranus imposuit capite minuendum. Ergo animus cæli, caput abscissum urbis portum petiit, redemptumque à Christianis centum aureis, & argento inclusum diu oleum sudare visum est, ut vel ex hoc Christi Athletam agnosceres. *Ex Menais.*

Crucem Domini semper in mente, in ore, ut signo, tenete. Crux Domini armatura vestra contra satanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem sibi propinquare non sinens. Martial. epist. ad Burdeg.

S. SPIRIDION EP. 12. *Decembris.*

SPIRIDION ex opilione Cypri Episcopus, non vitę conditionem sed gregem mutavit, omnes pascere solicitus, pauperes præsertim. Itaque serpentem mutasse in aurum fertur, quò egenti esset, unde frumentũ coëmeret. Alio item tempore cùm

avari animum nullis precibus expugnare civis indigens posset; SPIRIDION huic disertis verbis in crastinum annonam spopondit. Neque aliter factum quàm dictum. Aquarum alluvio avectum ex Euclionis granario frumentum ad ipsas inopis ædes detulit, nullo nec rei nec vecturæ pretio. In fures etiam non minùs beneficus quàm comis fuit. Nempe cùm gregem hi direpturi advenissent, & arcana Numinis vis ligatos omnes SPIRIDIONI tradidisset, exsolvit hic officiosus, & viæ comitem abeuntibus ultrò ambulare arietē jussit. Porrò filiam, quam, dum olim in matrimonio ageret, sustulit, ut defuncta depositum aurum indicaret, tantisper è tumulo evocavit. Sed & alium morte sublatum vitæ & matri reddidit, mox matrem filio etiam, cùm hæc gaudio emortua esset. Ultimùm cùm in messe occupatum æstus gravior affligeret, ros cælo illapsus recreavit, simul alii capilli albescere, nigrescere alii, alii denique canescere visi sunt. Hos ille ut mortis prodromos accepit, post quam illum laudibus omnis ætatis homines mactaturi essent. Tu etiam disce hîc non senes modò, sed & juvenes, quin vix natos capillos emori. *Ex Surio.*

Totum quod es, illi debes, à quo totum habes; illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benefecit tibi. Huic totis medullis, totis viribus serviendum: ne fortè indignationis oculo te respiciat & despiciat, & conterat in æternum. S.Bern.de Quadrupl.debito.

S. LUCIA V. & M. 13.*Decembris.*

SI virgo è cælo sidus lucet, LVCIAM esse credidero virginitatis laude præ aliis illustrem. Hæc dum cum matre ægrâ ad tumbam D.Agathę preca-

precatur, adest ecce hæc ipsa sanitatis primò nuntium matri ferens, tum LVCIÆ mortis optatissimæ & pro Christo subeundæ. Sic igitur moritura LVCIA omnium primò testamentum cogitat, & pauperes non jam scribit, sed facit heredes. Id enimverò non ferendum ratus LVCIÆ sponsus, queritur apud judicem, & sponsæ dotem sibi clamat deberi; hîc demum agnoscit in amoribus non se, sed Christum esse. Mox igitur amori ira successit. Dei nupta lenonibus traditur, mancipiis amoris prostituenda. Sed nequeunt mille manus unam virgunculã, nequeunt funes & plura boum juga de loco, minùs de proposito casto dimovere. Ergo sarmenta congeruntur, rogus accenditur. Sed lucet pulchriùs ignibus suis LVCIA. Gladio trajicitur; sed vivit virgo & viros animat, & è flammis Imperatoribus mortem, Syracusanis præsentem opem, Ecclesiæ pacem vaticinatur. Denique dum judex in vinculis Romam abducitur capitis damnandus, divino cibo recreata, cælo sidus, ut dixi, inseritur. Sed & tibi illîc adhuc locus est Mariane. Stella & tu es, si virgo es. Fuisti? Ah! stellam cælo credas decidisse. *Ex Surio.*

Deus semper pater est; amavit nos fœdos, ut ex fœdis faceret pulchros. Erimus pulchri eum amando, qui pulcher est. Quantum in te crescit amor, tantum crescit pulchritudo; quia ipsa charitas animæ est pulchritudo. S. Aug. Tract. 9. in Epist. S. Joan.

S. JODOCUS CONF. 13. *Decembris.*

NOvam litem audite Mariani, quam JODOCVS Angliæ regis filius germano fratri de regno movit, non uter hoc eriperet, sed uter cederet alteri. Fugiebant novo more non opes

dominos suos, sed domini opes suas, & quam aliis invitis mors aufert coronam, ultrò ab his abjiciebatur. Denique rex sibi videbatur, non qui regnum coactus adiit germanus, sed JODOCVS, qui regno subduxit sese, & in Galliam aufugit. Hic ille sibi scilicet imperavit, sed & feris non multò pòst, quas obsequentes illi cælum voluit esse. Illud perjucundum accidit, cùm fami placandæ ultimum subsidium panis unicus in penu fuit, & hunc in IV. partes à JODOCO sectum CHRISTVS alium identidem atque alium pauperem præseferens unus omnes piissimâ fraude asportavit. Negabant id rectè factum esse discipuli. Sed rectiùs illos edocuit magister, cùm pro IV. è pane frustulis, secundo flumine descendere submissas à cælo totidem naviculas frumentarias ostendit. Demum sacris operanti manus è cælo bene visa est dicere, quæ quòd terrena regna despexisset, cælestia promisit. Hæc demum placuere JODOCO, potitusque his est anno DCLIII. LX. omnino annos in tumulo integer, virtute in JODOCO faciente, quod in viris principibus aliis balsama faciunt. *Ex Flor. Abb.*

Amemus vitam æternam, & ex eo noverimus, quantum pro illâ laborare debeamus, cùm videmus homines amatores præsentis vitæ sic pro illâ laborare, ut, cùm venerit metus mortis, quidquid possunt, faciant, non ut auferant, sed ut differant mortem. S. August. serm. 64. de verb. Dom.

SS. NICASIUS EP. & EUTROPIA V. MM.

14 *Decembris.*

QUid ni animos etiam tu Lector ad pugnam sumis, toties qui sanguinem Martyrũ vides?

Hic

Hic NICASII Rhemensis Pont. & sororis ejusdem germanæ EVTROPIÆ est. Fudit Attila, ebrius jam dudum ab alio. Rem breviter sic habe. Flagellabat Gallias dux barbarus, jamque Rhemensibus etiam malum minabatur, cùm cives ad asylon suum NICASIVM confugerunt. Ille exitium urbi vaticinatus edixit peccata esse, quæ Attilam armassent; hæc si ponerent, illum quoque exarmandum. Interim brevi morte æternam ut redimerent, suasit, neque jam pro se hosti, sed pro hoste Deo supplicarent. Se vitæ hucusque ducem, non abnuere, quin mortis etiam esset. Ita latus EVTROPIA stipante obviàm hosti ad D. VIRGINIS progreditur, & humi nixus dum versum Davidis canere incipit, caput gladio amittit, carmen tamen etiam mortuus absolvit. Satis spectatum esse soror putavit. Quare cùm formæ miles parceret, execrata crudelem misericordiam in oculos carnificis involat, mortemq; invitam in se armat. Intereà contra barbaros cælum movit, cujus copiæ visæ, simul iratæ è templo voces in fugam illos conjecerunt. Ad Martyrum verò corpora tam diu lucere faces suas sidera voluerunt, dum terrâ tegerentur, splendore olim his ipsis certatura. *Ex Surio.*

Carnem afflixisse, libidinem superasse, avaritiæ restitisse, de mundo triumphasse, pars magna martyrii est. Ergo si tormenta Martyrum perferre non possumus, vel contra malas concupiscentias repugnemus. S. Aug. serm. 4. de Mart.

S. DACHATIUS M. 15. *Decembris.*

DACHATIVS Palæstinus sex fratres germanos fertur numerasse, ipse septimus, imò inter

omnes primus meritò laudatur. Nam cùm pater exigui lucelli spe, quam rex Saracenus ostentabat, inductus, à Christo ad Mahometis partes malum pedem tulisset, repressit suum DACHATIVS, rectè sic à parente degener. Pòst ubi mortem infelicem sed debitam sceleri tanto pater oppetiit, DEI ductu & matris optimæ, Jerosolymas abiit, tinctusque Christianis undis in D. Sabæ cœnobio, ingentibus, quæ posteà edidit, præliis egregius sui victor præluſit. Tum denique & cæli ope & suâ virtute satis armatus in patriam excurrit, &, cùm matri copias junxisset, post multas pugnas fratres omnes dare manus victas Christo coëgit. Unum tantum excipe, qui fide non germanâ, sed Punicâ sanè, DACHATII nomen ad Prætorem detulit. Hic vinctum ad Tribunum misit. Sed neque fratris perfidia, neq; carnificum tormenta tantum potuerunt, ut non vinceret DACHATIVS. Victor igitur caput gladio submisit tot civicis coronis condecorandum, quot patriæ cælesti cives fratres servavit. *Ex Menæis.*

Nihil est quod animæ possit æquiparari, ne universus quidem mundus. Itaque si immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam. S. Joan. Chrysost. super Psal. 48.

S. CHRISTIANA ANCILLA IBERA.

15. *Decembris.*

HUjus quoque nomen nescimus. credo, quia virtus supra cælos hoc evexit. Illud satis constat, vixisse, cùm rerum Constantinus potiretur, & Iberis servitutem serviisse; ceterùm præter conditionem servile nihil habuisse, quin ab hâc SERVA Iberos pileum libertatis Christianæ accepisse.

pisse. Res sic gesta memoratur. Filium Ibericæ matronæ gravi morbo afflictū precibus ad DEVM fusis valetudini restituerat, cùm ejus facti rumor ad aures reginæ gentis perlatus est, tunc itidem graviter fortè è morbo decumbentis. Ergo, cùm in spem valetudinis & ipsa venisset, deportari servulorum manibus ad Divam nostram voluit. Ibi in lectulo servili collocata sanitatem extemplò & vires recepit, quas frustra in regiis stragulis suspiraverat. Ut verò grata Numini foret, autor esse conjugi regi cœpit, ut Christo se dederet, cui morbi & mors ipsa jam parérent. Ille moris moras nectebat, dum inter venandum iratos & cælos, & ventos expertus, & in ultimum vitæ periculum devolutus, opem Christi præsentē ipse etiam sensit. Tum verò templum Deo posuit, in quo Diva hæc columnam, cùm viribus nullis posset, precibus erexit, suspensamque in aëre tam diu servavit, dum spectantibus omnibus suopte motu in locum suum desidêret. Atque in hoc templo primas Christo Iberi aras, pectora sua devoverunt. Gere castum cor, & templum Salomonæo præstantius erexisti. *Ex Socrate & Theodor.*

Quemadmodum febricitantes appetitum & robur amittunt: sic qui principum aulas frequentant, mentem & bonos mores perdere solent, nisi frequenter animo repetant hoc dictum, NOSCE TEIPSVM. Anton. Monach. serm. 59. sententiarum.

SSS. ANANIAS, AZARIAS, MISAEL.

16. *Decembris.*

A Page vetus Roma cum foculo suo Scævolam tuum! In fornacem hanc oculos mitte, & superari à pueris Hebræis viros tuos specta. Tres

erant (ANANIAM, AZARIAM, MISAELEM dixerunt) principes juventutis, interque ephebos regis Nabuchodonosoris accensi. Hic in eâ ætate formæ gratiam & senẽ in pueris sapientiam amabat; at DEVS amplius quid, virginem animum & à regiæ mensæ deliciis abstinentem. Ita de adolescentum amore rex magnus & Max. DEVS certarunt. Quid nî hic vinceret? Fortè statuam posuit Nabuchodonosor, auream illam, sed superstitione infamem. Facile erat aliis persuadere, ut aurum adorarent, in quo omnis ætas delirat. Uni ex omnibus hi pueri sapuerunt, disertis verbis dictitantes regem se, ut par est, veneraturos, cetèrùm DEVM solum adoraturos, & antè morti animam quàm statuæ genua submissuros. Stabat fornax validè flammans. In hanc abjiciuntur nobiles animæ. Inhorruit ad facinus ignis, & vim à virtute venerabundus repressit; quin impetu potiùs in hostes facto longè plurimos corripuit, & succidaneas victimas cremavit. Angelus etiam è cælo submissus flammas beato rore temperabat, lenique aurâ demulcebat juvenes magnanimos. Ergo inter hæc supplicia cantare etiam placuit, & quò plenior foret musica, cælum terrasque animare. Jamque Nabuchodonosor ipse innocentiam patrono igne sanctam absolvit, miraculique toto regno per literas præco, divinum honorem rectè homo Numini transcripsit. *Ex Daniele.*

Habentes cor ardens in viâ Domini, & inter ignes sæculi divino igne muniti, sicut illi in camino pueri inter sibilantes impetu flammas rorabimur, & hymnum Domino inter incendia refrigerantia, Dei filio concinente, cantabimus. S. Paulin. ep. 29.

S. LA-

S. LAZARUS CONF. 17. Decembris.

ILle LAZARVS est, quo fratre germano nobiles sorores Martha & Magdalis gaudebant, Christo dilectus, & ab hoc amici etiam nomine donatus. Plus dico. Ille est, qui mortuus lacrimas Deo & gemitus potuit excutere, eoque adigere amantem, ut contra ferreas mortis leges sepultum jam & tabescentem vitæ, &, quod caput est, amicitiæ suæ redderet; quæ unica puto causa fuit, cur è sinu Abrahæ non invitus rediret LAZARVS. Ceterùm sic vivus invidiâ tantùm non emori Judæos fecit, nimis contra improbos magnus certusque Servatori testis. Itaque alteras illi mortis insidias struxerunt, stultissimo consilio, cùm fatis jura dicere Christum viderent notum jam nuper LAZARI patronum. Hoc tamen in cælos, & Apostolis in divisum à se orbem abeuntibus, revixere odia in LAZARVM nobilemque familiam. Itaque cum Maximino (è scholâ Christi & LXXII. discipulis fuit) Marthâque & Magdalenâ sororibus, virgine item Marcellâ, exul in navim compingitur, velis remisque sed non cælesti etiam aurâ destitutam. Nam LAZARVM socioque in Gallias tulit, & innoxios Massiliæ exposuit. Miraculo & hæc & aliæ vicinæ urbes permultæ Christo crediderunt. Tum demum amoribus suis in silvis Magdalena vacavit, Martha sanctis virginibus, LAZARVS civibus Antistites præfuerunt. Dubium ergo est LAZARVS ne invenerit illic portum, an ostenderit Gallis? certè absque LAZARO fuisset, naufragium in portu Massilienses fecissent. *Ex histor. Euang. & Brev. Rom.*

Iusti mors ut præsentis est exitus vitæ, ita introitus melioris:

melioris. Bona mors, si peccato moriaris, ut justitiæ vivas. Hæc mors necesse est ut præcurrat, ut sequatur illa secura. Dum vivis in carne, morere mundo, ut post mortem carnis Deo vivere incipias. S. Bern. ep. 105.

S. MODESTUS EPISC. 18. *Decembris.*

NObiliores nemo MODESTO habuit cunas. Rogas quales? carceres fuere, in quos ad captivum patrem vix natum mater asportavit, docuitque à teneris Martyrē esse. Quinto à partu mense inter preces uterque parens inibi animam Deo reddidit, opulentam filio hereditatem vincula post se relinquens. At hanc invidens Maximianus Imp. educendum viro Senatorii ordinis tradidit. Sperabat hic patris nomen; sed cùm primùm MODESTVS per ætatem intelligere cunabula sua potuit, doluit scilicet vel inscium se à parentum vestigiis deflexisse: & degenerem tam diu se putavit, quousque fugâ Athenas delatus Christianis se junxit. Hîc dum sacro lustratur fonte, radiantem ignibus columnam in caput pueri descendere Episcopus vidit. Cùm deinde è cive genium malum, è sorore verò heri sui morbum depulisset, heredem hic MODESTVM cum ceteris liberis suis scripsit. At isti, quò potiùs accederet aliquid ad hereditatem, quam decederet, Ægyptio homini & à sacris nostris alieno adolescentem vendiderunt. Septem annos cùm servisset, è servitute Deorum tandem etiam dominum eripuit, & libertus Solymas abiit. Ibi demum ad Patriarchatus dignitatem evectus, cùm veneno infectum fontem purgasset, fontisque incolam serpentem neci, cacodæmonem sub cane latrantem fugæ dedisset, hospitioque, qui in ser-

vitutem

vitutem illum dederant, coheredes illos suos peramanter excepisset, dignam natalibus suis mortem obiit. Sed amisit Ecclesia, vel cælo teste, tunc columnam suam. Imò non amisit; transtulit eò, ubi ipsa sese ædificat. *Ex Menæis.*

An non meritò coronabitur, qui sic certaverit, mundum abjiciens promittentem, irridens inimicum tentantem, &, quod glorioſius est, de seipso triumphans, & crucifigens concupiscentiam prurientem ? S. Bern. serm. 1. de Omn. SS.

S. MEGENGAUDIUS C. 19. *Decembris.*

ILla demum vera nobilitas est, non pauciores virtutes, quàm ceras quæ potest numerare. Potuit MEGENGOR Geldriæ Comes, idemque fortissimus militum dux, & hoc nomine Imperatori Ottoni III. cumprimis charus. E conjuge Gerbirge Zutphanensi item Comite cùm filias IV. filium sustulisset unicum, hunc ipsum in primo ætatis flore, bello Bohemico amisit. Quid expectas ? scilicet lacrimas vel armato Marti exprimendas, & dignos patre gemitus ? viduos matris capillos, & lacerum planctu pectus ? omnia alia audies. In funere filii mortuique vultu suum agnovere parentes, hoc est mortalem. Utique mortem lecturam maturos ætate fructus suos, quæ immaturos carperet: satis oppidò jam vixisse parentes, qui vixisse filium aspicerent. Convasare igitur MEGENGOR & in tuto locare impedimenta, opes, hoc est, in cœnobio, cui Adelhaidem filiam præfecit, deponere; ipse quoque animo à mundo abesse, cùm non posset corpore; castitatem deinceps cum conjuge colere; lectioni sacrarum literarum se dedere; denique in oculis nihil

præter

præter mortem & æternitatem habere. Ita non imparatum hæc offendit anno ab obitu conjugis tertio. Mortuus filiæ primò visus est illa verba Vatis blandissimè effari, *Ecce moritur justus, & nemo recogitat* ; tum alteri deinde è virginibus regio habitu fulgens nuntianſque MEGENGORIS nomen in MEGENGAVDII sibi mutatum esse. *Ex vitâ S. Adelhaidis & Molano.*

Christi humilitas nulli aspernanda divitum, nulli est erubescenda nobilium. Nec enim in tantum provehi potest quælibet felicitas humana fastigium, ut æstimet sibi pudendum, quod Deus in formâ servi non est arbitratus indignum. S. Leo serm. 1. de Resurr.

SS. AMMON ET SOC. MM.

20. *Decembris.*

SUb annum partæ salutis CCLIII. Alexandriæ eodem tempore in Christianos sævitum est, & in latrunculos animadversum; simili in longè dissimillimos supplicio. Fortè inter nomina horum nomen delatum est Genesii. Hic quòd extra culpam esset, facilè se purgavit. Sed dum à latrocinii suspicione absolvitur, ut Christianus accusatur. Hic nihil negare jam Genesius, gloriari hoc facinore. Latronibus igitur sociatus, pejusque his ipsis habitus igne crematus est. Hoc verò supplicii genere territus alius quispiam è Christianis, cùm nutare non dubiis signis ad tribunal impium videretur, ecce AMMON, ZENO & PTOLEMÆVS (fortissimi milites) per medium agmen penetrare, & cùm verbis non possent, nutu labantem ad constantiam hortari. Itaque jam oculis annuere, jam manibus loqui, jam lacrimis & gemitibus clamare, jam toto corpore supplicare, ne indignum

gnum quidquam Christiano admitteret. Hoc ipsum verò cùm oculos non posset fugere spectatorum, vulgum scilicet in se armarunt. Tum verò nihil dissimulandum ampliùs rati, in medium omnes prodierunt, & Christum jam pleno etiam ore confessi populum omnem in stuporem rapuerunt, socios contra tyrannum mirum quantum animarunt, ipsi verò gaudio exilierunt, quòd cæli civem, hoc est Martyrem, servassent. *Ex epist. Dion. Alex. apud Euseb.*

Quo, quæso, dignum te judicabis, qui factus ad imaginem factoris tantæ in te majestatis non defendis dignitatem? & tu homo, cùm in honore esses, honorem tuum non intelligens, compararis jumentis insipientibus, dum nil spirituale aut æternum elaboras? S. Bern. epist. 104.

S. THOMAS AP. 21. *Decembris.*

DIvus THOMAS est, cui etiam palpare fidem licuit; & profuit, dubitasse THOMAM, ut Indus crederet. Nam fidem in Indiam Meliaporem usque tulit, firmavitque miraculo, cùm ingenti mole arborem, & quam multi & homines & elephanti movere loco frustra laborarant, obsequentē ipse cingulo suo per milliaria x. tractam templi structuræ devovit, simulque vaticinium edidit, cùm mare pertingeret illuc, affuturos, qui quam ipse nunc fidem præluceret, extinctam iterum populis accenderent; quod fieri nuper sub cœptas Hispanorum navigationes vidimus. Ceterùm fuit è sacrificulis tum temporis, qui suâ manu filium mactavit, sceluſq; THOMÆ affinxit. Hic alium nullum pro se causam dicere THOMAS voluit, præter infantē mortuum. quis credat?

Absolvit

Absolvit disertis verbis infans THOMAM, & patrem suum damnavit. Enimverò his miris uti nuper arborem, ita nunc in sententiam Regem ac populum omnem traxit, si unos sacrificulos demas, qui aliò ab invidiâ abstracti precantē ante sacram crucem THOMAM sagittis primò, tum hastâ trajecerunt, strenuum utique fidei propugnatorem, qui, ut signa defenderet, cecidit ante signa. *Ex Maffeio & Osorio.*

Sicut Thomæ, ita etiam inimicis suis demonstraturus est Christus vulnera, ut convincens eos veritas dicat, Videtis vulnera, quæ inflixistis; agnoscitis latus, quod pupugistis; quoniam per vos & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. S.Aug.de Symbol.

S. ANASTASIA MART. 22.*Decembris*.

ANASTASIA è Romano & patricio sanguine patrem in fide agnovit S. Chrysogonum. Nupta viro (Publio nomen erat) à Christianâ religione alieno, matrimonii usu semper abstinuit, sive castitatis amore, sive superstitionis odio. Intereà tamen mater pro Christo victorum audiebat, quos illa summis studiis ultimisque servitiis colebat, tunc præsertim, cùm conjunx malus malam mortem obiit, qui carcere omnibusque malis, dum vixit, ANASTASIAM exercuit. Publio Ulpianus in impietate successit, sed quòd vim inferre castissimæ tentasset, oculis primò orbatus, mox vitâ ejectus, Publium ad orcum quoq; subsecutus est. Sub hæc cùm bene magnus numerus Christianorum in navim perforatam imponeretur, certo naufragio perituris dux ANASTASIA data est. Sed neque sic navigantibus sidera defuerunt. Visa est in velis D.Theodora nuper è flammis

flammis cum tribus filiis astris inserta. Hæc Helenâ magis propitia navim ad littus appulit. Sed hem in portu alia tempestas insurgit! ANASTASIA tribus palis alligata igne exuritur; socia turba omnis per diversa supplicia fortes animos expirat, eâ in vultu & oculis lætitiâ, ut ad nuptias ire omnes dixisses. Et ibant, sed Agni; ituri porrò, quocumque hic iverit. quid? quod vestigia sua, quò nos etiam sequi sciremus, sanguine signarunt. *Ex Metaphr.*

Contra mortifera blandimenta luctemur, scientes in eo quotidiana martyria Christianis deesse non posse. Si enim castitas & veritas & justitia Christus est; sic & ille, qui eis insidiatur, persecutor est; & qui ea in aliis defendere, & in seipso custodire voluerit, Martyr est. S. August. serm. 250. de Temp.

S. VICTORIA V. & M. 23. *Decembris.*

NEmpe nuptias VICTORIA parabat, nihil magis sollicita, quàm ut ad easdem abhorrentem Anatoliam impelleret. Ajebat itaq; nuptias primos homines celebrasse, DEO ipso paranympho. Easdem sacrosanctas ab omnibus gentibus, etiam Christianis, habitas esse. Christum nuptias adiisse & miraculo probasse; ipsum adeò despondere sibi Ecclesiam voluisse. denique quid liberis & nepotibus dubitaret orbem implere, quando, ut hic crescceret, DEVS imperasset? Contrà pugnabat Anatolia, in primâ mundi ætate hæc locum habuisse, cùm juvenem hunc crescere & impleri inquilinis opus erat. At nunc incolas non tam orbi quàm cælo deesse. Christum non nisi è Virgine voluisse nasci, vivere moriq́ue virginem voluisse, sponsum Ecclesiæ non nisi Virginis esse.

Neque

Neque verò se nuptias respuere, modò sponsus Deus esset. Videret ipsa, an hic terræ filio postponendus esset? Nuper adeò se ex Angelis didicisse (& didicerat) dotem huic unicè virginitatem placere, Eois lapillis omnibus chariorem. Itaque in hunc amores suos se transtulisse. Quòd si invideret VICTORIA, paratam se esse etiam illi hunc conciliare. His & similibus dictis jam dudum parili amore VICTORIA in Christum ferebatur. Quò ergo eum sibi devinciret, misso homine, dotem in paranymphos pauperes profundit, & in exilium acta ad alteras jam nuptias se parat. Jamq; unica purpura nuptialis deerat. Bonum factum! dedit hanc sanguis pro sponso fusus. *Ex Adone & Aldelmo.*

Amor rerum terrenarum viscum est spiritualium pennarum. Ecce concupisti, hæsisti. Quis dabit tibi pennas ut columbæ? quando volabis? ubi verè requiescas, quando hîc, ubi malè hæsisti, perversè requiescere voluisti? S. Augustserm. 33. de verb. Dom.

S. NICOLAUS MILES. 24. *Decembris.*

HAnc militum ego periculosissimam pugnam puto, quam cum castitatis hoste Amore pugnant. Nam huic succumbere, quid aliud est, quàm triumphos suos vendere? NICOLAO nostro crede, qui cùm in Bulgaros movit Nicephori Imp. auspiciis, ecce priusquàm bellum hostis faceret, militi mulier fecit hospitis filia. Ter impetum in castissimum fecit; sed ter NICOLAVS repulit verecundiæ umbone tutus. Poterat ergo ante pugnam victoriam canere, solus ex omni exercitu Nicephori victor. Etenim sub noctem somnus NICOLAVM in campum producit; videt stantes utrimq;

utrimq; acies, signa signis inferri, viros viris concurrere, scuta scutis, pede pedem hærere. Intereà aspicit ex cælestibus ducibus unum, qui decussatis in crucem pedibus, aleam belli regebat, & victoriam ex suo arbitrio dispensabat. Nam cùm sinistrum pedem dexter premebat, Romani; cùm siniſter dextro incumbebat, Bulgari vincebant. Sed & inter cæsorum corpora locum vacuum videt, auditq; fatalem eum sibi & commilitonibus suis futurũ fuisse, si Veneri heri palmam cessisset. Somnii veritatẽ cum sole dies ostendit, & strages Romanorum, quibus vincentibus primò, Bulgari ultimò victoriã extorserunt. Tum enimverò NICOLAVS rectiùs dehinc bellaturus, nomen militiæ religiosæ dedit. In hâc tot trophæa posuit, quot pugnas pugnavit. Illud nobilissimũ omnium est, quod NICOLAVS de NICOLAO statuit. *Ex Menæis.*

Vide quid tibi ante tribunal illud terrificum respondendum sit de eo, quòd acceperis in vano animã tuam, & animam talem; si inveniaris nihil egisse amplius de immortali & rationali spiritu, quàm quodvis pecus de suo? S.Bern.epist.104.

NATIVITAS CHRISTI. 25.*Decembris.*

EUge nox omni die candidior! Vides, quæ nullus dies vidit. Surgit, ecce, non ab undis, sed stipulis Sol meus. Superi! tam propè junctam soli quis umquã lunam conspexit? viden' ut è filii vultu lætiores radios mutuetur maternus oculus? Cæcus sum, nisi in hâc nocte amorẽ DEI mei video: video, video in hoc speculo ruborem meum. Stabulum, stipulæ, panni arguunt: Boreas frigus pectoris accusat: bos asinusque ingratũ clamant: loquaces puelli lacrimæ, & è parvo pectore magni

magni gemitus damnant. An sisto igitur me reum? at iratum metuo. At infans est: risu placatur. Negant manus tam parvæ fulmen ferre: si ferre velint, fasciæ vetabunt; mater non feret. Et numquid non pacẽ Angeli nuntiant? Quid? quòd blando insuper risu puer dulcissimus invitat, obvius etiam iturus, si pedes ferrent. Certè in amplexus brachiola offert. In tam amica vincula non curram? Imò pedibus plumbum denique demo. Ite, omnia puero vos membra substernite. Fœnum etiam vos estis. I, culcitra lingua esto: aptior VERBO non potest esse. Et tu cor pulvillum præbe: tactu molleſces. Vos quoque ite suspiria, & algentem fovete. Eia brachia in fascias; in balnea oculi abite. Denique ignoscite, qui aëra & rusticos mulcetis, silete Angeli. Præ omnibus modulis vestris vox optima, vox vagientis placet.

Ecce offertur tibi JESVS; *curre obviis manibus, extende manus, expande sinus; devotionem tuam probet tam actus, quàm affectus. Filium qui tibi offertur, suscipe fide, amplexare affectu, semperque inter ubera commoretur.* Guerric. serm. 2. de Nativ. Dom.

S. STEPHANUS M. 26. *Decembris.*

PRimus pro fide Christianâ sanguine suo STEPHANVS subscripsit, ut purpurati in cælo agminis antesignanus non immeritò habeatur. Sapientiâ DEOque plenus, eoque ab Apostolis inter VII. principes Diaconos adlectus, mirum est, quàm multis magnisque prodigiis sive Christianorum animos erexerit, sive fregerit dejeceritq; Judæorum. Et movit ea res bilem indurato ad omnem malitiam populo, ut, veluti legem profanasset, in jus raperent. Sed ille pro DEO, & se ita dixit,

dixit, ut ad oculorum verborumque fulmina attoniti omnes hærerent, jamque non in hominem pugnare se, sed Angelum crederent. STEPHANVS hoc acriùs victis instare, tunc præsertim, cùm ad spectaculũ cælo se effundente, virtutis arbitrum ponè dextram Patris stantem CHRISTVM habere se vidit. Itaque cùm urbe exturbatus saxis obrueretur, in genua subsidens egregius triarius fortissimè omnia excepit; DEO identidem nunc se, nunc hostes suos commendans. Et licèt horum caussa pessima esset, tam bono tamen patrono perorante, veniam impetravit Saulus, non ita multò pòst CHRISTO conciliandus, & in Paulum mutandus. Tam verum jam tunc fuit, Martyrum sanguinem Christianorum semen esse. *Ex Act. Ap.*

Etiam nos exemplo S. Stephani pro Domino pugnare non pigeat. Indicta nobis est pugnandi necessitas. Implacabiles sunt adversarii nostri, contra quos spiritualia arma sumenda. Corde certandum est, & corde vincendum. Laur. Justin. serm. de S. Steph.

S. MARINUS M. 26. *Decembris.*

AGe Sparta, & vel omne juventæ tuæ robur cum unius adolescentis MARINI fortitudine compone. Hic Romanus, & patricius, flagra tamen ecce concoquit. Catenas ut torques induit. Carceri ut palatio arridet. Suspẽsus ab equuleo despicit tyrannum. In lacero uncis corpusculo animum jactat non saucium. Serrâ ligneâ secandus gaudet geminus pugnare. In crate velut thoro accumbit. Ignis ubi subjicitur, flammas Hercules invitat. Dum plumbum superfunditur liquatum, blanditias probat. Dum in sartaginem immittitur flammantem, laudat delicias. Arboris ramis

ramis distrahendus evadit Milone fortior puer. Jam ad feras damnatus, ecce colludit his, & pardus pedes veneratur linguâ blandâ; manus tigris exosculatur; collum leo blandus amplectitur. Sed à feris in succensam fornacem ducitur inter Angelorum comitatum. Scilicet post binos dies aurum exit. Denique ad gladium vocatur. Sed tu crederes ad præmia invitari. Quid? quòd mortuus perrexit tyrannum fatigare. Custodes enim corpori additos fulmine fugavit, dum terræ hoc Theophilus quidem mandaret; & Martianus judex à partu suo (vermibus) periit corrosus, inhonestum, sed vivum tamen nactus sepulchrum. *Ex Mart. Rom. Pet. de Natal. & Ferrar.*

Gravis est nobis inimici tentatio, sed longè gravior illi nostra oratio: lædit nos iniquitas ejus & versutia, sed multò magis nostra eum simplicitas & misericordia torquet. Humilitatem nostram non sustinet, uritur charitate nostrâ, obedientiâ cruciatur. S. Bern. serm. 3. de Dedic.

SS. INDES & DOMNA MM.
26. *Decembris.*

DOMNA superstitionis in aulâ Maximiani Imp. summa Antistita, dum quæ fortiter egerunt Apostoli, legit, & aures Christianæ dat Virgini, sacrificare rectiùs Christo discit, & jam semet parat immolare. Tam sancti propositi socius, qui illi à cubiculis erat, INDES est factus. Cum hoc primò omnium aurum & argentum in manibus miserorum occultat. Tum cibos, quos quotidie Imperator lautissimos submittebat, ad eosdem transmittit, ipsa cibario pane & aquâ famem sitimque martyrii accendit. Ea res cùm aulam omnem

omnem in admirationem raperet, curiosus Eunuchus in cubiculum se penetrat DOMNÆ, & cum libro, de quo diximus, & cruce, itemque thuribulo & cistellâ, quâ delicias suas panem Angelorum asservabant, rem omnem in lucem protrahit. Cæsi igitur fame ultimâ excruciandi in carcerem concluduntur. Sed numquam aliàs tam opiparè vixerunt, quando mensam Angeli posuerunt omnibus lautitiis instructam. Inter hæc DOMNA unicâ zonâ, quam gestabat, auro & gemmis gravem, per fenestram demissâ, totam pauperum cohortem vestivit. Mox, ut cum cœnobio aulam liceret mutare, prudenter desipere se adsimulavit. Iterum deinde insidiantem Maximianum virili veste elusit, cumque jam non hanc modò, sed animum etiam virilem induisset, & INDEN mari mersum extractumque tumulasset, cæsa pro Christo, & in ignes conjecta, ex Sacerdote rectè victima est facta. *Ex Metaphr.*

Audiant Christiani qui quotidie corpus Christi attingunt, quantam de ipso corpore sumere possint medicinam; quando mulier totam rapuit de solâ Christi fimbriâ sanitatem. Sed quod nobis flendum est, nobis medicina ipsa retorquetur ad vulnus. S.Petr.Chrys. serm.34.

S. CONSTANTINUS CONF.

26.Decembris.

NAtus est hic CONSTANTINVS Hebræus, vixit verò Christianus, cùm Christianum alium, qui in fossam lapsus signo crucis se munierat, surgere incolumem vidisset. Ab eo tempore ita CHRISTI crucisque amore arsit, ut flammas pectoris prodigiosus in vultu splendor proderet.

Impuram è gente suâ puellam ad illicita se pellicientem cruce neci dedit, cruce vitæ reddidit. In cœnobium deinde, divino ductu, cùm venisset, dum Servatoris è cruce pendentis pedibus oscula tulit, Servator ipse amplexum illi rependit, simul suâ manu ductâ crucē fronti ejus impressit. Ipse quoque locum eum, quo sacris undis est tinctus, pedum suorum vestigiis insignē; eum verò, quo preces solitus est facere, cælestibus odoribus nobilem fecit. Jam templorum portæ spontè illi pandebantur. Totus oculeus illa etiam, quæ in animis hominum gerebantur, pervidit: undas sicco, cùm libuit, pede perambulavit, terrâ obrutus umbilico tenus XL. dies sine cibo duravit. Obiit verò anno, postquàm sacris est initiatus, VIII. verissimus Abrahæ filius. *Ex Menæis.*

Cùm cruce signaris, in mentem tibi veniat omnis vis, quam crux continet, ac tum iram omnesque à ratione aversos impetus extinxeris. Cùm frons consignabitur, aut reliqua membra, fac ut te ipse hostiam Deo gratam offeras. S. Chrysost. de Ven. crucis.

S. JOANNES APOST. 27. *Decembris.*

ECce, MATER magna, filius tuus! Ecce quisquis filius MARIÆ es, germanus VIRGINIS Sodalis JOANNES, cui ultimum cœnans Christus in pulvillum pectus suum, moriens in matrem, matrem dedit suam, nostram etiam deinceps, si Joannes sumus. Asiam administravit. Exul patriam tamen cælestem, aliaque quæ scriptis mandavit, arcana vidit. Venenum, quòd cruce temperasset, innoxium bibit, nec ab hoc tantum abhorruit, quantùm ab hæreticis, Cerintho præcipuè, quicum ne lavare quidem eisdem in balneis voluit.

luit. Amorem ejus aquæ multæ non potuerunt extinguere. Magis etiam arsit, cùm oleo Romæ ab igne bullienti immissus fuit. Ajebat summã legis *Amorem* esse. Illud unum in ore habuit: *Filioli diligite alterutrum*. Certè quantùm animos dilexerit, argumentũ ingens juventæ nescio quis juvenis est. Hunc Ephesum abiturus JOANNES Episcopo unicè commẽdaverat, sed pessimo custodi. Ecce adolescens is capitur ab animorum prædonibus (socios hodie malè dicimus) mox ipse corporum etiam latro, mox dux latronum evadit. Subinde JOANNES adest, & pretiosum ab amico depositum exposcit. Amissum ubi audit, graviter fidem malam objurgat, in silvas deinde excurrit (senio alas amore ministrante) visámque prædam tamdiu insequitur, dum lacrimis suis sistit, canisque, & amplexibus impeditam in viam reducit. Cessit itaque feliciter hæc venatio. Hodie multæ ejuscemodi feræ pereunt, quia retia fugiunt, maluntque ab orco rapi, quàm à cælo capi. *Ex Bar.*

Per B. Ioannis vestigia ad Redemptorem nostrum, pleno cordis amore tendamus: hujus doctrinam velut coruscam lampadem nostris semper gressibus præferamus; pudeat jam terrenis incumbere, qui per spei desiderium ad cæleste cœpimus gloriam festinare. P. Dam. serm. 2. de S. Joan.

SS. INNOCENTES MM.

28. *Decembris.*

MAla omnia nunciabat Herodi nuncius à Magis allatus. Quid? mea demum corona erit, quæ duos reges ferat? aut regni mei alienum heredem vivi spectabunt liberi? vivus ego? quin caput illi nunc aufero, ne ille diadema mihi? pur-

puram si ambit, domi habet; suo pingat de sanguine. At ne novi quidem hostem meum. Hoc plus etiam metuo. Certè infans est. Pereat hic omnis in regno, ut unus ille pereat. Etiam innocens? jam nocens est, qui hostis est. Sed quî hostis? quia ego hunc timeo. Sed tyrannum dicent. Nimirum vetus hoc Regis nomen est. I, miles, omnes bimulorum cunas everte; balneum his paracruentum, sed dignum hoste. Hæc ille; cùm intereà Angelus parvulum Regem, magnumque exulem in Ægyptum, gloriosâ fugâ, deducit. Sæviit nihilominùs barbarus mucro. Ubique clades, & funera. Vidisses majora vulnera quàm corpora, plus lactis fundi quàm sanguinis; hunc saxo, illum capulo frangi; hunc è gladio, illum ab hastâ pendere, multis teli vicem militis vultum esse. Dedit tamen pœnas tyrannus: morborum enim omnium theatrum factus, eodem anno, cùm tot homicidia parricidio insuper maximi natu filii cumulasset, vitâ regnoque excidit, periitque. At prætextata illa turba cælo scilicet vivit, ridetque etiamnum tyrannum, quòd talis infantes timuerit. *Ex Baron. & Saliano.*

Si temporalis & speciosa nos delectat domus, quantò magis spiritualis mansio decora & cælestis nostrum sibi debet vendicare affectum? non minùs in spiritualibus quàm in temporalibus inveniamur cupidi, potissimùm cùm istæ momentaneæ sint, illæ æternæ. S. Laur. Just. de SS. Innocent.

S. THOMAS EP. M. 29. *Decembris.*

NOn jam primùm sanguine piorum rigaris Anglia. Jam olim fuso THOMÆ cruori fructum debebas, nisi eheu! sterilitatem hæresis induxisset.

duxisset. Sed ego ad THOMAM me verto. Adolescens cùm eripere aquis accipitrem laboraret, ipse iisdem pænè abreptus est. Sed molæ rota exitium aliàs adnatantibus, tunc sponte suâ consistens, THOMÆ scala fuit. Debebatur scilicet diutiùs Angliæ regno, cujus Cancellarius posteà creatus à rege est. Paulò pòst hic insulam Cantuariensem addidit: quam tanti THOMAS fecit, ut hanc posteà regi edictis impiis contra Ecclesiam pugnanti non dubitarit opponere; quin solâ cruce armatus cum irato congredi. In illâ pugnâ, ut amat fieri ad tribunalia, damnatur innocentia ad vincula. Sed libertas Christiana exilium elegit, in quod ipsum rex omnes amicos THOMÆ egit, ut si non suæ, suorum certè miseriæ succumberet. Sed his calamitatibus ille ad martyrium, velut tyro ad palum, se exercebat. Nec multò pòst ipse conspicuus Christus ad palmam invitavit. Ergo redux in Angliam in templo invaditur. Prodit THOMAS in amplexus hostium, vetat primò cuiquam alteri è suis manum injici, jugulũ deinde præbet, cadit, & muneris sui neque post mortem oblitus, bene omnibus è feretro dicit. O nunc iterum aliquando THOMA, bene Angliæ tuæ precare. *Ex Eduardo.*

Nihil in homine, cui curiositas prosit, invenies. Frivola prorsus & inanis ac nugatoria consolatio: & nescio quid illi durius imprecer, quàm ut semper habeat, quod requirit, qui jucundæ quieti is fugitans curiosâ inquietudine delectatur. S. Bern. in sent.

S. MARCELLUS CONF. 29.*Decembris.*

APameæ natus MARCELLVS patrem morte pueramisit. In puero tamen hoc miseri patrem suum invenerunt, cùm hereditatem omnem his cederet. Ephesi quoque quod scribendo lucellũ sibi parabat, habebat cum egenis commune. Pòst verò Abbas certavit etiam cum Deo liberalitate. Sed cur hic ab homine vinceretur? Itaque cùm x. nummos, qui uni reliqui erant, omnes erogari in captivos nuper Episcopos jussisset, mox dono xc. talenta recepit. Succensuit nihilominùs dispensatori, quòd uno retento nummo, fœnus x. talentis imminuisset. Taceo horreum vacuum mox frumento plenum, quod unis scilicet precibus suis MARCELLVS convexit: quas quidem quàm acceptas haberet Deus, ille vidit, qui supplicem humo ab Angelis vidit attolli, & solis instar nitere. Porro corpora ægrorum ita curabat, ut simul medicinam animis faceret. Quare Judæus in morbum toties, quoties in perfidiam est relapsus, dum ludentem cum DEO & Divo mors castigavit. Jam cùm Byzantium urbs tota flammis delenda esset, mediam servavit MARCELLVS, igne lacrimis extincto. Cœnobium ipsius cùm spoliare pararent milites, lux ingens hoc tegere visa, in luce crux, è cruce verò tot fulmina, quot tela, quæ non jam manus in prædam, sed pedes in fugam docuit prædones conjicere. Addo illud, cùm Reipublicæ causâ Leonem Imp. adiret, honoris causâ ab Angelis deductum esse, uti tam nobiles stipatores corporis monacho ipse puto Imp. invideret. *Ex Metaphr.*

Homo qui naturæ donum, munus animæ, rationis beneſi-

beneficium, excellentiam sensus, artis industriam, culturæ bonum per steriles actus evertit, mergit auctori fructum, cultori gratiam negat; sicut arbor è terra, sic iste è vitâ meretur excidi. S. Petr. Chrys. serm. 106.

S. EBRULPHUS CONF. 29. *Decembris.*

EBRVLPHVS è regis Galliæ ad Christi aulam transiit, haud paulò honestiori loco futurus. Permovere ad transitionem illa Christi verba, quibus non modò EBRVLPHVM, sed te etiam, Lector, hodie invitat: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hæc, inquam, cùm attentiùs apud animum suum considerasset EBRVLPHVS, quàm vulgò solemus, non insuper habendam ratus est conditionem, quam non homo rex, sed Deus offerret: mox igitur conjugi, liberis, aulæ, opibus, & clientelis vale ultimũ dixit. Accessere comites EBRVLPHO tres alii, quibus omnibus in solitudines dux bonus Angelus bonus fuit. Ibi, ut, quod initio dixeramus, non aulam, sed dominum scires deseruisse, cellas exædificavit centum & quinquaginta, totidemque clientes numeravit, aluitque, commeatum subinde cælo suppeditante. Nam cùm dimidius fortè panis, qui unus reliquus, imperio Divi, pauperi cessisset, adfuit continò mulus cibariis onustus. Plus etiam sollicitus fuit viaticum divinum abeuntibus è vitâ ut daret: quare cùm sine hoc è Sodalibus quidã decessisset, in vitã revocavit tantisper; tum demũ cum hoc ire feliciter jussit. Ipse quoque ultimùm æger præter hunc cibũ alium nullũ multo tempore admisit, stomacho (vel animo potiùs) omnia humana respuente. Mortuus deinde inter preces suorum revixit, dum

assem in miseros ipse dispensaret. Funeri dum illacrimatur in sacris Diaconus, moriqúe etiam ipse exoptat, voti damnatus unà tumulatur, anno D.XC. *Ex Surio.*

Felicitas magna Christianorum, quibus datum est, ut paupertatem faciant pretium cælorum. Non tibi displiceat paupertas tua; nihil eâ potest ditius inveniri. Vis nosse quàm locuples sit? cælum emit. Quibus thesauris conferri potest, quod videmus paupertati indultum? S. Augustin. serm. 28. de verb. Apost.

S. PHILETÆRUS CONF.

30. *Decembris.*

MIrentur alii in PHILETÆRO Procos. Nicomediæ filio illustre formæ decus, quo illum ævo suo Diis parem homines fecerunt; ego in pulcherrimo corpore pulchriorem animum demiror exosculorque; & hoc amplius, quòd animi æstimator ipse egregius, nihili membrorum decorem fecit, omnibusque tormentis præbuit lacerandum. Primùm Diocletianum vicit, qui cùm blasphemus Christum incesseret, vindex divini honoris PHILETÆRVS, terram cæloque ad iras movit. In fornacem deinde succensam injectus, se ipso pulchrior egressus est. Jam sub Maximiano virgis uncisque fœdum in modum acceptus, omnium tamen in se oculos Superûm rapuit, & tum denique his formosus est visus. Feræ sive formâ & ipsæ, sive fortitudine adolescentis captæ, ad pedes se abjecerunt victoris; feras verò cùm duo homines induissent, gladioque Martyri imminerent, in loco obriguere. Ultimò cùm virtus hæc oculos jam tyranni etiam perstringeret, exulare jussa est. Et ecce de viâ morbi dæmonesque mali

mali cedere, pedibus Dii se & templa sua substernere: quibus permotus Comes cum VI. militibus fidem nostram est amplexus. PHILETÆRVS cùm Eubiotum virum sanctitatis famâ celeberrimum adiret, monitus hic ab Angelo bono obviàm Marryri progressus est. In ejus antro Divum septimo die, socios verò duodecimo, ab exilio mors absolvit. *Ex Menæis.*

Quære tuum bonum. Nemo bonus nisi unus Deus: summum bonum hoc est bonum tuum. Pecori quid bonum est, nisi implere ventrem, dormire, gestire? Tale tu bonum quæris? Coheres Christi quid gaudes, quia socius es pecorum? S. Augustin. in Psal. 102.

S. SILVESTER PAPA.

31. *Decembris.*

PAtria SILVESTRO Roma, Romæ, hoc est, patriæ, pater ipse SILVESTER fuit. Hoc tamen orbare Romam Urbis probrum Tarquinius voluit. Sed SILVESTER ad tribunal citatus, novo more mortē judici reus indixit. Dictum, factum. Piscem dum cœnat, os fortè ex hoc gutture receptum Tarquinius hamum mortis esse sentit. Post hæc dum Constantinus remissiùs rem Christianam curat, & sopitæ nuper iterum in pios persecutiones recrudescunt, exul SILVESTER montem Soracten insidet; impietatis fœditatem, ut videret Imperator, leprâ inficitur. Sacrificuli, lepram ut abluat, balneas è parvulorum sanguine suadent. Ingemuere ad consilium impium omnes Romanæ matres, cùm audirent sanguini, quo vel manum aspergere scelus semper non expiandum habitum est, totum velle Imperatorem innatare; certè innatare rectiùs tot matrum lacrimis

jam poterat. Et verò ejulatus, & comploratio totâ urbe facta aures Imperatoris exoravit, factique pœnitens, censuit ipse hoc quoque ingens scelus esse, facere scelus voluisse. Interea principum Apostolorum species dormienti oblata vocare SILVESTRVM jussit, qui sanctiores illi thermas ostenderet. Vocavit, & Christianis undis lotus, lepram corporis animique exuit. Triumphum SILVESTRO mortuo anno CCC.XXXV. cælum decrevit. *Ex Baronio.*

Mittitur Virginis Filius, Filius Dei altissimi, & jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis sui balsamo medeatur. Agnosce homo, quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. S. Bern. serm. 3. de Nat.

S. BARBATIANVS CONF.

31. Decembris.

BARBATIANVS Sacerdos Antiochiâ Romam venit, credo ut virtus viri, & prodigia faciliùs inde in orbem se diffunderent. Etenim cùm sub adventum suum cæcum, alteramq; oculis laborantem puellam curasset, oculos omnium in se vertit: & cùm servulum Imp. Valentiniani per scalas præcipitẽ in pedes erexit, ipsum sibi Imperatorem devinxit. Igitur à Placidiâ Augustâ Ravennam deductus, auctor huic cœpit esse, ut D. Joannis, quem Euangelistam dicimus, honori templum augustum moliretur. Persuasit, & ubi ad fastigium fabrica fuit deducta, ecce ipse Divus Joannes Pontificali habitu insignis ædem sacrare visus est, & miraculi vestigium sandalium dextri pedis Augustæ relinquere. Atque hoc templum, cùm illi jam totum se BARBATIANVS addixisset, mira-

miraculis pluribus decoravit. Nam cruce (familiari jam medicinâ) & strumam à collo nobilissimi adolescentis, & à matronâ sanguinis fluxum pepulit; atque hæc cùm grata sæpiùs ad templum inviseret, siniſtrâ suspicione ductus maritus, BARBATIANVM in templo stricto ferro aggreditur. Sed manus, pes, lingua hominis tam diu in loco obriguerunt, dum facilis etiam in hostes medicus BARBATIANVS precibus suis emolliit. *Ex Ferrar.*

Multum meruit de nobis Deus, qui & immeritis seipsum dedit nobis. Quid enim melius seipso dare poterat vel ipse? Ergo si Dei meritum quæritur, illud est præcipuum, quia prior dilexit nos, dignus planè qui redametur, præsertim si advertatur, Quis, Quos, Quantumq; amaverit. S. Bern. de Dil. Deo.

S. COLUMBA VIRG. MART.

31. *Decembris.*

INnocentis COLVMBÆ sanguinem qui fundere hodie potuit, an non rectè hunc accipitrem dixero? Fuit hic Aurelianus Imp. qui ubi Senonas (patriam COLVMBÆ) venit, illico in virginem castissimam involavit, prædamque filii amoribus servaturus, precibus, promissis, minis à Christi amplexibus virginē studuit avocare. Sed quî potuisset avelli, quæ his se tam arctè illigaverat, hedera? Ergo aut sacrifica, ait tyrannus, aut tute igne sacrificabere, nec priùs quàm quem maximè amas pudorem Veneri litaveris. Risit ad illa virgo, ad hæc cohorruit. Nec mora, ad lupas abducitur; & ecce, Barucha juvenis princeps audaciæ & impudentiæ irrumpit. Quid faceret inter ungues milvi COLVMBA? Gemit, & gemitus surdis

hominibus audit in theatro ursa, accurrit afflictumque humi DEI rivalem tam diu terret, dum ille DEO manus, virgo veniam dat. Intereà ædibus Aurelianus irâ flagrans, ignes subjicit. At cælum hos imbre, mox gladio cæsa COLVMBA sanguine extinguit. *Ex Ferrario.*

Si diligenter attenderis, ubique laqueos inimici deprehendes voluptatum illecebris tamquam melle circumlitos; ut si quis voluptatis suavitatem gustare velit, laqueo capiatur. Noli mel hoc concupiscere; dulcedinis enim illius extremum felle replet amatores suos. S. Ephrem in recta vitæ ratione.

INDEX
NOMINVM
SANCTORUM.

A

Abdon & Sennen MM. 30. Iul. 372
Abramius eremit. 16. Mart. 141
Abundantia virgo, 19. Ian. 45
Achatius cum soc. martyres, 22. Iun. 313
Adrianus & Natalia martyres, 8. Sept. 437
Ægidius confessor, 23. Apr. 206
Ægidius confessor, 1. Sept. 428
Afra martyr, 5. Aug. 383
Agapitus martyr, 18. Aug. 403
Agatha virgo & martyr, 5. Feb. 74
Agnes virgo & martyr, 21. Ian. 50
Agnes de Monte Politiano virgo, 20. Apr. 203
Aibertus eremita, 7. Apr. 182
Aichardus Abbas, 15. Sept. 450
Aidanus Episcopus, 31. Aug. 426
Aigulphus martyr, 3. Sept. 430
Albertus confessor, 7. Aug. 385
Albertus confessor, 3. Sept. 431
Albertus Magnus Episcopus, 16. Nov. 557
Aldegundis virgo, 30. Ian. 63
Alexander martyr, 13. Maii. 242
Alexander Carbonarius Episc. martyr, 11. Aug. 390
Alexius confessor, 17. Iul. 351
Alferus Abbas, 12. Apr. 189
Aloysius Gonzaga confessor, 21. Iun. 312
Amandus Episcopus & confessor, 6. Feb. 80

Amatus confessor, 8. Maii. 235
Ambrosius Sansedonius confessor, 20. Mart. 154
Ambrosius Episcopus, 7. Dec. 598
Ammon cum soc. martyres, 20. Dec. 616
Ananias, Azarias, Misael, 16. Dec. 611
Anastasia virgo & martyr, 22. Dec. 618
Anastasius martyr, 22. Ian. 51
Anatolia virgo, martyr, 9. Iul. 341
Andreas Corsinus Episcopus, confessor, 6. Ian 27
Andreas de Chio martyr, 29. Maii. 270
Andreas martyr, 17. Octob. 506
Andreas Episcopus, 6. Nov. 545
Andreas Apostolus, 30. Nov. 583
Andronicus & Athanasia, 27. Febr. 115
Angelus Carmelita, 5. Maii. 230
Anno Episcopus, 4. Dec. 592
Annunciatio B. M. Virg. 25. Mart. 160
Anonymus Ægyptius martyr, 11. Dec. 604
Ansbertus Episcopus, 9. Febr. 86
Anselmus Episcopus, 21. Apr. 204
Anthusa virgo, 22. Aug. 410
Antiochenæ martyres, 11. Mart. 133
Antoninus Episcopus, 2. Maii. 224
Antoninus martyr, 2. Sept. 429
Antonius Magnus Abbas, 17. Ian. 42
Antonius Episcopus, 12. Febr. 91
Antonius de Padua confessor, 13. Iun. 294
Apollinaris virgo, 5. Ian. 24
Apollonia virgo & martyr, 9. Febr. 85
Arcadius martyr, 12. Ian. 35
Armogastus & Satyrus, 29. Mart. 164
Arnulphus Episcopus, 16. Aug. 397
Arsenius Abbas, confessor, 19. Iul. 353
Asella virgo, 7. Dec. 597

Assum-

Assumptio B.M.V. 15.*Aug.* 396
Athanasia & Andronicus, 27.*Febr.* 115
Athanasius Episcopus, 2.*Maii.* 223
Audoënus Episcopus, 24.*Aug.* 414
Audomarus Episcopus, 9.*Sept.* 440
Augustinus Episcopus, 28.*Aug.* 423
Ejus conversio, 5.*Maii.* 229
Avitus confessor, 17.*Iun.* 303
Aurelius & Natalia martyres, 27.*Aug.* 420
Austreberta virgo, 10.*Febr.* 89
Austregisilus Episcopus, 20.*Maii.* 258
Auxentius Abbas, 14.*Febr.* 95
Auxibius Episcopus, 19.*Febr.* 104

B

Babylas Episcopus, martyr, 24.*Ian.* 55
Balbina virgo, 31.*Mart.* 168
Barbara virgo, martyr, 4.*Dec.* 593
Barbatianus confessor, 31.*Dec.* 634
Barnabas Apostolus, 11.*Iun.* 291
Barlaam & Iosaphat confessores, 27.*Nov.* 580
Bartholomæus Apostolus, 24.*Aug.* 413
Basileus Episcopus, 26.*Apr.* 210
Basilides cum sociis martyres, 10.*Iun.* 288
Basiliscus martyr, 22.*Maii.* 260
Basilissa & Iulianus, 9.*Ian.* 32
Basilius Magnus, 1.*Ian.* 17
Bassa cum FF. martyres, 21.*Aug.* 407
Bavo confessor, 1.*Octob.* 481
Benedictus Abbas, 20.*Mart.* 155
Benno Episcopus, 16.*Iun.* 298
Bernardinus Senensis confessor, 20.*Maii.* 257
Bernardus Abbas, 20.*Aug.* 405

Bernardus Senensis, 22. Aug. 409
Bertulphus confessor, 5. Feb. 77
Berytens. Crucifixi memoria, 9. Nov. 548
Blasius Episcopus, martyr, 3. Feb. 70
Bobo confessor, 23. Maii. 262
Bona virgo, 24. Apr. 208
Bonaventura Episcopus, Card. 14. Iul. 347
Bonfilius confessor, 8. Sept. 439
Bonifacius Episcopus, 14. Maii. 245
Bonifacius martyr, 5. Iun. 280
Bonifacius martyr, 19. Iun. 306
Bonitus Episcopus, confessor, 15. Ian. 40
Bononius Abbas, 30. Aug. 425
Brigida virgo, 1. Febr. 68
Brigitta vidua, 23. Iul. 359
Bruno confessor, 6. Octob. 488
Bruno Episcopus, 11. Octob. 498
Brynolphus Episcopus, 6. Feb. 81

C

CÆcilia virgo, martyr, 22. Nov. 570
Cæsarius Episcopus, 27. Aug. 421
Cæsarius martyr, 1. Nov. 534
Calliopius martyr, 7. Apr. 181
Callistratus martyr, 27. Sept. 470
Caprasius & Fides martyres, 20. Octob. 511
Carolus Borromæus Episc. Card. 4. Nov. 539
Carpus discipulus S. Pauli, 26. Maii. 266
Casimirus confessor, 4. Mart. 122
Cassianus Episcopus, martyr, 13. Aug. 393
Catharina Senensis virgo, 29. Apr. 216
Catharina Sueca virgo, 22. Mart. 156
Catharina virgo, martyr, 25. Nov. 574
Ceadda Episcopus, 2. Mart. 119

Chariton confessor, 28. Sept. 474
Chilianus cum sociis martyres, 8. Iul. 339
Christiana ancilla Ibera, 15. Dec. 610
Christianus monachus, 4. Feb. 73
Christina virgo, martyr, 24. Iul. 360
Christina Mirabilis, 24. Iul. 361
Christophorus martyr, 25. Iul. 363
Chrysanthus & Daria martyres, 25. Octob. 522
Circumcisio D.N. Iesu Christi, 1. Ian. 16
Clara virgo, 12. Aug. 392
Clara de Monte Falco virgo, 17. Aug. 401
Claudius, Asterius & Neon martyres, 23. Aug. 411
Clemens Ancyranus martyr & Episc. 23. Ian. 52
Clemens Papa, martyr, 23. Nov. 571
Codratus martyr, 10. Mart. 132
Coleta virgo, 6. Mart. 125
Colmannus martyr, 13. Octob. 501
Columba virgo, martyr, 31. Dec. 635
Columbanus Abbas, 21. Nov. 569
Commemoratio omniũ Fideliũ Defunctorũ, 2. Nov. 535
Commemoratio Crucis Berytensis, 9. Nov. 548
Conceptio B. M. V. 8. Dec. 599
Conon martyr, 5. Mart. 123
Conon martyr, 29. Maii. 269
Conradus eremita, 19. Feb. 105
Conradus Episcopus, 26. Nov. 576
Constantinus confessor, 26. Dec. 625
Constantius Episcopus, martyr, 29. Ian. 62
Conversio S. Pauli Apostoli, 25. Ian. 56
Conversio B. Augustini, 5. Maii. 229
Corbinianus Episcopus, 8. Sept. 438
Cunibertus Episcopus, 12. Nov. 551
Cuthbertus Episcopus, 20. Mart. 152
Cyprianus & Iustina martyres, 26. Sept. 467

Dacha-

D

Dachatius martyr, 15. Dec. 609
Daniel propheta, 21. Iul. 355
Daniel Abbas, 21. Iul. 356
Daniel Stylita confessor, 11. Dec. 603
Daria & Chrysanthus martyres, 25. Octob. 522
Dasius martyr, 20. Nov. 566
Dedicatio S. Mariæ ad Nives, 5. Aug. 381
Decollatio S. Ioannis Baptistæ, 29. Aug. 424
Demetrius martyr, 26. Octob. 523
Didymus & Theodora martyres, 28. Apr. 212
Dionysius Areopagita, 9. Octob. 494
Dominicus confessor, 4. Aug. 380
Dominicus Loricatus confessor, 14. Octob. 503
Dorothea virgo & martyr, 6. Febr. 79
Dunstanus Episcopus, 19. Maii. 255
Dympna virgo & martyr, 15. Maii. 249

E

Eberhardus Episcopus, 1. Iul. 327
Ebrulphus confessor, 29. Dec. 631
Editha virgo, 16. Sept. 451
Edmundus Episcopus, 16. Nov. 558
Edmundus rex, martyr, 20. Nov. 367
Eduardus rex, confessor, 5. Ian. 25
Eduardus rex, 18. Mart. 147
Elesbaan rex, confessor, 27. Octob. 526
Eleutherius Abbas, 6. Sept. 434
Eligius Episcopus, 1. Dec. 586
Elisabetha vidua, 19. Nov. 565
Elzearius confessor, 27. Sept. 471

Emericus confessor, 4.*Nov.* 541
Emmeranus Episcopus & martyr, 22.*Sept.* 462
Engelbertus Episcopus, martyr, 7.*Nov.* 546
Ephrem diaconus, 1.*Febr.* 67
Epiphaniæ seu Trium Regum, 6.*Ian.* 26
Epiphanius Episcopus, 12.*Maii.* 240
Equitius Abbas, 7.*Mart.* 127
Erendrudis virgo, 30.*Iun.* 324
Ericus rex, martyr, 18.*Maii.* 253
Ermelindis virgo, 29.*Octob.* 529
Ethbinus Abbas, 19.*Octob.* 510
Eucherius Episcopus, 20.*Febr.* 106
Eudoxius martyr, 5.*Sept.* 433
Eulalia virgo, martyr, 10.*Dec.* 602
Euphrasia virgo, 13.*Mart.* 137
Euphrosynus confessor, 11.*Sept.* 445
Eustachius cum sociis martyres, 20.*Sept.* 457
Eustasius Abbas, 29.*Mart.* 165
Eustochium virgo, 2.*Nov.* 536
Eutropia & Nicasius martyres, 14.*Dec.* 608
Eutychius martyr, 15.*Apr.* 196
Exaltatio S. Crucis, 14.*Sept.* 449

F

Faustinus & Iovita martyres, 15.*Febr.* 96
Felicitas cum 7. filiis martyres, 10.*Iul.* 342
Felix Presbyter, 14.*Ian.* 37
Ferreolus martyr, 18.*Sept.* 455
Fides, Spes & Charitas virgines, martyres, 1.*Aug.* 377
Firmina virgo, martyr, 24.*Nov.* 573
Firmus & Rusticus martyres, 9.*Aug.* 387
Flavia Domitilla virgo & martyr, 7.*Maii.* 234
Florianus martyr, 4.*Maii.* 226

Fortunatus Episcopus, 14. *Octob.* 502
Franciſca Romana vidua, 9. *Mart.* 131
Franciſcus Borgia confeſſor, 1. *Octob.* 482
Franciſcus confeſſor, 4. *Octob.* 485
Franciſcus de Paula confeſſor, 2. *Apr.* 171
Franciſcus Senenſis, 30. *Apr.* 219
Franciſcus Xaverius Soc. JESV, 2. *Dec.* 588
Fridolinus Abbas, 6. *Mart.* 124
Fronto Abbas, 14. *Apr.* 194
Fructuoſus Epiſcopus, martyr, 21. *Ian.* 48
Fulco Epiſcopus, 26. *Octob.* 525
Furſeus confeſſor, 16. *Ian.* 41

G

Galation & Epiſteme martyres, 5. *Nov.* 543
Galganus eremita, 3. *Dec.* 591
Gallicanus martyr, 25. *Iun.* 319
Gallus Abbas, 16. *Octob.* 505
Gangulphus martyr, 11. *Maii.* 238
Gelaſius confeſſor, 5. *Feb.* 78
Geneſius martyr, 25. *Aug.* 417
Genovefa virgo, 3. *Ian.* 21
Genovefa palatina, 12. *Apr.* 172
Georgius martyr, 24. *Apr.* 207
Gerardus Epiſcopus, martyr, 24. *Sept.* 465
Germanus Epiſcopus, 28. *Maii.* 268
Germanus Epiſcopus, 31. *Iul.* 373
Geroldus martyr, 7. *Octob.* 491
Gertrudis virgo, 17. *Mart.* 146
Glodeſindis virgo, 25. *Iul.* 364
Glyceria & Laodicius martyres, 10. *Maii.* 237
Goar Presbyter, 6. *Iul.* 334
Godefridus Comes Cappenberg. 13. *Ian.* 36

Godefridus Episcopus, 8.*Nov.* 547
Godeleva martyr, 6.*Iul.* 335
Golinducha vidua, martyr, 11.*Iul.* 343
Gordius Centurio martyr, 3.*Ian.* 20
Gregorius Magnus Papa, 12.*Mart.* 134
Gregorius Nazianzenus Episcopus, 9.*Maii.* 236
Gregorius cum sociis confessores, 24.*Aug.* 416
Gregorius Episcopus, 30.*Sept.* 478
Gregorius Thaumaturgus Episcopus, 17.*Nov.* 559
Gregorius Turonensis Episcopus, 17.*Nov.* 560
Gualterius Abbas, 4.*Iun.* 279
Guido confessor, 12.*Sept.* 447
Guilielmus confessor, 10.*Feb.* 87
Guilielmus Abbas, 6.*Apr.* 180
Guntramus rex confessor, 28.*Mart.* 163
Gurias, Samonas & Abibus martyres, 15.*Nov.* 556
Guthlacus eremita, 11.*Apr.* 188

H

Edwigis vidua, 15.*Octob.* 504
Helenus Abbas, 17.*Apr.* 198
Heliseus propheta, 14.*Iun.* 295
Helladius Episcopus, 18.*Febr.* 103
Hemmingus Episcopus, 21.*Iun.* 311
Henricus confessor, 13.*Mart.* 138
Henricus Imperator, 14.*Iul.* 346
Henricus Suso, 25.*Ian.* 58
Heribertus Episcopus, 16.*Mart.* 143
Hermannus-Iosephus confessor, 4.*Apr.* 176
Hermenigildus martyr, 13.*Apr.* 191
Hieronymus D. Eccl. 30.*Sept.* 477
Hilarion Abbas, 21.*Octob.* 512
Hildegardis Abbatissa, 17.*Sept.* 454

Homobonus confessor, 13. *Nov.* 553
Hospitius confessor, 21. *Maii.* 259
Hugo Abbas, 29. *Apr.* 215

I

Iacobus Alemannus, 11. *Octob.* 499
Iacobus Apostolus, 25. *Iul.* 362
Iacobus eremita, 28. *Ian.* 61
Iacobus confessor, 31. *Maii.* 273
Iacobus Nisibensis Episcopus, 15. *Iul.* 349
Iacobus Intercisus martyr, 27. *Nov.* 579
Ianuarius Episcopus, & socii martyres, 19. *Sept.* 456
Iapones martyres, 5. *Febr.* 75
Ignatius Episcopus & martyr, 1. *Febr.* 66
Ignatius de Loyola confessor, 31. *Iul.* 374
Ildephonsus Episcopus, 23. *Ian.* 54
Indes & Domna martyres, 26. *Dec.* 624
Innocentes martyres, 28. *Dec.* 627
Inventio S. Crucis, 3. *Maii.* 225
Ioachimus pat. B. V. M. 20. *Mart.* 151
Ioachim Senensis confessor, 16. *Apr.* 197
Ioannes confessor, 10. *Octob.* 496
Ioannes Angelus confessor, 24. *Octob.* 521
Ioannes Apostolus, Euangelista, 27. *Dec.* 626
Ioannes Baptista, 24. *Iun.* 317
Ioannes Bonus confessor, 22. *Octob.* 516
Ioannes Calybita confessor, 15. *Ian.* 39
Ioannes Chrysostomus Episcopus, 27. *Ian.* 60
Ioannes Chuzubita eremita, 3. *Octob.* 484
Ioannes Columbinus, 31. *Iul.* 375
Ioannes Damascenus, 6. *Maii.* 233
Ioannes Eleemosynarius Episcopus, 23. *Ian.* 53
Ioannes Gualbertus Abbas, 12. *Iul.* 344
Ioannes Silentiarius, 13. *Maii.* 243

Ioannicius Abbas, 4. *Nov.* 540
Iodocus confessor, 13. *Dec.* 607
Iordanus confessor, 13. *Febr.* 94
Ioſaphat & Barlaam confeſſores, 27. *Nov.* 580
Ioſcio confeſſor, 30. *Nov.* 584
Ioſephus ſponſus B. M. V. 19. *Mart.* 148
Ioſephus poëta, 3. *Apr.* 175
Ioſephus-Hermannus, 4. *Apr.* 176
Irenæus & Abundius martyres, 26. *Aug.* 419
Irene virgo & martyr, 5. *Apr.* 179
Iſacius eremita, 30. *Maii.* 272
Iſidorus confeſſor, 12. *Mart.* 135
Ivan eremita, 24. *Iun.* 318
Iuliana virgo & martyr, 16. *Febr.* 100
Iuliana virgo, 19. *Iun.* 308
Iulianus martyr, & Baſiliſſa virgo, 9. *Ian.* 32
Iulianus confeſſor, 12. *Febr.* 92
Iulitta & Quiricus, 16. *Iun.* 300
Ivo Presbyter, 19. *Maii.* 254
Iuſtina virgo & martyr, 13. *Iul.* 345
Iuſtina virgo & martyr, 26. *Sept.* 467
Iuſtinus martyr, 13. *Apr.* 190
Iuſtus martyr, 18. *Octob.* 508
Iuſtus & Paſtor martyres, 6. *Aug.* 384
Iutta vidua, 5. *Maii.* 232
Iuvenis Ægypt. Anonymus, 11. *Dec.* 604

K

Kilianus cum ſociis martyres, 8. *Iul.* 339
Kunegundis Auguſta, 3. *Mart.* 121

L

Ladiſlaus rex, 27. *Iun.* 321
Lambertus Epiſcopus, martyr, 17. *Sept.* 452
Landelinus Abbas, 15. *Iun.* 297

Landfrancus Episcopus, 3.Iul. 331
Landrada virgo, 8.Iul. 340
Laodicius & Glyceria martyres, 10.Maii. 237
Launomarus Abbas, 19.Ian. 44
Laurentius Episcopus, 14.Nov. 554
Laurentius Iustinianus Patriarcha, 8.Ian. 31
Laurentius martyr, 10.Aug. 388
Lazarus monachus, 23.Febr. 110
Lazarus Episcopus, 17.Dec. 613
Leobardus recluſus, 18.Ian. 43
Leodegarius Episcopus, 2.Octob. 483
Leontius martyr, 18.Iun. 304
Lioba Abbatiſſa, 28.Sept. 475
Longinus Centurio martyr, 15.Mart. 140
Lucas Euangeliſta, 18.Octob. 507
Lucia virgo, martyr, 13.Dec. 606
Lucianus martyr, 7.Ian. 29
Lucius rex, 3.Dec. 589
Ludgardis virgo, 16.Iun. 301
Ludgerus Episcopus, 26.Mart. 161
Ludovicus Episcopus, 19.Aug. 403
Ludovicus rex confeſſor, 25.Aug. 418
Lupicinus & Romanus confeſſores, 28.Febr. 116
Lupus Episcopus, 29.Iul. 371
Lydwina virgo, 14.Apr. 193

M

Macarius Alexandrinus Abbas, 2.Ian. 19
Macarius Patriarcha, 10.Apr. 186
Macarius Romanus eremita, 23.Octob. 518
Malachias Episcopus, 5.Nov. 544
Malchus confeſſor, 21.Octob. 513
Mammas martyr, 17.Aug. 399

Marcella vidua, 31. *Ian.*	64
Marcellinus & Petrus, 2. *Iun.*	276
Marcellus Abbas, 29. *Dec.*	630
Marcius eremita, 24. *Octob.*	520
Marcus Euangeliſta, 25. *Apr.*	209
Margarita Pœnitens, 22. *Febr.*	109
Margarita regina, 10. *Iun.*	287
Margarita virgo, martyr, 20. *Iul.*	454
Margarita vidua, 28. *Aug.*	422
Maria Ægyptiaca, 9. *Apr.*	185
Maria Magdalena, 22. *Iul.*	358
Maria de Oegnies, 23. *Iun.*	316
Maria de Victoria, 7. *Octob.*	490
Marianus & Iacobus martyres, 30. *Apr.*	219
Marina virgo, 8. *Febr.*	84
Marinus martyr, 26. *Dec.*	623
Martianus Presbyter, confeſſor, 10. *Ian.*	33
Martinianus confeſſor, 13. *Febr.*	93
Martinus Epiſcopus, 11. *Nov.*	550
Martyres Antiochenæ, 11. *Mart.*	133
Martyres Iaponii, 5. *Febr.*	75
Martyres Nagrani, 24. *Octob.*	519
Martyres Sebaſteni, 9. *Mart.*	130
Matthæus Apoſtolus, 21. *Sept.*	459
Matthias Apoſtolus, 24. *Febr.*	112
Maurilius Epiſcopus, 13. *Sept.*	448
Mauritius & ſocii martyres, 21. *Febr.*	107
Mauritius cum ſociis martyres, 22. *Sept.*	460
Maxellendis virgo & martyr, 13. *Nov.*	552
Maximilianus Epiſcopus & martyr, 12. *Octob.*	500
Mechtildis virgo, 29. *Mart.*	166
Medardus Epiſcopus, 8. *Iun.*	284
Megengaudius confeſſor, 19. *Dec.*	615
Meinulphus confeſſor, 5. *Octob.*	487

Mennas martyr, 10.*Dec.* 601
Menodora, Metrodora, Nymphodora virgines & martyres, 10.*Sept.* 443
Menradus martyr, 21.*Ian.* 49
Mercurius martyr, 25.*Nov.* 574
Michael Archangelus, 29.*Sept.* 476
Michelina vidua, 19 *Iun.* 309
Milus Episcopus, martyr, 4.*Nov.* 538
Modestus Patriarcha, 18.*Dec.* 614
Monica vidua, 4.*Maii.* 228
Musa virgo, 2.*Apr.* 173
Mutius confessor, 25.*Maii.* 265
Myro Episcopus, 8.*Aug.* 386

N

Nagrani Martyres, 24.*Octob.* 519
Narcissus Episcopus, 29.*Octob.* 528
Nativitas Christi, 25.*Dec.* 621
Nativitas B. Mariæ Virginis, 8.*Sept.* 436
Nazarius & Celsus martyres, 28.*Iul.* 369
Neophytus martyr, 20.*Ian.* 47
Nicasius & Eutropia martyres, 14.*Dec.* 608
Nicephorus martyr, 16.*Febr.* 99
Nicetius Episcopus, 1.*Octob.* 480
Nicolaus confessor, 23.*Febr.* 111
Nicolaus Episcopus, 6.*Dec.* 595
Nicolaus confessor, 24.*Dec.* 620
Nicolaus Stauropborus, 2.*Iun.* 277
Nicolaus Tolentinus confessor, 10.*Sept.* 442
Nilus Abbas, 26.*Sept.* 468
Norbertus Episcopus, 6.*Iun.* 281
Novatus & Timotheus confessores, 20.*Iun.* 310

O

Odilo Abbas Cluniacensis, 1. Ian. 18
Odo Abbas, 18. Nov. 562
Olaus rex, martyr, 29. Iul. 370
Oliva virgo & martyr, 10. Iun. 290
Omnium Sanctorum Festum, 1. Nov. 533
Onuphrius eremita, 12. Iun. 292
Osanna virgo, 18. Iun. 305
Ositha virgo & martyr, 7. Octob. 492
Oswaldus rex, 5. Aug. 382
Otho confessor, 23. Mart. 157
Otho Episcopus, 2. Iul. 330

P

Pachomius Abbas, 14. Maii. 244
Pancharius martyr, 19. Mart. 149
Pancratius martyr, 12. Maii. 239
Pantaleon martyr, 27. Iul. 367
Paphnutius martyr, 28. Apr. 213
Parthenius Episcopus, 7. Febr. 83
Patricius Episcopus, 17. Mart. 144
Patroclus Abbas, 19. Nov. 563
Paulinus Episcopus, 22. Iun. 315
Paulus I. eremita, 15. Ian. 38
Paulus confessor, 7. Dec. 596
Paulus & Iuliana martyres, 17. Aug. 400
Pelagia virgo & martyr, 4. Maii. 227
Pelagia pœnitens, 8. Octob. 493
Peregrinus Episcopus & martyr, 13. Iun. 293
Pergentinus & Laurentinus martyres, 3. Iun. 278
Petrus Abbas, 14. Mart. 139

Petrus & Paulus Apostoli, 29. Iun. 323
Petrus Cælestinus Pontifex, 19. Maii. 256
Petrus Damiani Card. Episcopus, 22. Febr. 108
Petrus Episcopus, 3. Aug. 379
Petrus & Marcellinus martyres, 2. Iun. 276
Petrus Martyr, 29. Apr. 214
Petrus, Paulus, Andreas & Dionysia, 15. Maii. 248
Philaretus confessor, 1. Dec. 587
Philemon martyr, 8. Mart. 128
Philetærus confessor, 30. Dec. 632
Philippus & Iacobus Apost. 1. Maii. 221
Philippus confessor, 23. Aug. 412
Phocas martyr, 22. Sept. 461
Polycarpus Episcopus & martyr, 26. Ian. 59
Pontius martyr, 14. Maii. 246
Poppo Abbas, 25. Ian. 57
Porphyrius Episcopus, 26. Febr. 114
Potamiæna virgo & martyr, 28. Iun. 322
Præsentatio B. M. V. 21. Nov. 568
Primus & Felicianus martyres, 9. Iun. 285
Procopius martyr, 8. Iul. 338
Projectus Episcopus, 23. Sept. 463
Puer Constantinop. 25. Sept. 466
Purificatio B. Mariæ Virg. 2. Febr. 69

Q

Quadraginta Martyres, 9. Mart. 130
Quiricus & Iulitta martyres, 16. Iun. 300

R

Radbodus Episcopus, 29. Nov. 582
Radegundis regina, 13. Aug. 394
Rainerius confessor, 17 Iun. 302

Raymun-

Raymundus confessor, 7. *Ian.* 30
Regulus Episcopus, 30. *Mart.* 167
Rembertus Episcopus, 4. *Febr.* 71
Restituta virgo & martyr, 27. *Maii.* 267
Richardus Episcopus, 3. *Apr.* 174
Rigobertus Episcopus, confessor, 4. *Ian.* 22
Robertus Abbas, 29. *Apr.* 218
Robertus Abbas, 7. *Iun.* 282
Rochus confessor, 16. *Aug.* 398
Romanus & Barula martyres, 18. *Nov.* 561
Romanus & Lupicinus confessores, 28. *Febr.* 116
Romualdus Abbas, 19. *Iun.* 307
Rosa virgo, 4. *Sept.* 432
Rumoldus Episcopus, martyr, 1. *Iul.* 326
Rupertus Episcopus, 27. *Mart.* 162

S

Sabas Abbas, 5. *Det.* 594
Sabinus Episcopus, 17. *Febr.* 101
Salvius Episcopus, 10. *Sept.* 441
Samonas, Gurias & Abibus martyres, 15. *Nov.* 556
Satyrus confessor, 17. *Sept.* 453
Satyrus & Arnogastus martyres, 29. *Mart.* 164
Sebaldus confessor, 19. *Aug.* 404
Sebasteni XL. *martyres*, 9. *Mart.* 130
Sebastianus martyr, 20. *Ian.* 46
Septem Dormientes, 27. *Iul.* 368
Severinus Boëtius martyr, 23. *Octob.* 517
Severus Presbyter, 15. *Febr.* 98
Sibyllina virgo, 19. *Mart.* 150
Sigefridus Episcopus, 15. *Febr.* 97
Sigismundus rex, 1. *Maii.* 222
Simeon mon. confessor, 26. *Iul.* 365

Simeon Salus, 1. *Iul.* 328
Simeon Stylita confessor, 5. *Ian.* 23
Simeon Stylites Iun. 24. *Maii.* 263
Simeon confessor, 1. *Iun.* 275
Simon Tridentin. martyr, 24. *Mart.* 159
Simon & Iudas Apost. 28. *Octob.* 527
Sita virgo, 27. *Apr.* 211
Spiridion Episcopus, 12. *Dec.* 605
Stanislaus Episcopus, martyr, 11. *Apr.* 187
Stanislaus Kostka Soc. JESV, 14. *Aug.* 395
Stephanus rex confessor, 20. *Aug.* 406
Stephanus Episcopus, 7. *Sept.* 435
Stephanus martyr, 28. *Nov.* 581
Stephanus martyr, 26. *Dec.* 622
Suibertus Episcopus, 1. *Mart.* 118
Sulpitius & Servilianus martyres, 20. *Apr.* 202
Susanna virgo & martyr, 11. *Aug.* 391
Sylvester confessor, 4. *Iun.* 286
Sylvester confessor, 26. *Nov.* 577
Sylvester Papa, 31. *Dec.* 633
Symphorianus martyr, 22. *Aug.* 408
Symphorosa & FF. martyres, 18. *Iul.* 352
Syrus Episcopus, 9. *Dec.* 600

T

Tarasius Episcopus, 25. *Febr.* 113
Thecla virgo & martyr, 23. *Sept.* 464
Theoctista virgo, 10. *Nov.* 549
Theodora & Didymus, 18. *Apr.* 212
Theodora Pœnitens, 11. *Sept.* 446
Theodorus martyr, 7. *Febr.* 82
Theodorus martyr, 19. *Apr.* 200
Theodorus Archimand. 22. *Apr.* 205

Theodosius Abbas, 11. Ian. 34
Theodote cum filiis martyres, 2. Aug. 378
Theodulus & Agathopus martyres, 4. Apr. 177
Theodulus eremita, 3. Dec. 590
Theophanes confessor, 12. Mart. 136
Theophilus pœnitens, 4. Febr. 72
Theophilus confessor, 10. Octob. 495
Theresa virgo, 5. Octob. 486
Thiemo Episcopus, martyr, 28. Sept. 472
Thomais martyr, 14. Apr. 192
Thomas Apostolus, 21. Dec. 617
Thomas de Aquino, 7. Mart. 126
Thomas Cant. Episcopus, martyr, 29. Dec. 628
Torpes martyr, 17. Maii. 251
Torrellus eremita, 16. Mart. 142
Trudo confessor, 23. Nov. 572
Tuscana vidua, 14. Iul. 348
Tycho Episcopus, 16. Iun. 299

V

VArus martyr, 19. Octob. 509
Vbaldus Episcopus, 16. Maii. 250
Vdalricus Episcopus, 4. Iul. 332
Vincentius Ferrerius confessor, 5. Apr. 178
Victor & Corona martyres, 14. Maii. 247
Victoria virgo & martyr, 11. Febr. 90
Victoria virgo & martyr, 23. Dec. 619
Victorinus confessor, 8. Iun. 283
Vigilius Episcopus & martyr, 26. Iun. 320
Visitatio B. Mariæ Virg. 2. Iul. 329
Vitalianus Episcopus, 16. Iul. 347
Vitus martyr, 15. Iun. 296
Vrsmarus Episcopus, 18. Apr. 199
Vrsula cum sodal. martyres, 21. Octob. 515.

W

WAlericus Abbas, 1. Apr. 170
VVandregisilus Abbas, confessor, 22. Iul. 357
VVenceslaus martyr, 28. Sept. 473
VVenefrida virgo & martyr, 3. Nov. 537
VVernherus martyr, 19. Apr. 201
VVicterpus Episcopus, 8. Apr. 183
VVilhelmus Abbas, 6. Apr. 180
VVilhelmus Abbas, 5. Iul. 333
VVilhelmus eremita, 10. Febr. 87
VVillibaldus Episcopus, 7. Iul. 337
VVinwalocus Abbas, 3. Mart. 120
VVolfgangus Episcopus, 31. Octob. 531
VVulfrannus Episcopus, 20. Mart. 153

Z

ZEnobius Episcopus, 25. Maii. 264
Zenobius & Zenobia martyres, 30. Octob. 530

FINIS.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN